APPIANI ALEXANDRI-NI SOPHI-STAE,

De Ciuilibus Romanorum bellis hi-storiarum libri quinque.
Eiusdem libri sex: Illyricus, Celticus, Libycus, Syrius, Parthicus, & Mithridaticus.



LVGDVNI,
APVD HAERED. SEB. GRYPHII.

1560.

EORVM QVAE IN LIBRIS BELLORVM CIuilium aliisq; Appiani historiis continentur, breuis enarratio.

LIBRO PRIMO CONTINENTVR.

Explicatio legis Agrariæ.
Gracchorum interitus.
Tribunitiæ potestatis immutatio.
Seditiones inter senatũ, & equestrẽ ordinem.
Bellum sociale.
Contentio inter Marium & Syllam.
Syllæ monarchia.
Quæ q; post eius obitum à Sertorio eo anno in Hiberia, à Spartaco in Italia acta sunt.

LIBRO II.

Catilinæ coniuratio & mors.
Cæsaris probitas in Hiberia.
Seditiones eiusdem in Vrbe.
Clodij obitus.
Origo odij inter Cæsarem & Pompeium.
Principium ciuilis belli.
Quæ à Cæsare in Hiberia contra Pompeij duces gesta sunt.
Belli Pharsalici Victoria à Cæsare.
Quæ in Alexandria, Syria, Aphrica & Hispania

spania peregit Cæsar.
Demum ipsius interitus, & tumultus in Vrbe referuntur.

LIBRO III.

Discessus conspiratorum ex Vrbe.
Aduentus Octauij Cæsaris.
Contentiones eiusdem cum Antonio.
Treboni mors à Dolabella.
Quemadmodum Antonius hostis iudicatur.
Bellum Mutinense, & Antonij conflictus.
Hircij & Pansæ interitus.
Conciliatio Antonij cum Lepido.
Consulatus occupatio ab Octauio.
Postremo Decimi Bruti finis refertur.

LIBRO IIII.

Triumuirûm conspiratio in senatum.
Tumultus, & clades Vrbis.
Proscriptiones optimatum, & interitus.
Varij, & admirandi fortunæ casus.
Quæ à partiũ fautoribus in Libya gesta sunt.
Dolabellæ mors.
Belli apparatus per Brutũ, et Caßiũ in Asia.
Octauij demũ, et Antonij in vtrosq; victoria.

LIBRO V.

Nouus senatorum apparatus in Octauium, & Antonium.
Quæ ab Antonio in Asia, à Cæsare in Italia in promerẽdis victricibus copijs agitatæ sunt.
Dissensio inter Octauiũ, & Luciũ Antoniũ.

Perusina fames.

Conciliatio iterum & affinitas, orbisq; partitio inter Octauium, & Antonium.

Conciliatio item cũ Sexto Põpeio ab vtrisque.

Dissensio iterum, & nauale bellum inter Sextum, & Octauium.

Sexti fuga & mors subinde describitur.

LIBRO ILLYRICO,

Illyriorum situs, & eorundem origo populorum peruetusta.

Quæ ab Octauio in Illyrios, quæ' ve ab alijs prius gesta referuntur.

LIBRO CELTICO,

Breuis explicatio Celtici belli vsq; in finem.

Romanæ historiæ proœmium, quo Romani imperij magnitudo describitur.

LIBYCO LIBRO,

Carthago à quibus & quando condita, & eius potestas ac imperium.

Primum Punicum bellum, quo primũ Siciliã, ac deinde Sardiniam Romani Carthaginensibus adimunt, in quo & Attilius Regulus consul interit.

Secundum Punicum bellum, quo duce Cornelio Scipione maiore Iberia Carthaginensibus adempta est.

Tertium Punicũ bellum, quo Scipione minore duce Carthago funditus euersa ac deleta est.

LIBRO SYRIO,

Antiochus Magnus Syriorum rex à Romanis victus, Europa omni atq; Asia excedere, atq; intra Tauru͂ regnare iubetur. Cui succedens Seleucus filius, insidijs Heliodori cuiusdam sublatus, filium Antiochum nouennem regni relinquit hærede͂: quo sublato, Demetrius Syriam inuadit, huic succedens Antiochus Eusebius Tigrani cedit: quo à Romanis superato, Syria in Rom. potestatem venit.

Macedonum regum series.

Satraparum institutio.

Seleuci nouercalis amor, ac de Seleucidis non pauca.

LIBRO PARTHICO,

Crassus Syriam prouincia͂ nactus, in Parthos mouens, primum filium suum Crassum iuniorem amittit, mox ipse in hostium manus venit.

M. Antonius huic succedens, Ventidium in Syriam præmittit, qui mox Parthis tribus prælijs superatis, Pacorum etiam regis Orodis filium acie strauit. Igitur Antonius Ventidio Romam triumphatum remisso, principio rem male gerit, ac dolosis hostium assentationibus penè circumuentus, vix tandem in Armeniam fugitabundo quàm belligeranti similior euasit, vnde Artaba-

xem secũ Alexandriã perductum in triumpho habuit.

MITHRIDATICO LIBRO,

Primum Mithridaticum bellum olympiade 180. Vnde initium sampserit.

Secundum Mithridaticum bellum Murena prouocante excitatum.

Tertium Mithridaticum bellum, quod primum quidem Lucullo, deinde Pompeio delegatum, ab eo etiam est confectum.

Mithridatis mors.

Vrbes à Pompeio conditæ.

Quatenus imperium Rom. Mithridatici belli victoria adauctum est.

P. CAN

P. CANDIDI AD DIVUM ALPHONSUM, VTRIUSQ. *Siciliæ regem, in Appiani Alexandrini historiam bellorum Ciuilium, è Græco in Latinum à se conuersam Præfatio.*

PARTHORUM *regem ut ab Annæo accepimus, sine munere salutare nemo potest. Ego verò, gloriosissime Rex, cum tuam virtutem, humanitatemq́; considero, tum cæteras naturæ dotes, quibus inter ætatis nostræ principes vel in primis illustris es, sublime ingenium, summam charitatem summam continentiam, nulla ratione adduci possum, ut non pluris apud te fidem meam existimem, quàm ullas opes: quippe cùm te indigentibus, & veluti è naufragio emersis, quanquàm ignotis, offerre videā pias manus. Cæterùm nec sine munere ad te veni, nec vacuis (ut aiunt) manibus tuam maiestatem sum adoraturus. Nam cùm priores Appiani libros, Libycum, Syrium, Parthicum, & Mithridaticum Nicolao quinto summo Pontifici, dum in humanis ageret, è Græco transtulissem, reliquos Ciuilium bellorum cōmen-*

tarios, quæ senatus, populusq́ Romanus inuicem gessit, nondum editos aut perfectos à me, ad quem potius mitterem, quàm ad te, inuictissime Princeps, Hispaniæ pariter & Italiæ nostræ decus? qui non minus optimarũ artium studijs, et literis, quàm armis inclytus es, atq; memorandus. Accipies igitur nouum opus, nec indignum regio animo, regioq́; conspectu tuo: sed quod cum priscis illis voluminibus ab his qui historias scripsere, posteritati traditis, facilè conferri queat. Quod si in contrariũ nonnulli refragentur, vt æmulorum mos est, quem velint ex Latinis in medium adducant, siue Crispum, siue Cæsarem, siue Curtium, siue alia vulgata doctorum nomina, eorũ qui historias scripserunt: nullos ex his, qui cũ ciuilibus Appiani libris conferri possint, inuenient: si historiæ pulchritudinẽ & varietatem, si orationum copiam, si bellorum magnitudinem, et eorũ qui gessere, gloriã & famã, non eloquentiæ lenocinia metiri velint. cuius tamen nec hi quidẽ omnino expertes sunt. Deinde cũ Romanorum facinora omnia vt magnifica & præclara celebrentur, quid magnificentius, aut præclarius ab illis actum asseremus, quàm cũ exteris relictis inter se vertere manus? Et quanquã illa nefanda, & horrenda sint, illustria tamen habebũtur, si ducũ excellentiam, militũ præstantiã præcipuã in perferendis rebus tolerantiam

& prud

& prudentiã velimus recensere, vt in his quæ Mutinæ, quæ Perusij, quæ alijs in locis gesta & transacta memorantur. Adde quod doctis, & Ciceronis opera quotidie versantibus, aut aliorũ qui de Romanis scripsere, nihil vtilius, aut necessariũ magis dicet quispiã, quàm histo riam per partes concisam. & à varijs autoribus hinc inde disiectã, vixq; quodãmodo intelligibilẽ, ordine suo inspicere. & quæ in Philippicis, quæ in familiaribus epistolis, & ad Atticum à Cicerone perscribũtur intelligere. Ego mediusfidius dum hæc lego, non audire Romanorum gesta, vt hactenus consueueram, verùm intelligere, nec intelligere tantum, sed interesse, mihi videor. Ita suo ordine singula apposita & descripta sunt. Quod à Græco homine tam accuratè diligenterq́; fieri potuisse, vtiq; admirarer, nisi iam perspectũ haberem & cognitum, quod luce clarius intueri datur, ex Augusti commentarijs, quos de vita sua edidit, vt Suetonius refert, hos libros desumptos, & exaratos extitisse. Sed hæc suo loco in Illyriorum bellis, quæ ab eodem gesta sunt, sexto huius operis aperte describentur. Nunc ciuilium bellorum motus, qui à Romanis prodiere, referemus.

APPIANI ALEXANDRINI HISTORIAE DE CIVILIBVS ROMANORVM BELLIS.

LIBER I.

E` Græco tralatus, P. Candido interprete.

SENATVS *Populúsque Romanus mutuis sæpenumero contentionibus de legum latione, vel siquando debitorum abrogationes, agrorum've partitiones fierent, vel in comitijs vnà adessent, dissidebant. Non tamen armatæ manus opus erat ciuile bellum: verum dissidia ac turbationes duntaxat ex lege moderatè quieteq; inter eos agitabantur. Quamobrem cum simili ex dissensione plebs se aliquando in vnum contulisset, non statim armis vsa est, verùm montem ascendens, qui ob hoc Sacer dicitur, nullo prælio concitæ magistratum à seipsa protulit, quem Tribunatum appellauit, potissimum vt Consulum conatibus obsisteret: quos Senatus eligebat, ne perfectam illi in Rep. haberent potestatem. Ob id verò hæ adinuicem*

dignitates maiore inter se contentione ac furore subrogari cœpta, à Senatu populóque Romano per partes creabantur, ita vt per auaritiam, ac largitionem alter alterius inniteretur potestati. Martius autem Coriolanus in huiusmodi dissensionibus præter ius eiectus Vrbe, ad Volscos confugit, & patriæ subinde bellum intulit: quem primum dicet quispiam in seditionibus ad arma fecisse aditum, cum profugus existeret. Gladius nempe in concilio hactenus à nemine exertus, aut ciuili in contentione illata cædes, priusquam Tyberius Gracchus plebis fautor, & leges inferens, in seditione occisus est, & cum illo multi in Capitolio deprehensi, circa templum interiere. Quibus ex rebus minimè se cohibentibus dissidijs, diuisis inter eos apertè odijs, gladijs accincti sæpenumero inter sacra aut comitia, aut in foro, alicuius ex primoribus secuta nece, seu Tribuni per internalla, seu ducis, siue consulis, aut alterius ad hæc designati, contentiones impudentissimas nullo ordine paulatim edidere: quas legum & iudiciorum contemptus insecutus est. Inualescente itaque in dies malo; insurrectiones manifestæ in Rempub. factæ sunt: exercitus quoque magni ac potentes per vim in patriam inducti, fugitiuorum scilicet, ac damnatorum, aut ad magistratum aliquem exercitúmque adinui

inui

inuicem certantium. Et iam Dynastæ in plurimis, & seditionum principes, ac monarchici aderant, cum quidam sibi creditos à populo exercitus dimittere negarent, quidam sibi commissa sine publica vtilitate exteris impenderent, & quis prius vrbem sibi vendicaret, pariter inter se contenderent, verbo in aduersantes gesturi bellum, re autem contra patriam pugnarent. Nam vrbem vt hostilem inuaserant, ac cædes continuam furiaq; cum obuijs agitabantur, aliorum proscriptiones funesta: fugæ que & onera assidua occurrebant, plurimorum tormenta ex odio indicta: nullum scelestum opus aberat, quoad vnus seditiosorum caput, anno potissimum quinquagesimo à Gracchi Tribunatu, Cornelius Sylla malum malo mederi satagens, se principem in plurimis professus est, quem Dictatorem nominant, & in periculosissimis Reipubli. casibus per sex menses creari solitum, iam facere desierant. Verùm Sylla vi quidem ac necessitate, licet verbo ad Dictaturam perpetuam èlectus, cum demum potentia abundè fretus esset, primus ex omnibus, vt mihi videtur, inuentus est qui tyrannidem deponeret, diceretque se eorum pœnas subire velle, pro quibus damnaretur: priuatus quoque intuentibus cunctis per forum ambularet, & domum absque iniuria rediret, tanta

inspic

inspicientibus eum dignitatis reuerentia, & metus inerat, aut depositi muneris stupor, aut inferendæ pœnæ verecundia, aut alia benignitatis ratio, quasi ad vtilitatem publicam conduceret tyrannis. Non multò deinde cum dissensiones in Syllam defecissent, eorúmque vindictæ quæ à Sylla erant perpetratæ, denuo post illum emanarunt, donec C. Cæsar principatum occupauit, magnam iam inde in Gallia adeptus gloriam. Senatu itaque iubente vt exercitum deponeret, caussam in Pompeium referens, quasi non à Senatu, sed à Pompeio hoste oppugnaretur, qui exercitum per Italiam deduceret, & ad regnum aspiraret, pacis conditiones protulit, vt vel vterque eorum exercitus teneret ad reprimendas mutuæ inimicitiæ suspiciones; vel quos Pompeius haberet, mutuò deponeret, & pari modo sub legibus vterque priuatus degeret. Quorum cum neutrum esset assecutus, è Gallia deduxit, & in Pompeium vnáque in patriam inuectus, abeuntémque persecutus, in Thessalia demum illustri pugna superauit. Inde in Aegyptum post illum progressus, cum ab Aegyptijs occisum intelligeret, Romam rediit, & Aegypti rebus constitutis, tam diu immoratus est, donec reges ordinaret. Seditiosum admodum, cui ob gestarum rerum amplitudinem magni cognomen aderat, sic apertè bello profligauit,

uit, nemine sibi obsistere quoquo modo audente, vt secundus post Syllam dictator perpetuus fieret, seditionésque comprimeret. Hunc deinde Brutus, & Cassius, siue zelo principatus ac potentia, siue patria charitate ducti in senatu interfecere, popularem maximè, dominandique experientissimum. Ex quo populus eum præ cæteris cœpit concupiscere, & interfectores eius vndique conquirere. Funus etiam medio in foro edidit, templóque constituto iuxta pyram veluti deo sacra exhibuit. Seditiones igitur denuo in maius adauctæ ad summum peruenerunt. Cædes quoque, & fugæ, & damnatorum proscriptiones cum Senatorum, tum Equitum ex eorum multitudine crebrò ab vtrisque editæ, seditiosis hostes se adinuicem præbentibus, & ob id suos neglıgentibus, siue amicos, siue fratres. adeò natiuam charitatem contentio aduersa deuicerat, vt Romanorum imperium veluti possessionem propriam hi tres potissimum inter se partirentur viri., Antonius, & Lepidus, & cui Octauius prius nomen fuit, ex Cæsaris stirpe, & ab illo in testamento positus, eámq; ob rem Cæsar appellatus. In hac igitur partitione rerum publicarum, non multò pòst inter se conuersi, vt similium mos est, Cæsar Lepidum ingenio, & experientia longe præcellens, cui Libya ex sorte obuenerat, dignitate spoliauit. Postea Antonium

nium circa Actium bello vicit, cui à Syria ad Ionium vsque sinum ademit principatum. Ad hæc igitur præterea tam ingentia, & admiranda, quæ omnes ferè in stuporem verterant, classe peruectus, Aegyptum cepit, quæ & diuturnitate, & potentia post Alexandrum longè inclyta regio, ad ea quæ nunc continet, Romano imperio deesse videbatur. Ob has res Augustus quanquam in opere adhuc esset vocitatus, & primus à Romanis eo nomine quo Cæsar appellatus, Caio etiam potentiorem patriæ sese exhibuit, gentibúsque vniuersis imperio præfuit, nullius deinceps electionis aut creationis, aut obsequij indigus. Procedente deinde tempore cum ad summum rerum peruenisset, ad omnia felix, ac tremendus, genus ex se, & haredes, qui imperio praeessent, dereliquit. In hunc igitur modum varijs ex dissensionibus Romanorum Respub. ad concordiam tandem monarchiámque peruenit. Hæc omnia quemadmodum gesta sunt, ex ordine descripsi, quæ admiratione potissimum digna habentur, in vnum colligens, vt contentionem virorum maximam, imperandi cupiditatem vehementissimam, & patientiam penè intolerabilem intelligere volentibus offerrem, formas quoque malorum infinitas explicarem, maximè cum mihi Aegyptiam historiam res antecedentes, deinde in eam finientes necessarium

ſarium ſit antè ſcribere. Aegyptus quippe per diſſenſionem capta eſt Antonio Cleopatra ferente auxilia. Diuiduntur hæc autem ob multitudinem in hunc ferè modum. Quæcunque ſupra Cornelium Syllam à Sempronio Graccho, deinde quæ ab his ad Caij Cæſaris interitum: Reliqui Ciuilium bellorum libri, quæcunque Triumuiri adinuicem, & in Romanos geſſere, vſque ad vltimum & maximum eorum facinus à Cæſare geſtum circa Actium contra Antonium ſimul & Cleopatram continent: quod principium Aegyptiæ erit hiſtoriæ. Romani Italiam per partes bello vendicantes, telluris portiones inter ſe diuiſerant, in hisque vel condiderant vrbes, vel vbi conditæ prius fuerant, ipſi colonos ſorte deduxerant, & has quidem præſidiorum cauſſa munierãt. Agros verò quos quiſque bello adeptus eſſet, eorum habitatoribus colendos dederant, vel pretio illis attribuerant, vel mercedis cauſſa contulerant. Siqua autem tellus ingruentibus bellis inculta remanſiſſet, quò multitudine impleretur, neutiquam per negligentiam ſordeſcere paſſi, in hunc modum proclamari iuſſerant. Volentibus interim agros colere, annua vectigalia publicè eſſe pendenda, ſeminum partem decimam, arborum verò quintam eorum quos percepiſſent fructuum. Adhibitus etiam pecoribus vectigalis exigẽdi modus, maiorum

mino

minorumq; armentorũ, quæ vicißim illis pretio venundabant, quò plus virium ac roboris Italo adderetur generi aptißimo, vt eis videbatur, ad labores tolerandos, & propugnatores domesticos haberent. Quod contra illis obuenit. Nam diuites telluris indiuisæ portionem sibi magnam vendicantes, & à nemine ob diuturnitatem auferri posse confisi quæcunq; ipsis finitima, in queis permultæ tenuiorum portiones inerant, partim suadendo, pretio ad se adsciscentes, partim per vim auferentes, immensa camporum spatia obsederant, agricolis in his emptis, & pecoribus vtentes. Liberos etiam ab agris ad militiam transire prohibebant huiusmodi possessionibus ingentes illis vtilitates ex magna seruorum industria afferentibus, qui ob militiæ vacationem periculorum expertes, in immensum creuerant. Ob hæc igitur potentes ditabantur maximè, & seruorum multitudo vndique prouinciam impleuerat. Itali verò inopia pariter & desidia torpebant, egestate, vectigalibus, & militia onere oppreßi. Ex his plerique vacationem otio adiunxerant, omni tellure exclusi à potentibus, cum illi seruis liberorum loco ad colendos agros vterentur. Hæc populus grauiter ferre cœpit, cum ex propugnationibus Italiæ nihil vtilitatis acciperet, neque aliqua illi sine periculo militia adesset ob seruorum multitudinem

directionem autem nullam intueretur, cum nec facile aut iustu videretur talibus viris per tantum temporis possessam tam ingenti spatio adimere tellurẽ arboribus, domibus, cæterisq́ apparatibus proprijs munitam. Tandem populi Tribunis decernentibus edictum est, Neminem vltra quingenta telluris iugera habere posse, neq; maiorum armentorum vltra centũ, minorum quingenta duntaxat capita obtinere. Et in his liberorum addidere numerum quem possiderent, quibus hæc custodire & referre iniunctum fuerat. Hæc igitur ex lege statuentes, iusiurandum quoque legi præstitere, pœnaq; summam adhibuere, sperantes eos qui superessent agros paulatim ad inopes cessuros esse. Sed nec horum, legísve, aut iusiurandi cura vlla habebatur. Nam qui præ cæteris hæc obseruare & custodire debuerant, agros clanculum cum domesticis eorum partiebantur, multi etiam vectigalia spernebant, donec Tyberius Gracchus vir illustris, & eloquio potens fama potissimum cupiditate ductus, & propterea summo in honore habitus à cæteris Tribunis plebis orationem grauissimam de Italis viris habuit, veluti bellicosissimis, & necessitudine coniunctis populo Ro. quod à paucis quibusdam opulentis absumerentur, & ad inopiam pusillanimitatémque truderentur, neque harum rerum directionem vllam sperare possent. Deinde

de seruorum detestatus multitudinem, qui nec militiæ vtiles, nec heris fidi esse consueuissent, quæ nuper in Sicilia à seruis in dominos gesta essent edisserit, ipsis ex agricultura dietim succrescentibus, qualéq; in Romanos gessissent bellum, non facile quidem aut breue, cæterum per varias periculorum mutationes in longum tempus agitatum referebat. Quibus explicatis, legem denuo protulit, Nemini licere vltra quingenta telluris iugera habere. Filijs autem eorum ad veterem legem dimidium horum attribuit. Ad reliquos verò diuidendos agros tres viros præstantes elegit, qui per singulos immutati annos, eos pauperibus impenderent. Hæc lex præcipuè diuitibus ingrata fuit, nequeuntibus illam vt prius euitare, ob eos qui tellurem erant diuisuri, nec quicquã vltra id quod sorte datum erat, vel precio indipisci potẽtibus. Quippe hæc animaduertens Gracchus, huiusmodi venditionem inprimis cohibuerat. Diuites igitur per partes in vnum congregati, inter se querebantur, si tenuioribus vetera eorum opera, arbores, domos, ac pretium, plerisque etiam vicinitatẽ essent præbituri, & si quid cum tellure vicissim consumptum esset paterna monumenta cum ipsa tellure, diuisiones quoq; à patribus acceptas illis traderent. Alij mulierum dotes in his consumptas, & agros filijs ex sorte datos, sibi eri-

pi deflebant. Fæneratores vero debita, & alia huiusmodi protulerant. Erat itaq; confusio quædam. & fletus ac querela. Tenuiores autem ex aduerso lamenta proferebant, ex opulentia in maximam cecidisse miseriam, ex hac in desperationem peruenisse. cum ad alendos filios impotentes essent, quotidie per exercitus, & expeditiones maximas deduci ut tellurem possiderent. Palam itaq; lamentabantur si eo quod cõmune illis esset, fraudarentur. Diuitibus prætere a ad opprobrium obijciebant, qui liberorum loco, ac ciuium militúmque seruos præligerent gentem infidam, & continue furentem, & ea ex causa militiam detrectantem. Hæc & huiusmodi inter se querelantium multitudo. & se inuicem adhortatium, ex colonijs ac municipijs ut quisq; agrorum particeps, ex trepidatione in unum conuenerat, & separatim ad suorum partes se contulerat. Copia insuper & multitudine confisi, undequaque accelerabant, & seditiones nullo ordine inchoantes, approbationem legis expectabant: hi veluti nullo modo concessuri id ratum esse, illi vero ut ratum & firmum habituri. Contentio igitur maxima inter utrosque ex huiusmodi necessitate inerat & ad constitutam diem se quisque præparabat. Graccho quidem Senatus assensum præbebat, non tam ad sustinendam abunde caussam, quàm ad hilaritatem atq; confidentiam cum

euen

euentus vtilitatem suspensus expectaret, quasi nihil maius aut illustrius ob rei difficultatem in Italia geri posset. Nec multum contentionibus immoratus Gracchus, quò sententiam efferret, plura, nec minus popularia super his in longum retulit. Num iustum foret, quæ communia sunt, communiter diuidere? An nobilior seruo perpetuo sit ciuis? An vtilior miles viro imbelli? Et in publicis oneribus qui partem gereret acceptior? Iudicium quoque vt inglorium non in longum abire passus, subinde patriæ spes metúsque recensuit. Num plurimum telluris per vim ex bello detinentes, reliquam terrarũ orbis spem abijcerent, & omnia in discrimen ponere optarent potius, quàm per virtutem residua acquirere? An per socordiam & inuidiam ab hostibus eripi mallent? Horum itaque gloriam, & vtilitatem, eorum autem periculũ & metum anteponens, iussit diuites hoc animo voluentes, à seipsis si necesse foret, egenis parcere, agrósque in futuram spem nutrientibus filios vltro impendere, ne de modico simul dissidentes maiora amitterent. Quippe laboris huius mercedem eos abunde relaturos, cum insignes agros absque onere essent habituri perpetuò manentes quingentorum iugerum. Filijs verò si cui adessent, dimidium vnicuique horum traderetur. Hæc & huiusmodi plura cum locutus esset Gracchus, pau-

 peres.

peres, & quicunque aderant, & opinione magis quàm agrorum desiderio vtebantur, incendens, scribam iussit legem recitare. At verò Marcus Octauius Tribunus alter, ex possessorum numero, ad occurrendum paratus, continuèque apud Romanos in prohibendo asperior: scribæ silentium imponit. In quem multa conquestus Gracchus, concionem in sequentem diem imperat, & præsidijs abundè dispositis, quasi inuitum etiam coacturus Octauium, nutu, scribæ vt ad populum legem referat, edicit. Verum idem cum referre cœpisset, Octauio prohibente conticuit. Contentione igitur inter Tribunos exorta, & legislatione confusa ex tumultu, qui potentiores aderant, Tribunis suadere incipiunt, vt de quibus inter se dissiderent, Senatum mutuò consulerent. Itaque Gracchus arrepta lege, cum omnibus rite sentientibus accepta esset, in Senatum proficiscitur. Eò loci, vt inter paucos, contumelijs impetitus à ditioribus, rursum in forum delatus, in sequentem diem de huiusmodi lege, & simul de Octauij abrogatione suffragia laturum se esse pronunciat, & an Tribunum plebi aduersantem, dignitatem retinere opus sit. Quod vtrunque executus est. Qua ex re nihil territus Octauius, denuo aduersari cœpit. Tum Gracchus primùm de abrogatione eius ad populum retulit: ac prima tribu Octa-

uium

uium dignitatem deponere iubente, conuersus ad eum Gracchus, Vt sibi morem gereret orabat. Recusante eo, reliquas tribus rogare pergit. Existentibus autem tribubus omnibus quinque & triginta, & iam septem supra decem ob iram in eadem sententia manentibus, octaua quidem ac decima sortem latura Videbatur. At Gracchus denuò in conspectu populi, tum Vel maximè Octauij discrimine percepto, benignè illum admonere hortarique ne sanctissimum opus, & toti Italiæ in primis Vtilissimum prohibere Velit, nec tantam populi frequentiam solicitudinémque despicere qua & ipsi moderatè Tribunatum deponenti assensura sit, & dignitatem per Vim sibi eripi haud contemneret. Hæc cum loqueretur Gracchus, deósque testaretur inuito se collegam è Tribunatu eijci, nihilque proficeret, sortem protulit. Octauius igitur quamprimum Tribunatu eiectus, clanculum aufugit, & Q. Mumius Tribunus in eius locum subrogatur, lexq; de agris statim editur: ad quos diuidendos tres in primis Viri, Gracchus ipse legislator, & frater eiusdem nominis, necnon Appius Claudius Tyberij socer, consona totius populi Voce declarãtur, metuentis ne legis promulgatio quoquo modo impediretur, ni Gracchus omnésque necessarij eius potestate fruerentur. Gracchus autem ob legem præcipuè exultans, multitu-

dine eum prosequente, quasi non Vnius ciuitatis duntaxat, aut gentis sed omnium quæ in Italia erant nationum conditor esset, ac liberator, domum peruenit. Potentes Verò ad agros, è quibus ad ista conuenerant, retro cessere: ac Veluti potestate exuti quæ gesta erant grauiter ferentes inter se colloquebantur, non amplius electuros esse Gracchum, cúmque priuatus extitisset, regnum quoddam erigentem, & Asylum, & seditionem tam immensam Italiæ inferentem. Iam æstas appropinquabat, & Tribunorum iussa ad ea quæ agenda erant mittebantur. Et diuites exequendæ legis instante tempore, palàm Gracchi inimicos in dignitatem eius concitabant. At is cum rei decus adesse cerneret, Veritus ne in futurum minimè Tribunus ab illis crearetur, omnes qui in agris fuerant, ad electionem eius conuocauit. Ipsis, Vt in æstate cessantibus, & per modicum temporis spatium accitis, sequenti die ad populum, qui in Vrbem Venerat confugit, separatimque Vnumquenque conueniens, Vt se tribunitia potestate decorarent precabatur. Eorum nempe causa se in discrimen Venisse referebat. Cum Comitiorum adesset dies, duæ statim tribus Graccho Tribunatum decreuere. Diuitibus autem aduersantibus, nec ex lege fore dicentibus, si bis tribunatu potiatur, Rubrio præterea Tribuno concioni huiusmodi præsidere

præsidere formidante, atque addubitante, plurimum Mumius se Octauij loco in tribunatu præsidere ait, & vt sibi concionem dimittat edicit: quod ab illo factum est. Reliquis deinde Tribunis de eorum præsidentia electionem faciendam esse decernentibus. Rubrio verò sortitionem ad omnes circunferendam esse, seditione exorta, Gracchus fauore destitutus, electionem in sequentem diem differendam esse censuit. Desperatis igitur rebus, nullo mansuetudinis genere, quanquam Tribunus adhuc esset, abstinuit, ac reliquum diei per forum proficiscens filium cunctis exhibuit, commendauitq́, quasi sub hostibus confestim periturus. Ea ex re multorum commiseratio insecuta est, sibi ipsis præcauentibus egenis, veluti non æquo iure Remp. tenerent, verum ditioribus inseruire cogerentur. Pietas quoque ipsius Gracchi eos detinebat. Hæc igitur verentes atq; pauentes, lamentatione & fletibus circa vesperam ad domum vsque prosecuti, vt in sequentem diem ad comitia descenderet, adhortati sunt. His suasionibus elatus Gracchus, nocte adhuc seditiosos reliquos in vnum congregans, & signum illis si prælio opus esset imponens, Capitolij templum inuadit. Eo in loco electionem subiturus, concionis in medio conquestus est quod à Tribunis, ac diuitibus, ne sortiri posset impediretur, deinde signum protulit. Clamore igitur maximo

 mo

Vestis partem in caput retulit, siue hoc gestu plures excitaturus, siue ad cursum futurus aptior, siue belli signum his qui sequebantur præbiturus siue vt deos lateret ea facturus quæ subinde operatus est. Cum templum ingressus esset, subito in Gracchanos concito cursu defertur, cedentibus illi omnibus ob dignitatem tanquam viro optimo, & Senatum cum adhortatione insequentibus multis. Quidam ligna è Gracchanorum manibus eripientes, nonnulli sedilia, & reliqua ornamenta, ex quibus concio constiterat, vnà lacerantes eos insequi, & telis appetere cœperunt. Postremò præcipites è rupibus ad ima depellunt. Eo in tumultu multi è Gracchanis, & ipse inprimis Gracchus circa templum deprehensus interficitur, non longe ab ipsis ianuis in conspectu regiarum statuarum. reliquos seditionis comites noctu in Tyberim necatos proiecerunt. In hunc modum Gracchus ille Gracchi bis consulis, & Cornelia Scipionis eius qui Carthaginiensibus imperium ademit sororis filius, ob optimum consiliũ à potentioribus oppressus, Tribunus adhuc in capitolio occisus est. quod primùm in Comitijs odium emicuit, nec prius quam simile insecutum est, finem cepit. Separatim deinde ciuitas ob Gracchi necem ad luctum voluptatémque defluxerat. Nonnulli quippe seipsos, Gracchũ quoq; & præsentia deflebant, quasi non vlte-

rius

rius Remp. habituri, sed per vim & arma passuri omnia. Alij quòd ea quæ maximè concupiscerent, facile se assequi posse lætabantur. Hæc autem gesta sunt cum Aristonicus in Asia cum Romanis de imperio bellum ageret. Interfecto Graccho, & Appio Claudio vicissim exempto rebus humanis, protinus ad diuisionem telluris Fuluius Flaccus, & Papyrius Carbo, vnà cum iuniore Graccho insurrexere. Negligentibus autem his qui agros possidebãt, eos accusatores præconis voce citari iusserant, ac statim causarum difficilium multitudo affuit. Quicunque alijs finitima mercati essent, aut inter socios diuisissent, secundum mensurã inquirebantur, quemadmodum ab illis habita, aut alijs diuisa essent. Omnibus autem neque conuenta neque sortitiones proferre valentibus, quæ inuenta fuerant, vt incerta ponebantur. Mensuratis insuper agris, nonnulli ex plantatis habitatisq; locis in vacua ablegabantur, nonnulli ex cultis ad neglecta, aut paludes, aut lacunas trudebantur, neque ab illis quæ sub hasta vendita fuerant principium diligenter assumentes, quod immensuratum esset per præconẽ inquirere velle prædixerant. Erexit autem plurimos, quòd proxima ignorantes, agris in vnũ confusis procedente tempore cuncta complanata essent. Quod ditiorum crimen permagnum ferebatur, nec facile inquiri poterat. Non alia

itaq

itaque quàm omnium insurrectio facta est, hinc inde discurrentium, & ad aliena diuertẽtium. Hæc igitur, & si per his cẽsentium impulsiones non ferentes Itali, Cornelium Scipionem, à quo Carthago funditus euersa est rogare incipiunt, vt ipsis iniuria oppressis defensorem se patronúmque præberet. Qui cum eisdem in bello vtilibus ac promptißimis vsus esset, neutiquam eos deserere æquum duxit. Verum Senatum ingressus, Gracchi quidem legem minimè contempsit populum inprimis veritus: solum difficultatem eius referens. iustum sibi videri dixit, non à diuisoribus causas. tanquam ijs qui iudicarentur suspecti sed ab alijs potius esse decernendas. quod optimè illis persuasisse visus est, veluti qui æqua diceret. Ea ex causa Turdianus Consul, iudex ad hæc ipsa electus, cum opus aggressus. difficultatem eius intueretur in Illyrios ad bellum profectus est, occasionem huiusmodi nactus. ne iudicium efferre cogeretur. Hi igitur tellurem diuidentes, nemine illis aduersante. per inertiam tempus agitabant. Et hinc odij origo simultasq; inter Scipionem plebeiosq; emanasse creditur quòd cum prius eum dilexissent, & plerunque ditioribus eius causa ad inuidiam vsque aduersati essẽt, denique his Consulem præter leges effecissent, pro Italis in eos depugnantem intuerẽtur. Qua animaduertentes hi qui Scipioni aduersabantur,

tur. palàm criminari eū experant, quasi Gracchi legem omnino soluturus, Vrbémque hac de causa in armis & cæde esset positurus. Quibus auditis, populus maiori formidine correptus est, donec Scipio Vespere domum reuersus, tabula apud se deposita, qua nocte scripturus Videbatur quæ populo essent referenda, sine Vulnere in lecto mortuus inuentus est: Siue Corneliæ Gracchi matris insidijs impetitus sit, ne Tyberij Gracchi lex dissolueretur, consentiente ad hæc etiam Sempronia eius filia, quæ Scipioni nupta, ob deformitatem ac stultitiam neque illum diligebat, neque ab illo diligebatur: Siue, Vt nonnullis Videtur, sponte excesserit è Vita, quòd ea quæ pollicitus fuerat, exequi non posset: Vtcunque eius mors incerta est. Sunt qui dicant seruos eius in tormentis habitos dixisse ab exteris quibusdam noctu post domum latitantibus oppressum interijsse, idque intelligentes referre non ausos ob populum iratum ad huc, & necis eius conscium. In hunc modum Scipio extinctus est, neque publico funere dignus habitus, cum imperium populi Rom. in maius adauxisset. Sic confestim ira charitatem supergressa est: ac tanta rei Vtilitas, quasi nullius pretij sub Gracchi seditione peruiluit. Interim agrorum diuisionem qui eos possidebant occasionibus Varijs in longum protrahebant. Nonnulli propugnatores omnes ad id induxe

duxe

duxerant. Quidam ex aduerso in Romanorum Remp. pro tellure se describi deposcebant, quòd maiori charitate agros inter se essent diuisuri: quod Itali libenter admissuri videbantur, agris Rempub. pluris facientes. Hac in re Fuluius Flaccus præ cæteris operari visus, cum Consul tellurem vnà partiretur. Senatus contrà permolestè ferre, nec satis pati, si sibi subditi pari iure in Vrbe potirentur. In hunc modum igitur conatus omnis dissolutus est. Populus verò spe illa quam de tellure conceperat exutus, denuo vereri cœpit. His ita se habentibus, gratissimus omnium qui tellurem diuisuri essent, ad Tribunatum Caius Gracchus habebatur, Gracchi illius qui legem Agrariam primus edidit, frater, verum ætate iunior. qui cũ ob fratris necem diu silentium apud omnes tenuisset, multis in Senatu aduersantibus, Tribunatum tandem petere perrexit: quem magnificè adeptus, confestim Senatoribus aduersum se præstitit. Frumentum quippe menstruum vnicuique è plebe ex communi pecunia partiendum censuit, cùm nulli prius erogari consuesset. Quibus ex causis populum in Repub. vehementer extulit, assentiente illi Fuluio Flacco. Et continuò tunc quidem ac subinde ad Tribunatum gerendum constituitur. Nam lex quædam promulgata fuerat, si Tribunus suffragijs egeret, populum ex omnibus eum eligere.

In

In hunc igitur modum Caius secundò ad Tribunatum electus est, utpote qui populum mercede sibi adsciscens, Equites etiam in sententiam suam deduxisset, qui mediam inter Senatum popularésque obtinebant dignitatem. Ob aliam igitur huiusmodi ciuilitatem iudicia quæ largitiones redolere videbantur, à Senatoribus ad Equites translata, & quæ nouiora illis aderant obiecta, quoniam Cornelius Cotta, ac Salinator, et tertius ultra hos Manius Acilius cum Asiam bello cepisset, publicè muneribus acceptis essent accusati, iudicúmque fraude pœnam euasissent. Legati nempe qui apud eos adhuc erant, non sine inuidia hinc inde discurrentes, hæc ipsa clamitabant. Qua ex causa, rubore concitus Senatus ad legem se conuertit, populus verò id ipsum confirmauit. Eóque modo iudicia à Senatu ad Equites translata sunt. Ferunt cum lex promulgaretur, Gracchum dixisse quod subitò Senatum perpurgaret. Cúmque res experimento claruisset, maiorem adhuc eius verbis autoritatem accessisse. Cum enim Romanis Italísque, atque ipsis Senatoribus quacunque ex causa ius dicere cœpisset, siue de pecuniis, siue de ignominia, aut de fuga: Equites veluti principes quosdam supra illos extulit, Senatores verò quasi obnoxios illis subdidit. Assidentes quippe Tribunis Equites, cùm magistratus crearentur,

quae

quæcunque eis libuissent prius capientes, & in vnum conspirantes, non mediocrem Senatui incusserant timorem. Parum itaque deesse videbatur ad conuertendam Reipub potentiam, cum dignitatem duntaxat Senatus obtineret, Equites verò potestate fruerentur. Præcedentes quidem non solum primores habebantur cum causæ agitarentur, verum apertè in Senatum opprobria ingerebant. Munera præterea assumentes, & continuis allecti præmijs, turpius adhuc & frequentius illo abutebantur. Accusatores ad hæc in diuites induxerant, & acceptorum munerum causas, instantes ipsi & vrgentes ad se transtulerant, sic vt mos penè huiusmodi antiquaretur & seditionem aliam iudicialium legum non priore inferiorem propagarent. Gracchus itinera per Italiam ingentia constituit, magnam operariorum & artificum manum ad se alliciens paratam ad quæcunque ei collibuissent. Colonias quoque plures deduxit, inter quas Latinos præ cæteris Romanorum dici voluit, vt Senatus illis veluti cognatis haud honestè posset aduersari. Cæteris autem quibus Romæ suffragia in creandis magistratibus afferre non licebat, in hunc modum ferre concessit, vt qui tributa persoluissent, in creatione legum fierent participes. Quibus ex rebus conterritus Senatus, Consules adscribere

monuit, ut ex ijs qui suffragia ferre non possent, ex Urbe nemo egrederetur, nec ad quadraginta stadia ad futurã legum creationem propius accederet. Liuium autẽ Drusum alterum Tribunum, ut Gracchi legibus obsisteret adhortatus est, quòd causas populo minimè referret. Concessumq; ipsi obsistenti nihil aduersari Cui decem colonias deducere uolenti, Senatus ut populo placeret, ultro acquieuit. His ex rebus lætatus populus, Gracchi legem facilè contempsit. Itaq; populari fauore destitutus Gracchus, simul cum Fuluio Flacco, qui post Consulatum, Tribunitiam potestatẽ affectabat, in Libyam enauigauit ex sorte diuisurus colonias ijs qui consulto delecti fuerant, ut ex eorum profectione à popularibus contentionibus quiesceret Senatus. Illi uerò coloniã eò loci condidere, ubi Carthago quondam fuerat, nihil pensi facientes. quod Scipio eã euertisset, meditatus assiduè ibi stabula futura ouium. Descripsere autem ex minoribus ad sex millia ea lege, ut ex hac populum ad se allicerent. Deinde Romam reuersi ex omni Italia sex item millia dimitti postularunt, Quibus in Libyam deductis, cũ urbem designarent, lupi metas ab utrisq; positas dissipasse referuntur. Prædicentibus itaq; auguribus coloniam eam infelicem fore, Senatus ut legem solueret, concilium iussit conuocari, Tum uerò Gracchus

ac Fuluius furibundis similes Senatum emen tiri , nec quicquam ex ijs quæ de lupis ferebantur, nunciatum esse clamitabãt. Qui verò ex plebeijs audaciores aderant , ipsis adhærere , & gladijs accincti Capitoliũ ingredi properant , & eo in loco vbi de colonia erat consultandum , simul conuenire. Populo igitur in vnum coëunte, & Fuluio de his loqui incipiẽte, Gracchus Capitolium ascendit, vndique armatis circumseptus , permolestè ferens se aduersis oppugnari legibus. Conuenientium itaq; multitudinem euitans , in propinquam porticum perambulabat: ingredientes continuè obseruans, His ita se habentibus , contemplatus eum vir quidam popularis Attilius nomine, ad eum accurrit, & manu apprehensum. siue quid suspicaretur , siue mentem eius præsentisceret, siue alijs rationibus ad id induceretur, deprecari cœpit , vt patriæ ignosceret. Verum ille conturbatus, despicientisq; similis, toruo lumine in eum conuersus nihil respondit. Quod animaduertens quispiam ex ijs qui vnà aderant , non signo vllo dato , non iubente aliquo, ex solo Gracchi intuitu tempus adesse ratus, & inprimis ipsi gratificari studens , exerto ense Attilium inuadit. Vociferatione itaque insecuta , & demortui corpore in medium allato , intuentibus cunctis , & similem casum sibi præcauentibus , fuga ex templo facta est.

Gracchus forum ingressus, & se apud omnes purgare cupiens, de his verba facturus videbatur. Nemine verò adhibente aures, cum facinus quisque abhorreret, vnà cum Flacco desperatis rebus, & tempus quod armis praeuenire satagebat amittens, domum perfugit. Et qui cum illis conspirauerant, in vnum abeunt. Reliqua autem multitudo circa mediam noctem instanti periculo territa, forum inuadit, Consulum alter Opimius nomine, vt in trepidatione mos est, nõnullos cum armis in Capitolium festinare imperat, Senatumque per praeconem conuocari. Ipse omnium medius, Castoris in templo ac Pollucis rei euentum quietus expectabat. Haec enim in hunc modum acta erant. Senatus Gracchum, ac Fuluium, quò obiectum crimen perpurgarent, ex eorum domibus citari iusserat. Illi assumptis armis Auentinum montem properè ascenderant, rati, cum illum occupassent, facilius Senatum cum ipsis ad foedera venturum esse. Decurrẽtes quoque seruos in libertatem conuocarant. Nemine ex illis apparente, cum his qui eos circumsteterant, Dianae templum inuadentes, per vim retinere conabantur. Quintum insuper Flacci filium ad Senatũ praemittentes, & conciliationẽ & concordiam supplices ab eo deposcebant. Senatus depositis armis ad concionem accedere eos iubet, & quae libuissent palã loqui, aut neminem

vlter

Vlterius ad eum mittere. Ea ex causa cum Quintum denuo misissent Opimius consul detineri eum iussit. Ad eos verò qui Gracchum circunsteterant, milites subitò emittit. Gracchus per pontem ligneum ad alteram fluminis euectus partem, vnico comitante seruo in siluam aufugit, à quo subinde confodi se imperauit. Flaccus in taberna quadam delitescens, cum eum persequentes locũ ignorarẽt, omnéq; angiportum, ni ipse traderetur, incensuros minarentur, traditus supplicẽ se profiteri renuit, alium verò pro se iussit supplicare: ob idq; captus interficitur. Gracchi & Fuluij capita à nonnullis Opimio allata, pro quibus superbe admodum Opimius aurum impendi statuit. Domus eorum à populo direptæ, complices carceri inclusi, Opimij mandato suffocati sunt. Flacci filio concessum, vt genus mortis eligeret. Quibus peractis, consul vrbem à cæde perpurgauit. Senatus Concordiæ templum in foro sibi erigi mandauit. In hunc igitur modum secundi Gracchi seditio extincta est. Lex autem non multò pòst edita, vt tellurem, de qua inuicem contenderent, possidentibus vendere fas esset. Id enim à superiore Graccho prohibitum fuerat, ac statim diuites ab egenis illam mercabantur, aut ex huiusmodi occasione per vim auferebant: quod tenuioribus adhuc deterius cedebat. Tandem Spurius Borius Tribunus

plebis legem tulit, Tellurem vlterius non esse diuidendam, verum possidentibus omittēdam esse. Vectigalia autem populo Romano pro ea pendenda, pecuniamq́ ex his in distributiones redigēdam fore. Quæ res vt consolationem quandam ob distributionem populo attulit, ita ad abundantem multitudinem nihil vtilitatis afferre poterat. Semel quippe ex sophismatibus huiusmodi soluta Gracchana lege, cæteris quæ inueniri poterant vtiliore, salubrioreq́, non multò pòst vectigalia ipsa ab Tribuno alio sublata sunt, & confestim populus ab omnibus excidit: ob id que adhuc magis simul ciuium & militum spes, tellurisq́ redditus, ac distributiones legesq́ cessauere, quinque & decem annis à Graccho legislatore potissimum elapsis: & à controuersijs ad ocium delati sunt. Ea tempestate Scipio Consul theatrum disiecit, quod Lucius Cassius inchoauerat. Et iam contentionum finis aderat, cū alia denuo emersere. adeo non vtile Romanis fuit Gracchorū abuti illecebris. Quintus Cecilius Metellus, cum Censuram gereret, Glauciam virum Senatorium, & Apuleium Saturninum, qui Tribunatum ceperat, ob vitæ turpitudinē dignitate summouere conatus, aduersante collega repulsus est. Non multò pòst Apuleius, vt Metelli vlcisceretur iniuriam, Tribunatum petens, Glauciam Prætorem obseruare

cœpit

cœpit Tribunorum electioni præsidentem. Cæterum Nonius vir illustris in Apuleium inuectus, & Glauciam accusans, Tribunatum adeptus est. Veriti igitur Apuleius & Glaucia, ne tribunus effectus in eos insurgeret, turbam quondam satellitum à concione abeunti cum tumultu immisere, & in diuersorium fugientem interficiunt. Casus autem crudelitatem miserantibus omnibus qui Glauciæ adhærebant, nondum populo in vnum coëunte, confestim Apuleium Tribunum creauere. In hunc modum Nonij cædes ob Apuleij Tribunatum silentio suppressa, cum eum redarguere nemo auderet. Expulsus & Metellus est ab ijs qui Caium Marium sequebantur, sextũ gerentem Consulatum, cum illi inimicus esse videretur. In hunc itaque modum omnes inuicem turbati sunt. Quippe Apuleius legem tulit, Tellurem omnem quacunq; Romanorũ ditioni subiecta esset, fore diuidendam ea in prouincia quæ Galatia appellabatur, Cimbri nempe Celtarum genus eam occuparant, quam Marius recens adeptam, quasi non vlterius ad Galatas spectaret, Romanis attribuerat. Instabat autem legis promulgationi populus ipse, ac Senatum præfixo quinq; dierum termino in legem iurare, aut iusiurandum non præstantes, Senatu amouere cogebat, & vlterius viginti talentorum pœna populo soluenda eos con-

demnare, arbitratus eo modo de his qui sibi aduersabantur, vlcisci posse, & potissimum de Cecilio Metello, qui ob animi fiduciam elatus, in primis iusiurandum detrectabat. Lex igitur ita se habuit. Apuleius diem approbationis suæ proposuerat, nuntios quoque ad eos qui in agris erãt præmiserat, quibus maxime sub Mario expertis in bello confidebat. Verũ Italis ea ex lege plurimum sibi vendicantibus, populus ægrè ferebat. Seditione igitur in Curia exorta, quicunq; Tribuno, ac legibus aduersabantur, conuitijs impetiti, ad Apuleium statim è Tribunali decurrunt. Ciuiũ deinde multitudo tãta voce in comitijs exclamare cœpit, vt de cœlo intonasse videretur, quo incidente nihil ex lege Romanis statuere fas fuit. Vrgentibus demum per vim his qui Apuleium circunsteterant, ciues vestes accincti, & occurrentia quæq; ligna capientes, agricolas inuadunt. Illi denuo ab Apuleio conuocati, cum lignis & ipsi ciuibus occurrunt. Eoq; modo per vim tulere legem. Mario itaq; Consule confestim statuente, Senatus iusiurandum cœpit inquirere, Metellũ quoq; robusto animo, & ad quæcunque libuisset constantẽ intuens. si loqui præuenisset. Marius in medium sententiã protulit, huiusmodi astutia vsus, ac sic effari cœpit. Metellum iusiurandum non vtiq; sponte subijsse, quod ipse præstitisset. Assentiente ad

hæc

hac Metello, & caeteris id ipsum collaudantibus, Marius concionem dissoluit. Quinta demum die, quae postrema iuxta legem ad perhibendum iusiurandum videbatur, horam circa decimam omnes cum festinatione conuocari imperat. Populum igitur ad legem inconsultè properantem, se admodum vereri dixit. Hanc autem solertiā, & sophisma solum intueri Iurare videlicet, si lex est, legi assentiendum esse. In hunc modum qui ex agris conuenissent, dissoluendos fore. Sequēti die nullā esse legē haud difficulter ostendi posse, quae per vim Ioue insuper tonante contra patrios mores lata esset. Haec effatus, nullo expectato fine, silentibus adhuc cunctis, veluti subita quadam eruptione ab insidijs facta, nullo tēporis spatio intermisso ad cogitandum, in Saturni tēplum se contulit, in quo Censores iusiurandum subire opus erat: & prior cum amicis illud praestitit, Idem & reliqui fecere timore ducti. Metellus autē non solum iusiurādum tenuit, sed vt prius instituerat, constanti animo & intrepido perstitit. Postridie Apuleius lictorem ad eum mittens è Senatu eduxit. Accurrentibus caeteris Tribunis, Glaucia & Apuleius ad eos qui ex agris conuenerant, se transtulere, fassi neq; legem illis, neque tellurem esse integram, nisi Metellus eijceretur. Hac ex re accusationem fugae illi decreuere, & Consules per prae-

tionem annunciare iubent, Metello igni & aqua, tectóq; ab omnibus interdicendum esse. Ad approbationem verò huiusmodi decreti, diem vnicam duntaxat præscripsere. Conquerentibus maximè de his ciuibus, & Metellum continuè armis circunseptum præmittentibus, Metellus eos complexus, & electionem plurimum commendans, haud æquum sibi videri, eius causa discrimen aliquod inferri patriæ. His dictis ciuitatem egressus est. Decretum verò ab Apuleio confirmatũ, quæ ex decreto vicissim Marius publicari iussit. His ex causis Metellus vir præstantissimus vrbe eiectus, & post eum Apuleius tert. Tribunatu potitus est, & quidam cum eo fugitiuus habitus Gracchum antiquiorẽ parentem sibi asserens, Quamobrem multitudo omnis cum eo ad electionem maximè operata est Gracchi desiderio. Propositis autem consulum comitijs, Marcus Antonius alteram in partem dubius electus est. Reliquam Glaucia, Memmiusq; in diuersum traduxere. Sed cum Memmius dignior existeret, veriti illũ Glaucia & Apuleius, nonnullos ad eum cum lignis in ipsa electione præmittunt, qui Memmium vulneribus aggressi, inspectantibus cunctis interfecere. Hac ex re conturbata concio statim dissoluta est, nullis legibus aut iudicibus, aut verecundia eos cohibente. Populus ira & indignati

gnati

gnatione accensus, sequenti die veluti Apuleium interfecturus accurrit. Ex hoc catera multitudo ex agris deuoluta cum Glaucia, Caioq́ꝫ Saphinio Censore Capitolium inuadit. Senatu eos interfici mãdante, turbatus Marius nonnullos armis instruxit: verum tardãte eo alij aquarum fistulas, quæ ad templum confluebant, incidunt. Saphinius tẽplo ignem immisit, ex siti se moriturum autumans. Glaucia & Apuleius Marium sibi auxilio adesse arbitrati, in primis se tradidere, & post eos Saphinius. Marius omnibus vt eos occideret inclamantibus, in Senatu conclusit quasi legalius eam rem executurus. Hi occasionem adesse arbitrati trãsennam à Senatu sustulere, & qui circa Apulium erant, præcipitauere omnes, quoad Censorem, Tribunũ, Prætoremq́ꝫ interfecerunt. Principatus consilijs adhuc assidentes ciues, cateraq́ꝫ multitudo ex dissensione confunduntur. Et Tribunus alius, qui Gracchi filius esse putabatur, primum ea die Tribunatum gessit, cum nulla vlterius libertatis, aut Reipublicæ, aut legum, aut dignitatis, aut principatus esset vtilitas. Ex quo Tribunitia potestas ad delictorum pœnas, populiq́ꝫ subsidia veluti sacrosancta quondam constituta, in hunc modũ deiecta est, taliaq́ꝫ perpessa. Interfecto à Tribunis Apuleio, Senatus, populusque Romanus vna voce clamare

occipi

occipiunt, Metellum esse reuocandum. Caeterum Publius Furius Tribunus plebis non libero sed libertino patre genitus, audacter admodum ac constanter illis resistebat, ut neque Metelli filij precibus in conspectu populi suppliciter eum deprecantis, & ad pedes eius prouoluti lacrymãtisq; flecti potuerit. Qua ex caussa puer idem ab huiusmodi prospectu pius subinde cognominatus est. In sequenti anno Caius Cornelius Tribunus Furium ipsum hac de causa in iudicium vocauit. Populus non expectato Furij responso, in conspectu omnium statim ibidem deprehensum lacerauit. Sic assidue uniuscuiusque odium in foro eminebat. Metello tandem reditus concessus est. Ferunt diem illi non suffecisse, dum ad portas urbis obuios quosque complecteretur. Ex hoc tertium ciuile bellum Apuleij cum duobus Gracchis fuisse constat, in quo tam multa in Romanos perpetrata sunt. His ita se habentibus, Sociale bellum multarum per Italiam gentium principium assumpsit. Quod subito exurgens, ad summum tandem usque peruenit, seditionésque ex urbe ob timorem sustulit. Verum finiens longe ampliores turbulentiorésque excitauit. Seditionum quoque principes potentissimos erexit, quique non legum lationibus, plebeijsque tumultibus inter se, uerum exercitibus immẽsis, subitisq; grassarentur. Id autem huic historiae inse

inserere visum est, cum ex Romana seditione principium assumens, maiores adhuc tumultus, dissensionésque conciuerit. Ortum autem sumpsit in hunc ferè modum. Fuluius Flaccus Consulatum gerens, primus Italos palàm excitasse dicitur, vt in ciuitate assumerentur, & ex subditis participes fierent dignitatũ. Quam opinionem inducens idem, cum in ea constanter diutiúsque perseueraret, à Senatu in expeditionem missus est. In qua consumpta iam dignitate consulari, Tribunatum eligere maluit, eúmque cum Graccho iuniore adipisci studuit, hæc & alia quædam cum eo etiam in Italia meditante. Ambobus autem interfectis, vt à nobis superius dictum est, multo magis Itali elati sunt. Non enim in subditorum numero pro communi portione esse sustinebant, & Flaccum, Gracchúmque ipsis præsidentes talia perpessos haud facilè perferre poterant. Ex quo Liuius Drusus Tribunus plebis, vir illustris, rogantibus Italis, legem illis de ciuilitate allaturum se promiserat. Hanc enim præcipue exoptabant, quasi subinde ex subditis futuri duces. Is igitur hac in re populo subblandiens, colonias plures in Italia & Sicilia, quæ iampridem decretæ, nondum tamen conditæ fuerant, deducere suasit. Senatum verò, & Equites qui iudiciorum causa iampridẽ inter se dissidebant, communi lege cõiungere tentauit.

tauit. Cumq; iudicia haud apertè ad Senatū traducere liceret, ad vtrosque in hunc modum deferre conatus est. Cum Senatores ob dissensiones ad tercentum ferè creuissent numerum, totidem alios ex equestri ordine eligi potissimum illis persuaserat, qui omnes in futurum iudicia exponerent. Exactiones etiam munerum ab his fieri pro crimine conscripsit, cum iam ex more quodammodo largitio haud multi fieret, quæ sine rubore quæstuæ faceret. Hac igitur ad vtrosque meditatus est. Quæ res illi in contrarium cessit. Quippe Senatus molestè admodum perferre visus, tot subito sibi admisceri viros, & ex Equitum numero ad summam vehi dignitatem, non absurde arbitratus, cum Senatores effecti essent, longe potentius primis illis seditionem in se concitaturos esse: contrà Equites non mediocri suspicione tenebantur, si ob hanc rem iudicia in futurum ab ipsis sublata ad Senatum deferrentur. Cum enim ingentia lucra potestatémq; gustassent, haud facilè ea suspicione carere poterant. Ob multitudinem præterea eorum in desperationem, pariter ac suspicionem inter se venturos esse, cuinam digniores viderentur ad tercentum eligi numerum: ac cæteris inuidiam gigni erga meliores. Super omnia verò intra se querebantur, nouum in largitionibus exorsum crimen, quod à se perfortiter explo

explosum esset. Hunc igitur in modum Equites Senatorésque, etsi aliàs inter se discordes essent, in Drusum pariter fixere odia. Solus populus Coloniarum deductione lætabatur. Itali partim pro his, ob quæ Drusus hæc in primis commentus fuerat, partim pro coloniarum deductione verebantur, quasi publica Romanorum tellus, quæ immensurata adhuc erat, haberetur. Itaque quidam vi, nonnulli clam, qui sibi statim eriperentur inuasere agros. Ex ea re plurimum propria tellure vexati Tyrrheni atque Vmbri, & ob hæc Itali metuentes, vt videbatur, ad consules in vrbem delati sunt, re quidem, vt Drusum interficerent, verbo autem vt in legem conclamarent: eóque modo constitutam diem expectabant. Id præsentiens Drusus, raro in publicum progrediebatur, verum in deambulatorio loco parum habente lucis continuè ius dicebat. Cum igitur circa vesperam multitudinem emitteret, subito se percussum esse conclamauit, vixque finito clamore in terram concidit. Repertus deinde sutoris gladius femori eius infixus. Eóque modo Drusus et ipse Tribunus occiditur. Equites itaque calumniæ principium aduersus æmulos ex illius dignitate meditati, Quintum Valerium ad tribunatum induci suadebant: Iudicium esse in Italos quærendum, qui in Rempublicam aperte aut occulte auxilia præstabant,

bant, ſperantes eo modo potentes omnes inuidiæ crimine circunuenturos eſſe, ſe verò fore Iudices, hisque eiectis facilè vrbis imperium adipiſci poſſe. Recuſantibus itaque cæteris Tribunis proferre legem, Equites enſibus nudis circunſtantes eam protulere. Qua lata confeſtim Senatorum præſtantiſsimis accuſatores adſcripſere, quibus Viſtius haud obediens ſponte profugit, veluti ſeipſum non traditurus in manus hoſtium. Poſt illum Cotta in iudicium venit. Cum autem elatè admodum pro ijs quæ in Republica geſsiſſet loqueretur, & Equites reprehenderet, priuſquam decreto vrbe eijceretur, egreſſus eſt. Munius Græcia capta ab Equitibus eum ſoluere pollicentibus, inſidijs petebatur. Qua ex cauſa turpiter iudicio fugere compulſus, in Delo vitam egit. Increbreſcente itaq; dietim malo in optimos quoſq;, populus triſtari cœpit, talibus, tantisque ſibi ereptis ingemiſcens viris. Itali quoque Druſi clade percepta, aliorúmque ad fugam occaſionem intuentes, haud facilè ea tolerare poſſe rati, ſi illis ſubditi ea pati cogerentur, nec aliam in Republica degendi formam vlterius ſperarent, à Romanis defecere, bellumq; in illos acriter inferre ſtatuunt. Clàm verò inter ſe fœdera ineuntes, obſides ad fidem mutuã hac de cauſſa tradidere. Quæ res permultũ temporis Romanos ob diſſenſiones & iudicia in vrbe latuit.

fuit. Cum autem animaduersa esset, nonnullos ad Vrbes demisere qui hæc secretò à complicibus exquirerent. Ex his cum quidam adolescentem ex Asculi Vrbe obsidem datum, & ad aliam delatum Vrbem intueretur, statim Seruilio proconsuli circa ea loca præsidenti notum facit. Erant quippe Vt Videtur, Italiæ proconsules per partes præsidentes, quos multo deinde tempore imitatus Hadrianus cum princeps extitisset, Romanis innouare studuit: qui ordo post illum breui permansit. Seruilius igitur ira accensus, arrepto cursu ad Asculum Venit, ciuibúsque in publico solennia agentibus grauiter insultans, occisus est. Cunctis itaque eos deficientibus, Fonteius post illum legationis caussa demissus, & ipse interfectus est. Sic enim illos qui gentibus præsunt, & à Senatu ad subsidia mittuntur, legatos solent appellare. Occumbentibus his, neque cæteris Romanorum Venia Vlla adhibebatur, sed omnibus apud se moram ducentibus, insurgentes Asculani Vitam ademerunt, bona eorum prædæ exposuerunt. Patefacta iam tandem defectione omnium, quicunque Asculanis finitimi fuere, ad arma concurrunt, Marsi scilicet, Malini, Vistini, Maruceni, & Vltra hos Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venusini, Iapyges, Lúcani, & Samnites, quæ gens prius aduersa admodũ & grauis Romanis fuerat,

& quicunque alij à Lario flumine, qui (vt mihi videtur) ad Liternum defluit, & quicquid ad Ionium sinum pedestri maritimóque itinere patet, hi omnes legatos ad Romanos misere, apud eos conquerentes, quod omnia ad principatum illorum mediati, haud digni eorum Republica habiti fuissent. Quibus Senatus acerbe respondit: Si eorum quæ egissent, illos pæniteret, legatos ad se mitterent: sin minus, mittere desisterent. Illi desperatis rebus ad bellandum sese præparát: quibus exercitus ex vrbibus in commune affuere, equitũ vnus, peditum reliquus vsq; ad centum millium numerum. Romani æqualem illis ex aduerso statuere, partim à seipsis, partim à socijs Italiæ vrbibus & adhuc in fide manentibus collectũ. Romanis Sextus Iulius Cæsar, & Publius Rutilius Lupus consules præerant, ambobus tanquam ad magnum & finitimum egressis bellum, cum reliqui portas mœniáque tuerẽtur. Quemadmodum autem domestico & vicino maxime opere. & circa leges eorum dissidente variarumq; partium adhibẽtes animum Prætores consulibus ex optimis quibuscunque addidere: Rutilio videlicet Cn. Pompeium parẽtem Pompeij illius qui magnus cognominatus est, ac Quintum Capionẽ, Caiũ Perpennã, Caiúmque Marium, ac Valerium Messalam. Sub Sexto Cæsare Publiũ lentulum, ac fratrem ipsius

Cæsa

Cæsaris, & Titum Didium, Licinium Crassum, Cornelium Syllam, & præter hos Marcellum. Tot enim viri sub Consulibus inter se diuisi prouinciam administrabant, quibus omnibus Consules præerant. Alios præterea Romani illis obsequentes, veluti ad insigne quoddam bellum vnicuique miserant. Italis duces ex vrbibus alij aderant communes in communi exercitu: quibus omnibus præerat Titus Afranius, Caius Pontilius, Marius Ignatius, Quintus Pompedius, Caius Papius, Marcus Lamponius, Caius Iudacilius, Erius Asinius, & Vectius Cato: qui exercitum inter se diuidentes, Romanorum ducibus aduersi stete rant, multa inferentes damna, multaq; patientes. Quorum omnium, vt à principio digniora exequar, huiusmodi fuisse ordinem constat. Vectius Cato Sextum Iulium acie propellens, duobus millibus in bello cæsis ad Aserniam deduxit vrbem, Romanorum fauentem partibus. Itaque Lucius Scipio, & Lucius Acilius seruorum vestes induti, fuga abiere. Cæteri tempore fameq; perdomiti, se illi dedidere. Marius Ignatius Venefrano per proditionem recepto, duas Romanorum cohortes in ea deprehensas interemit. Præsenteius autem Publius Perpennam ad decem millia hominum ducentem in fugam vertit, ex quibus ad quatuor millia cæsa sunt, reliquis maiorem armorum ademit

partem. Qua ex re Rutilius consul Perpennam ab exercitu summouit, eiusq; copias Caio Mario subiecit. Marcus autem Lamponius ex his qui cum Licinio Crasso aderant, ad octingentos occidit. Reliquos ad Adrumetum Vrbem insecutus est. Caius Papius Nolam ex proditione recepit, & Romanis ad duûm millium numerum in ciuitate ea residentibus publice per Praeconem annunciari iubet, si cum eo militare vellent. Quoscunque igitur conditionem admittentes in armis habuit. Duces militiam recusantes carceri inclusos fame necauit. Castabulos praeterea cepit. Minternum quoque & Salernum, quae Romanorum colonia fuit, & captiuos ex ea habitos seruósque militiae adscripsit: quaecunque Nuceriae finitima incendit igne: Vt que ciuitates proximas timore afficeret, exercitum sibi dari postulauit. Cui peditum decem millia, Equites mille attributi sunt. Cum his Papius ad Acherras castra posuit. Sexto autem Caesare Galatarum peditum decem millia, & Numidas Maurusiósque deducente Equites, & ad Acherras accedente, Papius Oxintham Iugurthae Numidarum regis filium, qui á Romanis Venusij custodiebatur, Vrbe extulit. Hunc purpura regia Velatum, saepenumero Numidis, qui cum Caesare aderant, ostendit. Multis igitur Numidarum ad eum tanquam regem fugientibus,

bus, reliquos Cæsar veluti suspectos in Libyam demisit. Papio strenue ad eum accedente propius, & partem valli diruente, Equites reliquos è portis emittens Cæsar ad sex millia hostium occidit, & subinde ex Acherris exercitum deduxit. Iudacilio in Iampyga existenti, Canusium, Venusiúmque & pleraq; alia ciuitates adhæsere, quasdam etiam sibi aduersantes idem obsedit, & qui illustriores in his fuerant Romanorum interemit, populares, item seruosq; militiæ adscripsit. Rutilius Consul, & Caius Marius supra flumen Lyrim pontes transeundi causa non magno inter se spatio coniunxerant, quibus Vectius Cato aduersus steterat non longe à Marij ponte. Clàm itaque noctu circa Rutilij pontem insidias in valle disponit. Simul autem Rutilium in transitu videre dissimulans, insidias educit, pluribúsque inter arida necatis, multos flumini immersit. Hoc in prælio Rutilius ab hostibus sagitta caput saucius, non multo post interijt, & Marius ad alterum constitutus pontem, ex corporibus fluuio immersis atque natantibus cladem arbitratus, expulsis his qui propius obstiterant, fluuium superat, Vallúmque Catonis paucis custodientibus intercipit, vt Cato eo in loco quo victoriam adeptus fuerat, pernoctare, & commeatu destitutus statim copias abducere coactus sit. Rutilij multo-

 rumq;

rúmque illustrium corpora Romam delati, quò sepulcro mandarentur, miserandum præbuere spectaculum, Consulis, totque aliorum intuentibus funera, & per plures dies luctus excitatus est. Ea ex causa Senatus defunctorum corpora, quæ in bello occubuissent, eo in loco sepeliri vetuit, quo aliorum humarentur, vt ab oculis militum quàm lōgissime abessent. Quod hostes intelligentes, vicissim & de suis statuere. Rutilio successor reliquo anni tempore nemo substitutus. Sextus Cæsar cum quietem minime ageret, sed continue ad comitia Romam commearet: Senatus exercitui, cui ipse præerat, Caium Marium, & Quintum Cepionem præsidere voluit. Ob eam rem Cepioni aduersus Quintus Pompedius Prætor, trāsfugæ in morem ab exercitu recessit, duos impuberes seruos secum trahens, filiorum in morem purpureis ornatos vestibus: eósque in potestatem sibi tradidit: & vt fidem promereretur, massas quasdam plumbeas auro argentóque contectas vnà detulit, summáque celeritate Cepionem adhortatus est, vt cum copijs insequeretur, quasi illi duce destitutum relicturus exercitum. Ductus credulitate Cepio, eum insequitur. Pompedius loco proximus vbi insidiæ latebant, collem quendam veluti hostes speculaturus ascendit, signúmque illis extulit. Hi ex insidijs pro-

deun

deuntes, Cepionem, pluresq; alios ibidem captos interemere. Cepionis exercitum Senatus Mario adiunxit. Sextus Cæsar cum peditibus triginta millibus, Equitibus quinque millibus per vallem quandam locaque scrupulosa delatus: Mario Ignatio subito occurrente in vallem compulsus, ingruente morbo ad lectum transire cōpellitur, fluminis cuiusdam in ripa, cui vnicus per pontem patebat aditus. Quamobrem maiore exercitus sui parte deleta, reliquorum amissis armis, vix tandem in theanū fuga delabitur. Residuos cum eo existentes, quoad licuit, instruxit armis. Cætera multitudine ad eum fugiente, supra Acherras, quæ adhuc à Papio obsidebatur, castra posuit. Exercitibus vtrique assistentibus, neutrique alter alteri ob timorem congrediebatur. Marsos autem Cornelius Sylla & Caius Marius aggressi continue insequebantur, quoad vitium obligamina incurrerent. Cum verò Marsi vitium nodos ægrè superarent, Mario ac Syllæ vlterius progredi haud visum est. Cæterum Cornelius Sylla ab altera vitium parte castrametatus, difficultatem hostibus obiectam animaduertens, Marsis fugientibus occurrit, multosq; interficit, vt ad numerū ferè sex millium extincti referantur, & longe plura à Romanis arma suscepta sint. Marsi ferarum more se deceptos ægrè ferentes, iterum cepere arma,

 denuo

denuóque cum ipsis cõgredi conantur. Sed cum illi pugnam detrectarent, belli initium nusquam factum. Est enim Marsorum natio bellicosissima admodum. Feruntque hac ipsorum duntaxat culpa triumphum de illis habitum, cum prius neque aduersus Marsos, neque sine Marsis triumphus vllus adeptus sit. Circa Falernum montem Iudacilius, & Titus Afranius & Publius Ventidius cum Cn. Pompeio inuicem congressi, in fugam vertere, & ad vrbem vsque Firmum persecuti sunt. deinde ad alia duxere copias. Afranius Pompeio intra Firmum incluso castra apposuit. Ille verò caeteros in armis praeparans, ad bellum nõ prodibat. Aduentante alio exercitu, Sulpitium à tergo Afranio immittit, ipse in fronte progreditur. Itaq; dum praeliũ geritur, laborãtibus vtrisq;, Sulpitius hostium castris iniecit ignem. Quod intuentes illi, ad Asculum perfugiunt, nullo militari ordine carpentes iter. Afranius pugnans interimitur. Pompeius ad Asculum profectus, vrbem obsidebat. Erat quippe Asculum Iudacilij parentis oppidum: quò timore ductus Iudacilius cum cohortibus octo confestim accessit. Praemissis ad Asculanos nuncijs, iubet vt cum longe venientem viderint, subitò accurrant, hostiúmque circunstantiũm castra aggrediantur, vt praelium vtraque ex parte in eos gereretur: quod ab Asculanis neglectum est.

Iudac

Iudacilius igitur per medios hostes cum quibus potuit vi delatus, eorum timiditatem infidelitatémque redarguit, quasi vlterius vrbem tueri desperarent. Aemulos verò qui cum eo prius dissidebant, & tunc quidem multitudinem à mandatis suis deterruerant, interemit omnes. deinde in templo pyram erigens, supra eam mensam statuit, & in summo cum amicis epulatus est. Perseuerante adhuc conuiuio, venenum introducitur, quo sumpto supra pyram sese collocans, vt ignem illi immitterent orauit. Sic Iudacilius egregie pro patria contendens, extinctus est. Sextus Cæsar cum deponendi muneris tempus accessisset, proconsul à senatu electus, viginti millibus hostium qui in exercitu aderant, occurrit: ex quibus ad octo millia occidit, plurium etiam assumpsit arma. Circa Asculum castrametanti cum creatio eius in longum traheretur, morbo decessit, Prætorem eius loco Caium Bebium instituens. Et hæc quidem circa Italiam Ioniúmque gesta. Intelligentes autem hæc illi qui ab altera Romæ parte incolunt Tyrrheni & Vmbri, & aliæ his finitimæ nationes, ad defectionem vnà consenserunt. Veritus igitur Senatus ne hostibus omni ex parte ingruentibus, vrbem minus tueri posset, mare omne à Cumis ad vrbem vsque libertis communiuit, tunc primum ad militiam ob virorum inopiam accitis: Italos verò in so-

cietate permanētes adhuc, reliquorum ciuium numero adscripsit, quod vnicum ab omnibus maxime expetebatur. Idem & Tyrrhenis concessere, qui ciuilitatem cupidissime complexi sunt. Hac igitur charitate vsus Senatus, ex benignus longe benigniores sibi reddidit, & qui dubij adhuc erant, in fide confirmauit. Aduersantes praeterea in bello spe huiusmodi ciuilitatis mitiores habuit. Hos nuper in vrbem delectos viros, Romani neutique eorum tribubus, quae trigintaquinque numero fuere, statim miscuerunt, ne priscis illis numero superiores, in creationibus aliquando anteferrentur: verum eas decimantes, alias denuo ex illis creauere: in quibus vltimi suffragia ferebant, & plerunque eorum calculus nullius ferè momenti habebatur, cum quinque & triginta in primis vocarentur, quae supra dimidium reliquas excederent. quod à principio, efflagitantibus Italis, eos latuit. Cū verò res cognita fuisset, alterius dissensionis causam praebuit. Qui autem circa Ionium fuere, nondum Tyrrhenorum paenitentia perspecta, quindecim virorum millia, longis itineribus nulla intermissione in auxilium eis praemiserunt. Quibus occurrens Cn. Pompeius iam tum Cōsulatum adeptus, ad quinque millia occidit. reliqui verò ad propria per regionem sterilem hyberno tempore summo labore reuerti satagentes, cum dimidia ferè eorum

pars

pars glandibus toleraret famem, inopia consumpti sunt. Eadem hyeme Cornelius Cato Pompeij collega contra Marsos bellum gerens interfectus est. Lucius Cluentius ad Pompeios montes Syllæ castrametanti, summa diligentia bellum gerens, vix tribus stadijs longius aberat. Eam ignominiam cum ægrè perferret Sylla, non expectatis ijs qui pabulatum mittebantur, Cluentium aggreditur: ac tum quidem victus effugit. Sylla assumptis deinde pabulatoribus Cluentium inuadit, auertitq; qua ex causa longius castra ponere compulsus est. Galatis deinde ad eum confluentibus, iterum Syllæ propius accessit. Cum vterque exercitus ad bellum conueniret, Galatæ quidam vir corpore eximio, cursu cæteros anteuectus, quempiam ex Romanis in pugnam prouocat. huic occurrens Maurusius statura perbreuis, protinus superat, occiditque. Eo aspectu conterriti Galatæ fugam capessunt, dissoluto ordine: nec acierum vlla Cluentio vlterius substitit, verum Nolam concito cursu turbatæ aduolant. Quos continue insecutus Sylla, ad triginta millia interemit. Nolanis deinde per portam cum suscipientibus, ne hostes ipsis insurgerent, reliquos omnes circa mœnia ad numerum viginti millium occidit, cum quibus & Cluentius egregie pugnans interimitur, Sylla deinde ad alias delatus nationes, quæ Hirpinæ appellantur, cum

cast

castra illis apposuisset, in Nolanos decurrit. Hi Lucanos exorta luce in auxilium ipsis venturos expectabant. Tempus itaque ad consultandum à Sylla petiere. Ille intellecta fraude, horam Nolanis diffinit, & oppidum ligno vallatum, appositis scalis post horam protinus ascendit. Ea ex trepidatione compulsi ciues, vrbem Syllæ tradidere. quam ille necessitate potius quàm beneuolentia sibi obsequentem, prædæ exposuit. Cæteris se dedentibus veniam concessit, donec Hirpinas nationes omnes sibi subdidit: & in Samnites deduxit exercitum, non his quidem itineribus quæ Emotilus eorum dux diligenter obseruabat, verum aliam nactus itinerationem per anfractus ignotam plurimis ex ea hostibus inuectus est, multósque ex ijs occidit: reliquis sparsim fugiētibus, Emotilus cum paucis in Asperniam saucius aufugit. Sylla sublato exercitu in Buanos transgreditur, quæ gens commune deficientium receptaculum fuit, cum tribus arcibus insigne eorum esset oppidum, & Buani ea fiducia Syllæ aduersarentur. Ille nonnullis præmissis, quam primam ex omnibus arcem ascendere possent, iubet occupare, deinde ex fumo rem notam sibi facere. Prodeunte igitur fumo, qui à fronte constiterant aggreditur, ac tribus continuis horis prælio decertans, vrbe potitur. Et hæc quidem æstatis temporibus feliciter à Sylla gesta. Instan

stan

stante hyeme, Romam ad consulatum petendū reuersus est. Cn. autem Pompeius in Marsos, Mauricenos, Vestinósque deduxit. Caius Cosconius alter Romanorum Prætor cum exercitu delatus Salpiam incendit, Cannásque suscepit, & ad Canusium dispositis castris, Samnitibus illi insurgentibus strenue obstitit quousque cædes vtraque ex parte insignis editur: & Cosconius copijs debilitatus intra Cannas recedere compellitur. Trebatius Samnitum dux flumine vtriusque copias excludente, Cosconium adhortatur, vt vel superato fluuio ad ipsum pertransiret, vel ripa fluminis excedens transeundi facultatē sibi traderet. Ille igitur loco cessit, & Trebatio transeunti occurrens pugna superior euasit. nam illo supra fluuium arripiente fugā, ad quindecim hostium millia interemit. Reliqui cum Trebatio ad Canusium celeri fuga delati sunt. Cosconius Larinensium, Venusinorum, Asculanorúmque vastatis agris, in Podiccos peruenit, duobusq; diebus nationem illā superauit. Cecilius Metellus successor illi substitutus, ad bellū cum venisset, in Iapygas descendit, eosq; bello deuicit. Et Pompilius alter ex ducibus qui in bello defecerant, interim occubuit. Reliqui per partes ad Cecilium venere. Et hæc quidem per Italiam Sociali in bello gesta sunt, cum in maius augeretur, quoad Italia omnis in populi Romani Republicā concessit

cessit: Lucanis & Samnitibus eo tempore exceptis. Videntur quippe & hi eadem posterius assecuti, & inter tribus, quemadmodum priores, separatim electi esse, ne si priscis miscerentur, in creationibus longe praecellerent numero superiores. Per idem tempus optimates in Vrbe contendere cœpere: cum quidam debita cum Vsuris emerent, lege quadam Veteri iubente, sub pœna fœnus fœnerari minime licere: qui id effecisset, eandem mulctam ab illo subeundam esse. Abhorruisse mihi quidem Videntur Veteres Romani fœnoris consuetudinem, quemadmodum & Graeci, nec secus ac cauponandi quaestum quendam existimauisse, grauē intolerabilémque pauperibus, & inimicitias Vltrò procreantem. Qua ratione commoti Persae, commodari, deceptibile quoddam, mendaciĳsq; refertum esse existimant. Consuetudine deinde temporis fœnus approbante, hi quidem secundum morem exigebant, illi Verò Veluti ex bello, & seditionibus redditiones exhibebant. Erant & qui fœneratores pœna mulctandos esse praedicarent. Quippe Asellius Praetor, ad quem ista ferebantur, cum fœnus dissoluere nullo modo posset, iudicia illis Vicißim attribuerat, quae difficultatem ex moribus legéque prodeuntem diffinirent. Legem itaque Veterem innouari moleste ferentes qui fœnus exercebant, Asellium hunc in modum interemere. Forte sacra

Castori

Castori Pollucique in foro celebrabat. multitudine itaque illis in sacris assidente, quidam lapide prius emisso phialam excussit, & ad Vestæ templum subito accurrit. Nonnulli igitur eum præcedentes templo exclusere, demum in diuersorium fugientem interficiunt. Multi ob id persequentium ad eorum virgines eos fugere arbitrati, eum ad locum delati sunt, quem viris ingredi minime fas fuit. Has ex causa Asellum Prætorem sacra peragentem, sacerdotémque, & veste aurea, vt in sacris mos fuit, assidentem, horam circa secundam fori medio interemere. Senatus per præconem statim annunciari iubet, si quis Asellij interfectorem publicaret, libero quidem argentum, seruo libertatem, conscio veniam polliceri. Quod nemo propterea facere est ausus, fœneratoribus interim reum occulentibus. Hæ igitur cædes, ac dissensiones adhuc intestinæ ciuilésque per partes extitere. Dehinc exercitibus magnis seditionum principes bello legibúsque adinuicem certarunt, cum patria veluti brauium in medio consisteret. Transitus autem ad hæc & origo statim post Sociale bellum in hunc modũ prodit. Cum Mithridates Ponti & aliarum, gentium rex, Bithyniam & Phrygiam, & his finitimam Asiam ingressus esset, vt à nobis superiore libro perscriptum est: Sylla Cõsul electus Asiæ expeditionem Mithridaticúmque sortitus

tus est bellum, dum Roma adhuc esset. Marius verò belli opportunitatem vtilitatemque considerans, cum illud affectaret, Publium Sulpitium Tribunum, qui ad hæc opem illi afferret, multis pollicitationibus inducere tentauit: Nouos etiam ex Italia ciues, qui minus possiderent, ad suffragia per omnes tribus spe quadã dissidere persuaserat, nihil de necessitate sua prælocutus. quibus vt seruis in omnibus vsus est obsequentibus. Ac propere Sulpitius de his rebus legem tulit, qua confirmata necesse erat quicquid Marius aut Sulpitius cuperet, effectum consequi. nouis ciuibus longè priscos numero exuperãtibus. Verùm qui antiquiores aderant, hæc ipsa cognoscentes, acerrime nouis resistebant, lignis, lapidibusq; in eos depugnabant. Increbrescente dietim malo, veriti Consules, approbatione legis potissimum instante, plurium dierum vacationem instituere, quemadmodum festis diebus ac solennibus mos fuit. vt aliqua interim mutatio creationis tumultúsue fieret. Verùm Sulpitius vacatione minime expectata, seditiosos quosque tectis ensibus ad forum iubet accedere, & quicquid necesse foret exequi, nec Consulibus parcere, si occasio expostulet. Cum omnes prompti adessent, vacationem vt iniquam accusare pergit, iubétq; Cornelium Syllam, ac Quintum Pompeium Consules vacationem subito dissoluere, vt approb

probationem legis afferat. Elato tumultu, qui illum circunsteterant, enses exerunt, & Consules ipsis aduersantes interficere velle minantur: ob id Pompeius latitans effugit, Sylla veluti consulturus paulatim cessit. Filium verò Pompeij Syllæ adsistentem, & pleraq; audacius locutum, illi ipsi Sulpitij sequaces interficiunt. Sylla in concionem reuersus vacationẽ dissoluit. Deinde veluti Capuam ad exercitum iturus, ex Capua in Asiam ad Mithridaticũ bellum sese præparat. Non enim quispiam quæ ab eo agitabantur intellexerat. Sublata vacatione, & Sylla ab vrbe remoto, Sulpitius legem protulit, & Caio Mario cuius causa hæc agebat, Syllæ loco Mithridaticum bellũ destinat. His perceptis Sylla bello quamprimum decernere statuit. Milites igitur in concionem conuocat, quemadmodum Marius Mithridatico bello inhians lucri causa, milites alios ipsis antetulerit, annuntiat, contumeliam omnem in Sulpitium & Marium refert, nihil aliud aperte queri ausus non enim de uello palam fari audebat, monuit vt ad mandata parati essent. Hi quæ facere audeat, mente cogitantes, ac de seipsis plurimum soliciti, ne interim expeditione illa priuarentur, quæ animo conceperint, Syllæ referãt, suadent vt se fidenter Romam ducat. Quibus exhilaratus Sylla, sex militũ legiones confestim mouet. Verum

exercitus primores, quæstore vno duntaxat excepto, non sustinentes hostiles copias patriæ inferre, Romã properè accurrunt. Legati cum Syllam ad urbem properantem offendissent, rogare incipiũt, qua ex causa cum armis exercitum in patriam deduceret. Quibus ille, vt eam à Tyrannis liberaret: & hæc bis terq; alijs atq; alijs præfatus legatis, simul annuntiare iubet, an velint Senatum cum eo, ac Marium Sulpitiumq; in campo Martio adesse, & agere quæcunque illis videbuntur? Appropinquante eo Pompeius collega laudatis ijs quæ egisset, & approbatis, ad Syllam accessit, ad omnia paratus obsequi. Marius & Sulpitius modico interuallo apparatus indigentes, legatos alios emisere, quasi & hos Senatus destinasset: rogant ne propius ad vrbẽ quadraginta stadijs castra locet, quousq; de præsentibus inter eos consultum sit. Sylla & Pompeius legatione animaduersa, id facere velle respondent: ac statim legatos abire imperant. Sylla valles, & quæ propinqua fuere mœnibus loca militum legione occupat. Pompeius colles alia legione communit. Tertiam Sylla ad pontem ligneũ emittit. quartam ante vrbis muros in supplementum iubet subsistere. Ipse cum cæteris vrbẽ ingreditur hostili opinione & opere. Qua ex causa, qui circa illum inhabitabãt, desuper tela emittere cœpere, quoad eorum domos

mos incendere velle cõminatus est. Tunc autem sese continuere Marius & Sulpitius ad Esquilium forum, cum quibus armati potuere, illi occurrunt. Fit statim hostilis pugna. Tum quidem primum in Vrbe, neq; sub seditionis imagine, vt prius, verum nulla excusatione, cum tubis, signisq; veluti belli lege decertarunt. Ad tantum eos flagitiũ dissensionum peruexit incuria. Conuersis Sylla militibus, ipse arrepta aquila in periculum sese immittit, quasi Imperatore opus esset, & vt si quis vexillis abesset, verecũdia ductus à fuga temperaret. Caeteram multitudinem in praeliũ conuertit, ac primũ tyrones ab exercitu omni aduocat, alios per Suburrae viam emittit, qui celerrime hostes à tergo inuaderent. Qui autem circa Marium fuere: insurgentibus debiliter obstabant, ob viarum transitus circumueniri se ab hostibus verentes. Ciues igitur è domibus eorum depugnantes aduocabant, seruis etiam libertatem pollicebantur qui opem attulissent. Nemine prodeunte ad bellum, desperatis rebus, ex Vrbe fuga se proripiunt, & cum illis quicunq; illustriores vnà conspirauerãt. Tunc verò Sylla viam quae sacra dicitur, ingressus, quoscunq; ad praedam accurrentes in medium nactus supplicio affecit. Praesidijs etiã in Vrbe dispositis per partes, ipse & Pompeius hinc inde peragrantes, noctem peruigilem egere, ne

quid ab ijs qui timebantur, aut à victoribus crudelius fieret in urbe. Orta luce populum ad concionem conuocàntes, de Republica gubernatione questi sunt, quasi maiori ex parte popularibus quibusdam ambitiosis addicta esset: quantumq; ipsi ex necessitate fecissent, retulere. Addidere etiam, nihil ulterius ad populum, nisi prius consultum, afferri debere: quod antea consuetum, iampridē fieri desijsset. Creationes etiam munerum, ac dignitatum non à tribubus, sed per turmas esse faciendas, quemadmodum à Tullio rege concessum fuerat: arbitrati ob hac duo, legem videlicet nullā ante Senatum ad multitudinem deferri posse, neque creationes tenuioribus & audacibus diuitum & bene consulentium loco collatas, dissensionum occasiones præbituras esse. Multaq; alia ex Tribunorum principatu tyrannice potissimum effecta tollentes ad Senatum, tunc quidem ex paucitate penè contemptum, ex optimis trecentos viros elegere, ac quæcunq; à Sulpitio statuta fuerant, post decretam à Consulibus vacationem, ut illegalia aboleuere omnia. In hunc modum igitur seditiones ex lite & contentione ad homicidia, ab his ad prælia demum peruenere. Et ciuium exercitus tum primum in patriam veluti hostilem illati: neq; propterea seditiones quanquam per exercitus interim diuisa cessauere: verum impetus continue

tinue in Vrbem facti, maniumq; expugnationes, & quæcunq; alia hostili opere fieri assueta, cum nullius reuerentia eorum violētiæ obsisteret, siue legū, siue ciuiū, aut patriæ ipsius. Tunc igitur Sulpitium Tribunatum gerentem adhuc, & cum eo Marium sexies consulem, eiusq; filium, Publiū quoq; Cethegum, Iunium Brutum, Cneum, & Quintum Granniū, Publium quoq; Albinouanum, Marcum Lectorium, & reliquos Mario fauentes ad duodecim numerū Vrbe pepulere: &, vtpote qui seditionum causas, prælia Consulibus, seruis libertatem ad defectionem intulissent, populi Romani hostes ex decreto vulgauere: Licere ex his obuium sine pœna occidere, aut ad Consules deducere: & eorum bona in publicum esse deferenda. Ac protinus ad eorum inquisitionem accursum est. Nonnulli igitur Sulpitium deprehendentes interemere. Marius ipse sine seruo & socio solus ad Minturnas confugit: quem ciuitatis primores in obscura quadam domo quiescentem, proclamatione publica territi, ambitione insuper ducti, quòd hominem sexies Consulem, à quo multa & præclara gesta essent, in potestate haberent, custodire cœperunt. Galatam etiam carnificem publicum cum gladio misere vt eum interficeret. Galatam autē ferunt cum per tenebras quæq; scrutādo graderetur, Marij oculis ignis in morem

ſplendore micantibus trepidare cœpiſſe. Mox cum Marius è lecto ſurrexiſſet, & horrenda voce intonaret, Tu'ne Caium Marium occidere audes? Galatam è foribus, proſiluiſſe inſanienti ſimilem, acclamantemq́: Ego Caium Mariū occidere nequeo. Ea ex cauſa ſuperſtitionis cuiuſdam timor primores vrbis inuaſit, cum illum deprehendere prius dubitaſſent. Fama inſuper memoria iampridē vulgata à puero, eum ſepties futurū Cōſulem. Nam cum infans adhuc eſſet, ſeptem aquilarum pullos in gremiū eius decidiſſe memorant. Vates autem prædixiſſe eum ſepties maximū magiſtratum obiturum. Hæc igitur Minturnarum primores animo voluentes, Galatam dæmonis cuiuſdam occurſu territum arbitrati, Marium ſtatim ex vrbe egredi, & vbicunq; ſaluus eſſe poſſet, proficiſci ſuadent. Ille ſe ab Sylla inquiri, & ab Equitibus eius perſequi ſatis ratus, iter nulla ſemita ad mare arripuit, & ad Calybes delatus, folijs corpori ſuperimpoſitis aliquantulum quieuit. Strepitu deinde percepto, ſub folijs latuit, qui cū magis increbreſceret, Siculi cuiuſdam piſcatoriam ſcapham, per vim coacto eo, properè inſiluit. Inſurgente demū tempeſtate perfracto gubernaculo, vela vētis, quò ſors eum duceret, emiſit. Delatus eſt itaq; ad inſulā in qua domeſticos ex ſuis nuper allatos reperit, cum his in Lybiam tranſit. Prohibitus igitur

Libya

Libyæ ingressu veluti hostis à Sextio pretore in mari hyemem perferre cogitur paulò supra Libyam inter Numidarũ montes. Eo in loco considente Mario, pleriq; ex complicibus aduentum eius audientes, ad illum nauigarunt, Cethegus scilicet, & Grannius, & Albinouanus, Lectorius quoq; & alij inter quos Marij ipsius filius, qui vt optimates viri ad Numidarum regem è Roma profugerãt. Suspicione deinde ne ab illo traderentur, eo ex loco ad Marium peruenerant. Hi igitur, quemadmodum Sylla, patriæ bellum inferre meditati, cũ exercitu carerẽt, siquid fortè occurreret intenti morabantur. Romæ interim Sylla cum primus armis vrbem occupasset, ad monarchiam quoq; obtinendam potens haberetur, de inimicis suis vltus, sponte se à violẽtia cohibuit, & exercitu Capuam præmisso, vt consul dignitate vsus est. Exulum autem fautores quicunq; seditiosi aderant, opulentiores quosque, ac mulieres ære abundantes, cũ ab armorũ timore respirarent, ad exules in vrbem reducendos hortabantur, nihil solicitudinis aut impensarum ad eã rem perficiendam omittentes. Consulum etiã corporibus insidias struebant, quasi illis existẽtibus ne vnus quidẽ ex suis reuerti posset. Syllæ perfuncto dignitate consulari, exercitus ad Mithridaticum bellum decernitur, veluti salutis publicæ custodi. Quintum autem Pompeium

alterum consulem populus ob timorem misera tus, Italiae praeesse volúit: caeterisq; copijs quae à Cn. Pompeio ductabantur, imperare. Id intelligens Cneus, cum molestè ferret, Quintum ad exercitū venientē hilarè suscepit. Sequenti die ius dicēte illo, ad eum veluti priuatus accessit, quousq; multi illum circunstantes per simulationem quasi audire cuperent interfecere. Reliquorum secuta fuga, Cneus illis occurrens, tanquam molestè ferret consulē iniustè occisum, eoq; modo conturbatus, ipsis subitò praeficitur. Pompeij nece in vrbe relata, de seipso sòlicitus Sylla amicos vndequaq; acciri imperat, eosq; per noctem circum se habuit. Nec multum post haec immoratus, Capuam ad exercitū, inde in Asiam peruenit. Exulum igitur amici Cinna post Sylla designato consule plurimùm illi confidentes, nouos denuo ciues ad ea quae à Mario meditata fuerāt, impellunt. Tribus admisceri postulāt, quòd vltimi suffragia ferētes omnium inutiles fierent. Hoc autem principium Marij reditus, & qui cum illo aufugerant, videbatur esse. Aduersantibus priscis ciuibus. Cinna nouos ciues pretio conducere arbitratus, trecenta talenta illis elargiri statuit. Veteribus quippe consul alter praesidebat Octauius, & qui circa Cinnā steterant, occupato foro, cōtectis gladijs, tribus omnes admisceri deposcebant. Caetera verò multitudo, quae sentire melius videbatur,

circa

circa Octauium vnà cum gladijs steterat. Interim domi euentum rei expectante Octauio, nuntiatur plures ex tribunis quæ facta essent prohibere, nouorum ciuium ingentem tumultum excitatum esse, nudisq; ensibus per angiportus in contradicẽtes Tribunos insurgere, & ad rostra deferri. Quibus intellectis Octauius omnifariam multitudine stipatus, ad sacram viam accelerat, & torrentis more in forum delatus, eos qui in medio steterant expellit, disturbat'que. Conterritis illis, in templum Castoris Pollucisq; progreditur. Cinna in fugam verso, quicunque in vnum steterant, nullo mandante nouis occurrentes ciuibus, plures interficiunt, reliquos fugientes ad portas vsq; prosequuntur. Verum Cinna nouorum ciuium multitudine confisus, & vi superare posse autumans, cum admirabilem paucorum ad resistendum intueretur audaciam per vrbem discurrere cœpit, seruosq; ad libertatem conuocare. Nemine ad eum accedente, ad finitimas vrbes fuga delabitur, quas haud multò antè Romani ciuitate donauerant: Tybur scilicet, ac Præneste, & quæ ad Nolam vsque mediæ interiacent, eas'que ad defectionem incitabat: pecunias quoque ad bellum colligebat. Hæc agente Cinna atque meditante, nonnulli è Senatu aufugere, qui similia efflagitarent, Caius Melonius, Quintus Sertorius, ac Caius Ma-

rius alter. Senatus Cinnæ perfidia conspecta, qui Vrbem in periculo relinqueret, consularem nactus dignitatem, seruos ad libertatem conuocaret, Vlterius consulem aut ciuem ex decreto appellari vetuit, eius'que loco Lucium Merulam flaminem Dialem instituit. Dicitur huiusmodi sacerdos solus velum pileum'que assiduè gestare, alijs duntaxat inter sacra deferentibus. Cinna ad Capuam conuersus, in qua alius Romanorum residebat exercitus, primores eius, & quicunque à Senatu excesserant, enixè obseruabat. Consulis præterea ritu in medium progressus, virgas perfregit, & veluti dignitate spoliatus, hæc lacrymans effari cœpit. A vobis ciues dignitatem hanc assumpsi: Populus quippe contulit, Senatus sine vobis à me abstulit: & hæc in proprijs perpessus malis, pro vobis etiam stomachari non desino. Ad quid vlterius tribus in comitijs obseruamus? quid vobis indigemus? vbi eritis concionum, aut creationum, aut consularium dignitatum deinceps domini, si non ea quæ dedistis, conseruabitis, & cum vobis videbitur auferetis? Hæc elocutus, vt eos irritaret, plura de seipso questus, vestem lacerauit, & à tribunali decurrens, semet in medium deiecit, plurimúmque decubuit, quoad illacrymantes milites eum erexere, & in solio iterum

rela

relatum adductis fascibus, vt consulem meliora sperare suaserunt, eosq́ʒ vbi opus esset deducere. Primores igitur ab impetu statim defecere, ac se iterum Cinnæ militari sacramento addixere, quod à cæteris qui illis suberant, simili iureiurando sancitũ est. His peractis Cinna tutè iam ad socias vrbes decurrebat eásque ab bellũ incitabat, veluti qui earũ causa calamitate illa premeretur. Ab his igitur Cinnæ pecuniæ collatæ, multiq́ʒ ex potentibus è Roma ad illum peruenere, quibus Reipub. tranquillitas odio fuit. Dum hæc à Cinna gerũtur, Octauius & Merula ambo consules ciuitatem fossa murisq́ʒ vallabant, machinas etiam apposuerant. Ad hæc exercitus ab vrbibus quæ illis parebant, & finitima Gallia in vnum conuocabant. Cn. verò Pompeium proconsulem adhuc, & copias circa Ionium ducentem, magna celeritate, vt vrbi opem afferret, accersierant. Ille cum exercitu ad Collinam portam consedit. Cui occurrens Cinna, pariter & ipse eo in loco castra ponit. Harum rerum certior effectus Marius, cum his qui fugientem secuti fuerant, in Tyrrheniam enauigauit, quibus è Roma superuenientes ecrũ serui, ad quingẽtorum impleuere numerũ. Marius laceratis co mis vecordis in morem, quò misericordiã adipisceretur, vrbes circuibat, prælia & trophæa Cimbrica, & sex eius consulatus verbis extollebat.

lebat, ipsisq; comitia affectantibus fidum se futurũ pollicitus, ad sex millia Tyrrhenorum in vnum collegit, cum quibus ad Cinnã profectus, pergratè ad belli societatem admissus est. Cum in vnum omnes ad Tyberis ripam conuenissent, in tres partes distribuêre copias. Cinna quidem ac Carbo cum suis ex opposita vrbis parte, Sertorius vrbẽ desuper, Marius autem mare versus castrametantur. Tyberi præterea pontem imposuere, vt cõmeatum ad vrbem venientem interciperent. Marius ad hæc Hostiam occupat, hostiliterq; diripit, & Cinna Ariminum præmisso vrbe potitur, ne exercitus quispiã ex populis vrbi parẽtibus, aut ex Gallia Romã cõmeare posset. His rebus territi consules, cum exercitu alio indigerent, & Syllam iam Asiã ingressum minimè auocare possent, Cecilium Metellũ residua Socialis belli circa Samnites disponentem quoquo pacto honestius queat, dissoluere, & patriæ ab hostibus obsessæ auxiliũ afferre monẽt. Non conuenientibus ad ea quæ poscebant Samnitibus, Marius intellecta re, de omnibus cum illis paciscitur. In hunc igitur modum cum Mario ad bellum conspirauere. Appium quoq; Claudium Tribunum militum intelligẽs mœnia seruare vrbis, ac collẽ qui Ianiculus appellatur, beneficij in illum collati repetita memoria, eius ope patente porta, Romam ingreditur, vnaq; Cin-

nam

nam introducit. Caeterum & ipsi continuo expulsi sunt, Octauio & Pompeio aduersum occurrentibus. Fulguribus autem plurimis è caelo labentibus in exercitum Pompeij, multi ex illustribus, & ipse in primis extinctus est. Marius cum commeatum qui à mari, ac desuper à flumine vehebatur, occupasset, ad propinquas vrbi ciuitates discurrebat. In his frumentum iampridem à Romanis cumulatum seruabatur. Inopine igitur custodias aggressus, Antium, Ariciam, Lauinium aliasque ciuitates plerisque etiam tradentibus occupat. Sic cum à mediterraneis commeatus sustulisset, iterum Romam per viam qua Appia dicitur, fidenter accedit, antequam aliis aliunde commeatus ad eos deferretur: ac centum stadijs ab vrbe distantes ipse & Cinna, & qui cum illis militabant Carbo & Sertorius, castra fixerunt, Octauio Crassóque, ac Metello in Albano monte ex aduerso castrametantibus, & rei euentum subinde opperientibus. Qui licet virtute, multitudinéque praecellerent, vnico tamen belli discrimine patriam statim interituram exponere verebantur. Cum verò Cinna circum vrbem prouectus, per praeconē annunciari mādasset, daturū se seruis qui ad eum confugissent, libertatem, properè multitudo transfugarum ad eum venit. Ob id territus Senatus, & multa grauiáque ac difficilia ob frumentaria

ria rei inopiam à populo futura subdubitans, animo subinde concidit, & legatos ad Cinnam pro conciliatione ciuium emisit. At ille prius eos rogare cœpit, an ad se tanquam ad consulem: aut priuatum potius accederent? Ambigentibus ipsis, & in Vrbem redeuntibus, multi iam ex liberis ad Cinnam confluebant, quidam famem formidantes, nonnulli Cinnæ partes in primis eligentes, rerum quoque euentum præstolantes. Cinna igitur iam tute ac sapienter mœnibus applicuit, & per sagittæ iactum ab illis distans, exercitum firmauit. Dubitantibus igitur, ac verentibus his qui circa Octauium erant, pugnam capessere ob transfugarũ multitudinem, ac legationes inde emissas, Senatus amplius trepidatione premebatur, ac impium existimans, Lucium Merulam Flaminem dialem Cinnæ loco creatum cõsulem, cum nihil deliquisset, dignitate spoliare, nouis tamen dictim cladibus exhaustus, legatos iterum ad Cinnam tanquam ad consulem destinat: nihil tamen vtilius expectans, hoc solum Cinnam iurare deposcit, occisionem nullam eum patraturum. Ille verò non vt postulabatur iusiurandum præstitit: hoc solum pollicitus est, sponte se nullius interitus futurum causam. Octauium verò circumambulantem, & ab alijs portis vrbi se inferentem, è medio iussit excedere: ne quid inuito eo pateretur. Et

hac

hæc è tribunali quodam edito velutì consul legatis desuper annunciat. Marius interim iuxta thronum eius assidens nihil loquebatur, verum ex vultus diritate satis proferre visus quam ingentem machinaretur cædem. Senatu huiusmodi conditiones admittente, & Mariũ Cinnámque vrbem ingredi poscente (satis enim hæc omnia Marij opera fieri intelligebat, Cinnam verò duntaxat illa perscribere) cum ironia subridens Marius, hæc effatus dicitur, Nõ licere exulibus vrbem ingredi. Tum verò Tribuni fugam eius, cæterorũmque qui à Sylla cõsule expulsi fuerant, ex decreto dissoluere. Admittentibus eos cum trepidatione & pauore omnibus, Romam ingrediuntur, & eorum qui in se fecisse existimabantur, diripuere omnia. Ab Octauio deinde Cinna ac Marius iusiurandum postularunt, quibus sortilegi vatesq́ue nihil vt crederet monuere. Amici porrò fugam illi suadebãt. Is autem professus nunquam se vrbem deserturum dum consul esset, in medio Ianiculi perstans, cum illustrioribus exercitusq́ue parte processit. Cum deinde tribunal ascendisset, principantis vestem indutus, fascibus, & securibus, vt consuli mos fuit stipatus assedit. Accurrente ad eum cũ Equitibus nonnullis Censorino, & amicis denuo illũ cum exercitu stimulantibus vt fugam caperet, equum etiã adducẽtibus, nec assurgere quidem

sustin

sustinuit, mortisque intrepidus perstitit. Tunc Censorinus capite eius abscisso, ad Cinnam detulit: quod in foro ante rostra affixum pepēdit. Primùm ipsius consulis, deinde aliorum interfectorum capita appensa sunt. Nec praeterea odio finis datus: nam cum ab Octauio inchoassent, caeteros qui ab hostibus caesi fuerant, scrutabantur, postremò ad hostes inquirendos accurrebant. Non Senatorum aut Equitum delectus habebatur, vniuersa Senatorum capita rostris affigebantur. Non deorum reuerentia, aut virorum indignatio, inuidiaeue timor in his perpetrandis vllus aderat, verùm scelera sceleribus addentes, ad aspectus vertebantur nephandissimos. Quippe homines impiè caedentes, defunctorum insuper colla secabant, miserabilésque aspectus ad timorem stuporémque, ac spectaculum crudele proponebant. Caius quidem, & Lucius Iulius, & Attilius Eranus fratres, Pub. Lentulus, & Caius Nemistorius, Marcus praeterea Bebius, in via deprehensi trucidantur. Crassus cum filio vnà fugiens, cum hostes illum insequerentur, filium prius occidere maluit: ipse ab insequentibus occisus est. Marcum Antonum oratorem ad fundum quendam fugientem agricola diligenter occuluit, benigneque suscepit. seruum deinde industrium in diuersorium ire iussit, vt vinum emeret. Cauponi verò cur vinum diligentius posceret

ret inquirenti, causam insusurrauit auribus. Ille cum discessisset, propere ad Marium accelerans, rem aperuit. Qua percepta Marius lætitia gestiens accurit, veluti operam necis eius suscepturus. Retinentibus eum amicis, Tribunus militum ad id facinus electus, cæteros in domum immittit: quos Antonius dicendi peritia insignis, suauissimis, detinuit sermonibus, multa variè piéque elocutus, donec Tribunus ipse domum ingressus, milites ad audiendum intentos admiratus, Antonium perornatè disserentem adhuc, interemit, capútque ad Marium detulit. Cornutum verò in Calybis latentem serui summa industria tutati sunt. Cadauere quippe hominis inuento, pyram extruxerunt, & his qui illum quærebant aduentantibus, incensa pyra herum se exurere mentiti neci traditum, saluum præstiterunt. Quintus Ancharius Marium in Capitolio sacra facturum obseruabat, sperans in sacrificio inuētum facilè sibi conciliaturum. Ille inchoato sacrificio ingredientem Ancharium, cúmque appellantem, ab astantibus iussit interfici. Eius & Antonij capita, aliorumq; prætorum ac consulum in foro appensa. Nulli sepulcri honos habitus ex ijs qui interfecti fuere, auibus duntaxat & canibus laceranda illustrium virorum abiicere cadauera. Plurimæ etiam ac aliæ seditiosorum aduersus innocentes cædes editæ, aliorum ex-

f *pulsi*

pulsiones factæ sunt, publicationes prætereà bonorum, priuationesq; dignitatum, ac legum reuocationes earum quæ à Sylla conditæ fuerant. Ipsius Syllæ amici ac necessarij interfecti, domus euersa, bona in publicum relata, & ipse hostis ex decreto iudicatus, Vxor ac filiæ inquisitæ, fuga abiere. Omnino nihil à multitudine & varietate malorum aberat. Ad hæc sub aspectu principatus ac legum post tot indiscretas cædes, accusatores etiam in Merulam Flaminem Dialem insurrexere ob consulatus indignationem, quem nulla Cinna iniuria desumpserat. Porrò in Catulum Luctatium Marij Cimbrico bello collegam, & pridem ab eo saluti redditum, ingratum deinde ac illi acerbissimum cum vrbe pelleretur. Hi igitur clanculum custodia adhibita, aduenienete solenni die in iudicium vocantur. Quater enim oportebat per præconem diffinitis in locis, & inter se distantibus accitos capere. Itaque Merula venas sibimet incidit, & ex tabellis illi astantibus clarè deprehensum est eum pileum prius abiecisse. Non enim sacerdotem fas fuit eo indutum obire mortem. Catulus in cubiculo recens illinito & humido carbonibus accensis sponte suffocatus est. In hunc igitur modum ambo periere. Serui verò quicunque præconis voce moniti ad Cinnam perfugerunt, libertate donati sunt. Hi vbi à Cinna locati fuerant, do-

mos

mos discurrentes non bona duntaxat rapiebāt, verùm obuios quosq; necabāt, proprijs heris in primis afferentes manus. Cinna cum plerunq; eos monuisset, nihilque proficeret, Galatarum copias nocte adhuc quiescentibus immitit, à quibus ad vnum interfecti sunt. In hunc modum igitur serui nefandissimi heris suis perfidiæ meritas persoluere pœnas. Sequenti anno cōsules creati Cinna iterum, ac Marius octies functus consulatu: cui post fugam, & prætoris vocem, licere cuique eundem hostem iudicatum interficere, ostentum illud ex septem aquilarum pullis euenisse dicitur. Cum igitur multa & crudelia in Syllam cogitaret, primo consulatus sui mense extinctus est. Et Valerium Flaccū eius loco Cinna eligens in Asiam emisit. quo defuncto, Carbonem in consulatu collegam assumpsit. Sylla reditum ad hostes meditatus, vniuersa cum Mithridate componere festinans, vt à nobis præscriptum est, annis tribus, nec his quidem integris, centum & sexaginta millibus hominum bello profligatis, deuictis Græcia & Macedonia, necnon Ionia, & Asia, alijsq; nationibus quæ Mithridati parere assueuerant, ad Romanos traductis, nauibus etiā regi ademptis, eodem intra paterni regni limites incluso ex tanta regionum copia, regredi tandē cœpit, exercitum ingentem agēs, atq; expertissimum, sibiq; obsequentem,

necnon gestarum rerum gloria elatum. Adducebat & nauium multitudinem, pecuniarũq; & apparatus copiã ad omnia accõmodam, ita vt inimicis eius augeretur timor. Qua ex causa trepidãtes Carbo & Cinna, nonnullos per vniuersam Italiã destinant, qui pecunias, frumentũ, & exercitus pararent, diuites cũ omni substantia assumerẽt, ex vrbibus potissimũ nouos ciues excitarẽt, quanto in discrimine rerũ versarentur, notum illis facerent. Naues præterea summa celeritate in vnũ collectas, in Siciliam deducerẽt, qua maritimã tutarẽtur orã. Ab his nihil virium aut apparatus cũ pauore simul & velocitate omissum. Sylla summa diligentia ad Senatũ pro seipso misit, memorans quanta circa Libyã in Iugurthã Numidarum regem dum quæstor adhuc esset, quãta cum ad Cimbros legatus accessisset, aut cum in Siciliã copias deduceret, aut in Socialibus bellis, consilique peregisset. Quæ verò in Mithridatem recens effecisset, præcipuè extollens, & cumulatim nationes innumeras recensens, quas Mithridati ademptas Romanis subiecisset, nihilo minus quod Roma depulsos, & à Cinna ad ipsum fugientes suscepisset omnium inopes, solandæ eorum calamitatis causa, ab inimicis hostem iudicatum, domum euersam, amicos interfectos esse, vxorem ac filios vix ad se fuga peruenire potuisse: verum se statim & ipsis

vniuersæ que ciuitati pro his quæ gesta essent. Vltorem accessurum: alijs vero ciuibus, ac nouis ciuibus se præfari, ac dicere, nihil habere se, quod eis succenseat. Quibus intellectis timor continuò omnes inuasit. Legatos igitur ad illum emisere, qui conciliationem etiam cum hostibus poscerent, & si qua fideiussione opus esset, Senatum sibi satisfacturum repromitterent. Cinna autem, & collega eius, ne delectus vllos in eum facerent edixere quod ab his promissum est. Absentibus interim legatis, vlterius se consules esse recusarunt, ne ob proximè futura comitia redire cogerētur. Deinde Italiam omnem peragrantes, exercitus parabant, quos in Liburniam velut eo in loco Sylla occursuri per mare demittebant. Ex his pars prospera nauigatione in primis functa: sequentes verò adeò tempestas disiecit, ac contriuit, vt qui littus attigere subitò in patriam redire properarint, quasi non sponte ciuium causa ad bellum mitterentur Quod reliqui intelligentes, in Liburniam transire velle recusabant. Cinna id molestè ferens, in concionem eos veluti reprehensurus aduocauit. Illi ira accensi sibi mutuò auxilio futuri ad eum peruenere. Lictorem etiam cum per iter quoddam graderetur, & verberibus obuium affici iuberet. miles quispiam adempta virga grauiter percussit. Cinna comprehendi illum imperante

omnium clamor insecutus est, lapides etiam in eum emissi. Qui vero propiores aderãt, exertis ensibus Cinnã inuasere, eoq; modo consulatum adhuc gerens interfectus est. Carbo ex Liburnia enauigantes ad eam reuocabat, & rerum gestarum formidine correptus ad Vrbem non redibat, Tribunis eum ad collegæ creationem reuocantibus, minas præterea addentibus, eum priuatum effecturos ni accederet, tandem rediit, & de creatione consulis proposuit. Die infausti habita, aliam præscripsit: in qua cum Lunæ & Cereris ædes è cœlo tactæ dicerentur, Vates ad æstiuas conuersiones Comitia differenda esse pronunciant. Sic Carbo in consulatu solus præsidebat. Interim Sylla legatis ab Senatu ad eum missis in hunc modum respondit, Se neutiquam Viris à quibus tam nefanda essent perpetrata, amicum esse posse: minimè vero Vrbi succensere, qui salutem illis dedisset: securitatẽ tamen se potius illis præstare Velle, qui ad se confugissent, Vt exercitum haberẽt obsequentem. Quo quidem Verbo clarè intelligere datum est, eum exercitum nolle dissoluere, sed tyrannidi potius intendere. Nam quicunque dignitatem, aut substantiam, aut sacerdotium, aut quid aliud insigne possedissent, his omnia restitui debere deposcit: & qui hæc exigerent legatos mittit. Illi in Brundusio morati, Cinnam occisum audientes,

ciuitatem difficulter adiri posse rati, ad Syllam infectis rebus redire. Sylla quinque Italorum legionibus, Equitum sex millibus stipatus nonnullis alijs ex Peloponneso Macedoniáque susceptis, exercitum ad quadraginta millium numerum secum agens, ex Pyræo ad Patras, ex Patris verò Brundusium mille & sexcentis nauibus applicuit. Brũdusinis illum sine prælio admittentibus, immunitatem in posterum præbuit: qua & nunc potiuntur. Ipse sublatis copijs propius accessit. At verò Cecilius Metellus, qui subinde pius cognaminatus, est, & ad residua belli Socialis derelictus fuerat, à Cinna quoque & Mario prohibitus vrbe, ob idque in Liguria euentum rei opperiebatur: cum à Sylla collega ad bellum vocaretur, subitò accurrit ad societatem, simul proconsularem gerens dignitatem. Licebat enim his qui partes eligerẽt, adesse, vel qui Romam prius redire mallent, abire posse. Post Metellum Cn. Pompeius ad Syllam venit, qui non multò pòst magnus cognominatus est, Pompeij illius filius, quem fulgure extinctum suprà diximus. qui cum parum beneuolus Syllæ putaretur, vt suspicionem omnem elueret, ad illum accessit, legione ex Picenis adducta ad patris gloriam. qui in illis plurimum potuerat. Nec multò pòst deinde duas priori addidit. fuitque vir ille in multis Syllæ vtilis, atque proficuus.

Pompeius legiones ex militibus piceni[s] duxit ad Syllam.

lebat, ipsisq; comitia affectantibus fidum se futurũ pollicitus, ad sex millia Tyrrhenorum in vnum collegit, cum quibus ad Cinnã profectus, pergratè ad belli societatem admissus est. Cum in vnum omnes ad Tyberis ripam conuenissent, in tres partes distribuêre copias. Cinna quidem ac Carbo cum suis ex opposita vrbis parte, Sertorius vrbẽ desuper, Marius autem mare versus castrametantur. Tyberi præterea pontem imposuere, vt cõmeatum ad vrbem venientem interciperent. Marius ad hæc Hostiam occupat, hostiliterq; diripit, & Cinna Ariminum præmisso vrbe potitur, ne exercitus quispiã ex populis vrbi parẽtibus, aut ex Gallia Romã cõmeare posset. His rebus territi consules, cum exercitu alio indigerent, & Syllam iam Asiã ingressum minimè auocare possent, Cecilium Metellũ residua Socialis belli circa Samnites disponentem quoquo pacto honestius queat, dissoluere, & patriæ ab hostibus obsessæ auxiliũ afferre monẽt. Non conuenientibus ad ea quæ poscebant Samnitibus, Marius intellecta re, de omnibus cum illis paciscitur. In hunc igitur modum cum Mario ad bellum conspirauere. Appium quoq; Claudium Tribunum militum intelligẽs mœnia seruare vrbis, ac collẽ qui Ianiculus appellatur, beneficij in illum collati repetita memoria, eius ope patente porta, Romam ingreditur, vnaq; Cin-

nam introducit. Caeterum & ipsi continuo expulsi sunt, Octauio & Pompeio aduersum occurrentibus. Fulguribus autem plurimis è cœlo labentibus in exercitum Pompeij, multi ex illustribus, & ipse in primis extinctus est. Marius cum commeatum qui à mari, ac desuper à flumine vehebatur, occupasset, ad propinquas vrbi ciuitates discurrebat. In his frumentum iampridem à Romanis cumulatum seruabatur. Inopine igitur custodias aggressus, Antium, Ariciam, Lauinium aliásque ciuitates plerisque etiam tradentibus occupat. Sic cum à mediterraneis commeatus sustulisset, iterum Romam per viam quæ Appia dicitur, fidenter accedit, antequam aliis aliunde commeatus ad eos deferretur: ac centum stadijs ab vrbe distantes ipse & Cinna, & qui cum illis militabant Carbo & Sertorius, castra fixerunt, Octauio Crassóque, ac Metello in Albano monte ex aduerso castrametantibus, & rei euentum subinde opperientibus. Qui licet virtute, multitudinéque præcellerent, vnico tamen belli discrimine patriam statim interituram exponere verebantur. Cum verò Cinna circum vrbem prouectus, per præconē annunciari mādasset, daturū se seruis qui ad eum confugissent, libertatem, properè multitudo transfugarum ad eum venit. Ob id territus Senatus, & multa grauiáque ac difficilia ob frumentaria

ria rei inopiam à populo futura subdubitans, animo subinde concidit, & legatos ad Cinnam pro conciliatione ciuium emisit. At ille prius eos rogare capit, an ad se tanquam ad consulem: aut priuatum potius accederent? Ambigentibus ipsis, & in Vrbem redeuntibus, multi iam ex liberis ad Cinnam confluebant, quidam famem formidantes, nonnulli Cinna partes in primis eligentes, rerum quoque euentum præstolantes. Cinna igitur iam tute ac sapienter mœnibus applicuit, & per sagittæ iactum ab illis distans, exercitum firmauit. Dubitantibus igitur, ac Verentibus his qui circa Octauium erant, pugnam capessere ob transfugarũ multitudinem, ac legationes inde emissas, Senatus amplius trepidatione premebatur, ac impium existimans, Lucium Merulam Flaminem dialem Cinnæ loco creatum cõsulem, cum nihil deliquisset, dignitate spoliare, nouis tamen dictim cladibus exhaustus, legatos iterum ad Cinnam tanquam ad consulem destinat: nihil tamen Vtilius expectans, hoc solum Cinnam iurare deposcit, occisionem nullam eum patraturum. Ille Verò non Vt postulabatur iusiurandum præstitit: hoc solum pollicitus est, sponte se nullius interitus futurum causam. Octauium Verò circumambulantem, & ab alijs portis Vrbi se inferentem, è medio iussit excedere: ne quid inuito eo pateretur. Et

hæc

hæc è tribunali quodam edito veluti consul legatis desuper annunciat. Marius interim iuxta thronum eius assidens nihil loquebatur, verum ex vultus diritate satis proferre visus quam ingentem machinaretur cædem. Senatu huiusmodi conditiones admittente, & Mariũ Cinnámq; vrbem ingredi poscente (satis enim hæc omnia Marij opera fieri intelligebat, Cinnam verò duntaxat illa perscribere) cum ironia subridens Marius, hæc effatus dicitur, Nõ licere exulibus vrbem ingredi. Tum verò Tribuni fugam eius, cæterorúmque qui à Sylla cõsule expulsi fuerant, ex decreto dissoluere. Admittentibus eos cum trepidatione & pauore omnibus, Romam ingrediuntur, & eorum qui in se fecisse existimabantur, diripuere omnia. Ab Octauio deinde Cinna ac Marius iusiurandum postularunt, quibus sortilegi vatesq; nihil vt crederet monuere. Amici porrò fugam illi suadebant. Is autem professus nunquam se vrbem deserturum dum consul esset, in medio Ianiculi perstans, cum illustrioribus exercitusq; parte processit. Cum deinde tribunal ascendisset, principantis vestem indutus, fascibus, & securibus, vt consuli mos fuit stipatus assedit. Accurrente ad eum cũ Equitibus nonnullis Censcrino, & amicis denuo illũ cum exercitu stimulantibus vt fugam caperet, equum etiã adducẽtibus, nec assurgere quidem

sustin

ſuſtinuit, mortiſque intrepidus perſtitit. Tunc Cenſorinus capite eius abſciſſo, ad Cinnam detulit: quod in foro ante roſtra affixum pependit. Primùm ipſius conſulis, deinde aliorum interfectorum capita appenſa ſunt. Nec præterea odio finis datus: nam cum ab Octauio inchoaſſent, cæteros qui ab hoſtibus cæſi fuerant, ſcrutabantur, poſtremò ad hoſtes inquirendos accurrebant. Non Senatorum aut Equitum delectus habebatur, vniuerſa Senatorum capita roſtris affigebantur. Non deorum reuerentia, aut virorum indignatio, inuidiæ'ue timor in his perpetrandis vllus aderat, verùm ſcelera ſceleribus addentes, ad aſpectus vertebantur nephandiſſimos. Quippe homines impiè cadentes, defunctorum inſuper colla ſecabant, miſerabileſque aſpectus ad timorem ſtuporémque, ac ſpectaculum crudele proponebant. Caius quidem, & Lucius Iulius, & Attilius Eranus fratres, Pub. Lentulus, & Caius Nemiſtorius, Marcus præterea Bebius, in via deprehenſi trucidantur. Craſſus cum filio vnà fugiens, cum hoſtes illum inſequerentur filium prius occidere maluit: ipſe ab inſequentibus occiſus eſt. Marcum Antonum oratorem ad fundum quendam fugientem agricola diligenter occuluit, benigneque ſuſcepit. ſeruum deinde induſtrium in diuerſorium ire iuſſit, vt vinum emeret. Cauponi verò cur vinum diligentius poſceret

ret inquirenti, causam insusurrauit auribus. Ille cum discessisset, propere ad Marium accelerans, rem aperuit. Qua percepta Marius lætitia gestiens accurit, veluti operam necis eius suscepturus. Retinentibus eum amicis, Tribunus militum ad id facinus electus, cæteros in domum immittit: quos Antonius dicendi peritia insignis, suauissimis, detinuit sermonibus, multa variè piéque elocutus, donec Tribunus ipse domum ingressus, milites ad audiẽdum intentos admiratus, Antonium perornatè differentem adhuc, interemit, capútque ad Marium detulit. Cornutum verò in Calybis latentem serui summa industria tutati sunt. Cadauere quippe hominis inuento, pyram extruxerunt, & his qui illum quærebant aduentantibus, incensa pyra herum se exurere mentiti neci traditum, saluum præstiterunt. Quintus Ancharius Marium in Capitolio sacra facturum obseruabat, sperans in sacrificio inuẽtum facilè sibi conciliaturum. Ille inchoato sacrificio ingredientem Ancharium, cúmque appellantem, ab astantibus iussit interfici. Eius & Antonij capita, aliorumq; prætorum ac consulum in foro appensa. Nulli sepulcri honos habitus ex ijs qui interfecti fuere, auibus duntaxat & canibus laceranda illustrium virorum abiecere cadauera. Plurimæ etiam ac aliæ seditiosorum aduersus innocentes cædes editæ, aliorum ex-

f *pulsi*

pulsiones factæ sunt, publicationes præterea bonorum, priuationesq́; dignitatum. ac legum reuocationes earum quæ à Sylla conditæ fuerant Ipsius Syllæ amici ac necessarij interfecti, domus euersa, bona in publicum relata, & ipse hostis ex decreto iudicatus, Vxor ac filiæ inquisitæ, fuga abiere. Omnino nihil à multitudine & varietate malorum aberat. Ad hæc sub aspectu principatus ac legum post tot indiscretas cædes, accusatores etiam in Merulam Flaminem Dialem insurrexere ob consulatus indignationem, quem nulla Cinna iniuria desumpserat. Porrò in Catulum Luctatium Marij Cimbrico bello collegam, & pridem ab eo saluti redditum, ingratum deinde ac illi acerbissimum cum vrbe pelleretur. Hi igitur clanculum custodia adhibita, adueniente solenni die in iudicium vocantur. Quater enim oportebat per præconem diffinitis in locis, & inter se distantibus accitos capere. Itaque Merula venas sibimet incidit, & ex tabellis illi astantibus clarè deprehensum est eum pileum prius abiecisse. Non enim sacerdotem fas fuit eo indutum obire mortem. Catulus in cubiculo recens illinito & humido carbonibus accensis sponte suffocatus est. In hunc igitur modum ambo periere. Serui verò quicunque præconis voce moniti ad Cinnam perfugerunt, libertate donati sunt. Hi vbi à Cinna locati fuerant, do

mos

mos discurrentes non bona duntaxat rapiebāt, verùm obuios quosq; necabāt, proprijs heris in primis afferentes manus. Cinna cum plerunq; eos monuisset, nihilque proficeret, Galatarum copias nocte adhuc quiescentibus immitit, à quibus ad vnum interfecti sunt. In hunc modum igitur serui nefandissimi heris suis perfidiæ meritas persoluere pœnas. Sequenti anno cōsules creati Cinna iterum, ac Marius octies functus consulatu: cui post fugam, & prætoris vocem, licere cuique eundem hostem indictum interficere, ostentum illud ex septem aquilarum pullis euenisse dicitur. Cum igitur multa & crudelia in Syllam cogitaret, primo consulatus sui mense extinctus est. Et Valerium Flaccū eius loco Cinna eligens in Asiam emisit. quo defuncto, Carbonem in consulatu collegam assumpsit. Sylla reditum ad hostes meditatus, vniuersa cum Mithridate componere festinans, vt à nobis præscriptum est, annis tribus, nec his quidem integris, centum & sexaginta millibus hominum bello profligatis, deuictis Græcia & Macedonia, necnon Ionia, & Asia, alijsq; nationibus quæ Mithridati parere assueuerant, ad Romanos traductis, nauibus etiā regi ademptis, eodem intra paterni regni limites incluso ex tanta regionum copia, regredi tandē cœpit, exercitum ingentem agēs, atq; expertissimum, sibiq; obsequentem,

 necn

necnon gestarum rerum gloria elatum. Adducebat & nauium multitudinem, pecuniarũq́; & apparatus copiã ad omnia accõmodam, ita vt inimicis eius augeretur timor. Qua ex causa trepidãtes Carbo & Cinna, nonnullos per vniuersam Italiã destinant: qui pecunias frumentũ, & exercitus pararent, diuites cũ omni substantia assumerẽt, ex vrbibus potissimũ nouos ciues excitarẽt, quanto in discrimine rerũ versarentur, notum illis facerent. Naues praeterea summa celeritate in vnũ collectas, in Siciliam deducerẽt, quae maritimã tutarẽtur orã. Ab his nihil virium aut apparatus cũ pauore simul & velocitate omissum. Sylla summa diligentia ad Senatũ pro seipso misit, memorans quanta circa Libyã in Iugurthã Numidarum regem dum quaestor adhuc esset, quãta cum ad Cimbros legatus accessisset, aut cum in Siciliã copias deduceret, aut in Socialibus bellis, consilique peregisset. Quae verò in Mithridatem recens effecisset, praecipuè extollens. & cumulatim nationes innumeras recensens, quas Mithridati ademptas Romanis subiecisset, nihilo minus quod Roma depulsos, & à Cinna ad ipsum fugientes suscepisset omnium inopes, solandae eorum calamitatis causa, ab inimicis hostem iudicatum, domum euersam, amicos interfectos esse, vxorem ac filios vix ad se fuga peruenire potuisse: verum se statim & ipsis

vni

Vniuersa quæ ciuitati pro his quæ gesta essent. Vltorem accessurum: alijs vero ciuibus, ac nouis ciuibus se præfari, ac dicere, nihil habere se, quod eis succenseat. Quibus intellectis timor continuò omnes inuasit. Legatos igitur ad illum emisere, qui conciliationem etiam cum hostibus poscerent, & si qua fideiussione opus esset, Senatum sibi satisfacturum repromitterent. Cinna autem, & collegæ eius, ne delectus vllos in eum facerent edixere quod ab his promissum est. Absentibus interim legatis, vlterius se consules esse recusarunt, ne ob proximè futura comitia redire cogerētur. Deinde Italiam omnem peragrantes, exercitus parabant, quos in Liburniam velut eo in loco Syllæ occursuri per mare demittebant. Ex his pars prospera nauigatione in primis functa: sequentes verò adeò tempestas disiecit, ac contriuit, vt qui littus attigere subitò in patriam redire properarint, quasi non sponte ciuium causa ad bellum mitterentur Quod reliqui intelligentes, in Liburniam transire velle recusabant. Cinna id molestè ferens, in concionem eos veluti reprehensurus aduocauit. Illi ira accensi sibi mutuò auxilio futuri ad eum peruenere. Lictorem etiam cum per iter quoddam graderetur, & verberibus obuium affici iuberet, miles quispiam adempta virga grauiter percussit. Cinna comprehendi illum imperante

omnium clamor insecutus est, lapides etiam in eum emissi. Qui vero propiores aderant, exertis ensibus Cinnam inuasere, eoque modo consulatum adhuc gerens interfectus est. Carbo ex Liburnia enauigantes ad eam reuocabat, & rerum gestarum formidine correptus ad Urbem non redibat, Tribunis eum ad collegæ creationem reuocantibus, minas præterea addentibus, eum priuatum effecturos ni accederet, tandem rediit, & de creatione consulis proposuit. Die infausti habita, aliam præscripsit: in qua cum Lunæ & Cereris ædes è cælo tactæ dicerentur, Vates ad æstiuas conuersiones Comitia differenda esse pronunciant. Sic Carbo in consulatu solus præsidebat. Interim Sylla legatis ab Senatu ad eum missis in hunc modum respondit, Se neutiquam viris à quibus tam nefanda essent perpetrata, amicum esse posse: minimè vero Urbi succensere, qui salutem illis dedisset: securitatē tamen se potius illis præstare velle, qui ad se confugissent, vt exercitum haberēt obsequentem. Quo quidem verbo clarè intelligere datum est, eum exercitum nolle dissoluere, sed tyrannidi potius intendere. Nam quicunque dignitatem, aut substantiam, aut sacerdotium, aut quid aliud insigne possedissent, his omnia restitui debere deposcit: & qui hæc exigerent legatos mittit. Illi in Brundusio morati, Cinnam occisum audientes,

cin

ciuitatem difficulter adiri posse rati, ad Syllam infectis rebus redire. Sylla quinque Italorum legionibus, Equitum sex millibus stipatus nonnullis alijs ex Peloponneso Macedoniaque susceptis, exercitum ad quadraginta millium numerum secum agens, ex Pyræo ad Patras, ex Patris vero Brundusium mille & sexcentis nauibus applicuit. Brūdusinis illum sine prælio admittentibus, immunitatem in posterum præbuit: qua & nunc potiuntur. Ipse sublatis copijs propius accessit. At verò Cecilius Metellus, qui subinde pius cognominatus est, & ad residua belli Socialis derelictus fuerat, à Cinna quoque & Mario prohibitus Vrbe, ob idque in Liguria euentum rei opperiebatur: cum à Sylla collega ad bellum vocaretur, subitò accurrit ad societatem, simul proconsularem gerens dignitatem. Licebat enim his qui partes eligerēt, adesse, vel qui Romam prius redire mallent, abire posse. Post Metellum Cn. Pompeius ad Syllam venit, qui non multò pòst magnus cognominatus est, Pompeij illius filius, quem fulgure extinctum suprà diximus. qui cum parum beneuolus Syllæ putaretur, vt suspicionem omnem elueret, ad illum accessit, legione ex Picenis adducta ad patris gloriam. qui in illis plurimum potuerat. Nec multò pòst deinde duas priori addidit. fuitque vir ille in multis Syllæ vtilis, atque proficuus.

Pompeius legionem ex militibus picenis ductam ad Syllam.

Qua ex causa à Sylla adolescens adhuc honoribus impartitus est, ut soli ad eum accedenti assurgere consueuerit. Finito bello etiam in Libyam misit, ut Carbonis dissolueret societatem, & Hiempsalem à Numidis expulsum regno, restitueret. Cuius rei gratia, ut de Numidis triumpharet, à Sylla concessum, quanquam in flore adolescentiæ adhuc esset: & ex equestri numero ab hoc ordine in maius elatus, in Iberiam contra Sertorium missus. posterius verò in Ponto contra Mithridatem bellum gessit. Venit & ad Syllam Cethegus seditiosorum omnium in illum acerbissimus cum Cinna & Mario olim habitus. Cæterum cum ipsis urbe eiectus supplex ad Syllam profectus est, se ad omnia quæ iuberet paratum exhibens. Ita Sylla exercitu, & amicorum illustrium multitudine adductus, cum Metello proconsule adhuc ulterius progredi cœpit. Visus est & ipse proconsul in Mithridatem constitutus, nondum dignitatem exuisse, quanquam à Cinna hostis iudicatus. Quidam igitur cum inimicis graui odio in Syllam commoti, quidam in urbe residentes naturæ eius recordati, primúmque in eam irruptionem captiuitatémque ante oculos habentes, & quæ in illum publicè edicta forent mente repetentes, domum euersam, substantiã in commune relatam, amicos interemptos, uxorem cum filijs vix fuga elabi potuisse: extremo

pauore

pauore tenebantur, nihilq́; victoria & excidio sibi medium adesse rati, consules in Syllam non sine magna trepidatione concitabant. Per Italiam quoque præmittentes exercitus, commeatum ac pecunias in vnum congregabant, nihil quod extremum esset promptitudinis studijq́; omittentes. Caius item Norbanus, & Lucius Scipio tunc ambo consules, & cum ipsis Carbo, qui æquè consulatu fruebatur, pari odio in Syllam commoti, timore ac conscientia eorum quæ gessissent, multo alijs deteriores, exercitum ex vrbe, quantum assequi fas fuit, vnà congregabant, aliúmque ex Italia assumentes per partes in Syllam deducebant, cohortibus ex quingentis viris tunc primum ductis vsi, posterius verò amplioribus: beneuolentia quippe omnium vt plurimum ad cōsules inclinabat. Nam cum Syllam intuerentur hostilem in modum patriæ inferentem arma, consulibus, & qui circa illos erant, imaginem quandam patriæ exhibentibus, scelerum suorum conscij, veluti timoris, communis participes, sese illis immiscuerant, satis arbitrati Syllam non punitionem vllam, aut direptionem, aut pauorem duntaxat in eos meditatum, verum famem, cædes, bonorum publicationes, & in summa occisionem multiplicem patraturum esse. Quam opinionem neutiquam vanè susceperant. Quippe bellum omnia consumpserat, cùm decem & viginti millia

Caius Norbanus et Lucius Scipio Consules Contra Syllam

vane

hominum sæpenumero vno prælio concidissent, & circa vrbem ad quinquaginta millia occubuissent. In reliquos verò Syllam nihil dirum aut crudele, vel in singulos, vel in omnes omissurum arbitrabantur, quousque seipsum monarcham totius Romanorum statuisset principatus, omniáque iudicio & voluntati suæ subiecisset. Et hæc profectò dæmonium quoddam in bello illis significasse visum. Pauores nempe nulla ratione multos priuatim ac publicè per vniuersam Italiam inuaserant. Veterum porrò vaticinia longè formidabiliora, mente repetebant, plurima prodigia quotidie emergebant. Nam mulam peperisse & mulierem prægnantem viperam pro infante edidisse ferunt. Terræ etiam motus concussit vrbem, ac noua quædam in eam intulit. Et quod Romanis in his existentibus omnino difficile apparuit, Capitolium, quod sub regibus per quadringentos & vltrà annos conditum fuit, igne correptum: cuius causa vniuersos latuit. Quæ omnia interemptorum multitudinem, Italiæ vastitatem, Romanæ vrbis euersionem denique Reip. interitum significare videbantur. Principium verò eo tempore bellum videtur assumpsisse, cum Sylla Brundusium applicuit, olympiade quarta & septuagesima supra centesimam. Longitudo eius belli ad operum refertur magnitudinem, tanquam ad hostes veros prope-

rant

rantium, quod non adeo prolixum fuit, quantum ex operum claritate emicuit: cum Vel maximè ad Vindictam festinantibus breui magna & asperrima pati contigit. Per triennium deinde in Italia propagatum est bellum, quoad principatum Sylla attigit. In Iberia quidem & cum Sylla dilatatum est amplius. Caterùm prælia, & arcium expugnationes, obsidionésque, bellorum quoque Vniuersæ species in Italia repentinæ, & Vno impetu, necnon per partes à ducibus gestæ sunt. Quæ præclara omnia cum sint, clariora tamen, & memoratu digna à principio apposita huiusmodi fuisse constat. Primum circa Canusium à proconsulibus aduersus Norbanum bellum gestum, in quo ad sex millia hominum è Norbani exercitu deleta. Ex his Verò qui circa Syllam fuerant, septuaginta duntaxat milites, multi Vulnerati, Norbanus ad Capuam perfugit. Sylla & Metello circa Theanum existentibus, Lucius Scipio cum alio exercitu abiecto admodum ad eos Venit pacem petiturus. Quod intelligentes hi qui cum Sylla fuerant, de conuentione per legatos agitare cœperunt, non Vt sperabant, Voto potiti, cum milites ad seditionem Venturos ob deiectionem eorum arbitrarentur. Contigit autem Vt Vnà conuenirent. Scipio obsidibus conuentionis inter eos acceptus, in campum descendit, trésque ab Vtraque

parte

Primum prælium circa Canusium

Norbanus à Capua fugit.

parte conuenere. quæ ex re neque inter eos dicta scire datum. Visus est itaq; Scipio in Norbanum collegam, quæ relata erant referendo, Sertorium misisse, qui illa annunciaret. Cùm interim exercitus Vtraque ex parte silentium teneret, responsionésque ab illis expectaret. Sertorio deinde in transitu Suessam, quæ Syllæ esse dicebatur, intercipiente, Sylla præmisso nuncio apud Scipionem questus est. Ille siue facti conscius, siue quid responderet ignarus, Veluti in re à Sertorio insueta atque aliena obsides ad Syllam misit, ac statim exercitus captionis huiusce per inducias factæ non parum admiratus, obsidum à nullo petitorum missionem, culpam omnem in consules referens, clanculum ad Syllam transire paciscitur, si propius accederet. Sic eo appropinquante, omnes ad illum transiere, Vt Scipionem consulem, Vnáque Lucium filium solos ex omni exercitu in tabernaculo relictos, & à Sylla deprehensos referant. Mihi quidem ne imperatore dignum Visum est, quæ ab omni exercitu in eum conflata fuerant, ignorasse. Scipionem Verò & filium, nihil de ipsis conquestus Sylla, liberos abire iussit, & ad Norbanum pro ineundis fœderibus Capuam alios emisit: siue quòd Vniuersæ Italiæ ad Consules Vnà conspirantis Vereretur impetum, siue in illum, quemadmodum in Scipionem, fraudes necteret, nemine ne ad respon-

sum

Sertorius Suessam occupat

Exercitus Scipionis transit ad Syllam

ſum quidem accedente Norbanus nempe, vt videtur, ne ſimili calūnia premeretur ab exercitu, in primis verebatur, Sylla hoſtilem in modum propius acceſsit. Idem à Norbano diuerſis itineribus effectum eſt. Carbo ad vrbem profectus Metellum, cateróſque qui à Senatu ad Syllam confugerant, hoſtes iudicari imperat. Iiſdem diebus Capitolium igne conflagrauit: quod opus nonnulli Carbonis fuiſſe dicebant, alij conſulum, aut Sylla mittente patratum: veritas tamen incerta eſt, nec ipſe de ea re à quo confecta fuerit, ſatis habeo quæ dicam. Sertorius iampridem Iberiæ prætor deſignatus, poſt Sueſſæ vrbis detentionem in prouinciam aufugit, ac primis prætoribus admitti eum prohibentibus, multiplices eo in loco Romanis intulit labores. Adaucto quotidie à conſulibus exercitu, è maiori Italiæ parte, necnon à finitima circa Eridanum Gallia, neutiquam Sylla otio vacabat, verum ad quæcunque Italiæ loca ſuos præmittebat. Multos amicitia, aut timore, necnon pecuniarum ſpe in vnum colligebat. Sic vtriſque reſiduum æſtatis in hunc modum abſumptum eſt. Sequenti anno conſules creati Papyrius Carbo iterum, & Marius illius clarioris Marij affinis atque cognatus ſeptimum & vigeſimum nondum egreſſus annum. Hyems deinde, & frigora in longum producta, omnes abinuicē ſeparauere.

Oriente

Oriente vere circa Esinum fluuium per meridiem ingens prælium coortum est, Metello & Carrina ex Carbonis prætoribus adinuicem pugnantibus. Carrina multis interfectis primus aufugit. Hæc autem domestica omnia in Metellum à consulibus illata: Metellum deinde Carbo assecutus obsidere pergit. Marium verò consulem alterum: circa Præneste deuictum cum audisset, ad Ariminum castra ponit: eius postremam exercitus partem inuadens Pompeius non mediocri clade affecit. Hæc igitur apud Præneste ferè in hunc modum gesta. Intercipiente commeatum Sylla, Marius propius castrametatus paulatim cessit. Cum ad Sacriportum peruenisset, copias in prælium educit, acritérque ab eodem pugnatur. Sinistra acie inclinante, quinque peditum cohortes, duæ equitum, non expectata aliorum conuersione, arreptis signis ad Syllam confugerunt: ac tum primùm Mario origo cladis emersit. Interfectis quippe plurimis, reliqui Præneste fuga contendere. Sylla citato cursu eum insequente, Prænestini primos recepere. Appropinquante deinde Sylla occlusere portas vrbis, Mariumq; per funem sustulere, reliquorum circa mœnia cædes ingens edita. Multi capti à Sylla intercipiuntur. Ex his Samnites omnes iussit interfici, tanquam Romanis assiduè infensos. Iisdem quoque diebus reliquus Carbonis exercitus à

Metel

Metello superatur quinque cohortibus inter pugnandum ad Metellum delatis. Pompeius autem Martium circa Senas debellauit, Vrbemque diripuit hostiliter. Sylla Mario intra Præneste concluso, Vrbem fossa circundedit, muris longo interuallo additis. Lucretium etiam Ofellam huic operi iussit præsidere, Veluti non Vlterius Marium prælio superaturus, sed fame. Marius desperatis rebus hostes proprios statuit occidere, ac Bruto prætori Senatum Vrbis Veluti alia ex causa iubet conuocare, deinde Publium Antistium, Papyrium Carbonem alterum, Lucium item Domitium, & Mutium Scæuolam Romanorum Pontificem Maximũ interficere. Et hi quidem ambo in Senatu interfecti, Vt Marius edixerat. Nam cæde fieri occepta, Domitius effugiens circa exitum perfossus est, modicum Verò ante Senatum Scæuola occisus, amborum corpora fluuio immersa: sic enim antè Marius instituit, ne corpora humarentur. Sylla exercitum Romam per partes alijs atque alijs itineribus emittit, & Vt portas Vrbis intercipiant, illis imperat. sin Verò repellerentur, ad ostia concedere admonet. Hos igitur progredientes magna trepidatione Vrbes receperant, & ingredi efflagitantibus portas aperuerant. Fame quippe maceratæ, ac præsentium malorum desperatione confectæ, potentiores ferre consueuerant. His perceptis

Sylla

Sylla vlterius progressus, exercitum in campo Martio ante portas Vrbis statuit ipse eam ingreditur. Seditiosis quibuscunq; arripientibus fugam, eorum substantias in commune detulit, aut publicè venundari mandauit. Populum præterea in concionem conuocans, præsentium rerum statum deplorauit, iussitq; omnes bono animo esse, quasi hæc breui sedaturus esset, & Repub. meliorem in statum conuersa, quæcunque intulisset, optimè esset dispositurus. Deinde nonnullis Vrbi præpositis ex suorum numero, Clusium profectus est. eo in loco residua belli fuerant. Interea Equites quidam Celtiberi à ducibus qui in Iberia fuerant emissi, ad consules venere. Orta igitur equestri pugna iuxta Glanim fluuium, Sylla ad quingentos ex his occidit, ducenti verò & septuaginta ad eum transfugere. Reliquos Carbo confecit, siue subitam gentium defectionem indignatus, siue similem cladem & ipse vereretur. Eadem tempestate circa Saturniam residuas hostium copias Sylla deuicit, & Metellus Rauennas classe preuectus, Vritaniorum regionem pabulo frumentoq; abundantem in ditionem redegit. Neapolim porrò quidam ex Syllanis nocte per proditionem ingressi, omnes qui in ea fuerant, paucis fuga elapsis, interemerunt: triremes etiam Vrbis abstulerunt. Inter Carbonem deinde ac Syllam difficili prælio iuxta

Clusi

Clusium inclinante iam sole pugnatū est. Cūq; inter vtrosq; æquo Marte certaretur, nox pugnam diremit. In agro Spoletano Pompeius & Crassus ambo Syllæ prætores ad tria millia ex Carbonis militibus interficiunt, & Carrinam ex aduerso illis castrametantem obsidere pergunt. Carbo alterum exercitum ad Carrinā destinat. Quod intelligens Sylla, insidijs appositis ad duo militum millia, cum ad iter adhuc essent, occidit. Carrina nocte imbribus & tenebris obducta, ratus plures ex circunstantibus ob id custodiæ minus intendere, fugam arripit. Carbo cum Marium collegam fame laborare cognouisset, Martium cum octo legionibus Præneste ire iubet. Quibus Pompeius per insidias in angusto occurrens, ab itinere auertit, & multis interfectis, reliquos in colle quodam conclusos obsedit, cuius causa Martius nullo comite extincto igne clanculum aufugit. Exercitus insidiarum causam in illum referens, ad seditionem peruenit. Tādem arreptis vexillis nullo signo dato Ariminum redijt. residuæ copiæ ad patrias eorū per partes reuertuntur sic, vt septem duntaxat cohortes cum duce morarentur. Hæc igitur infeliciter operatus Martius ad Carbonem peruenit. Marcum autem Lamponium ex Lucania. & Pontium Telesinum ex Samnitibus. & Capineum Guttā septuaginta millia hominum ad-

ducentes, ut Marium ab obsidione liberarent, Sylla inter arcta quadā per quæ unicus patebat aditus, ab itinere exclusit. Quamobrē Marius desperatis omnib. exterioribus subsidijs, arcē campi in medio, qui latè undiq; longeq; patebat, erigere cœpit: in quam machinas & exercitum inducens, Lucretium vi superare conabatur. Magna verò eius perfecta parte, cum varia expertus esset, nihilq; profi eret, in Præneste denuo conclusit exercitum. Per hos dies Carbo & Norbanus in Fauentiā agmen deducentes, inclinante iam sole ad Metelli exercitum venere. Dum unica lucis superesset hora & vineæ intēsæ præpedirēt aditus, parū prudenter, itaq; cōmoti, milites in aciem educunt, rati subito aduentu eorū Metellum pauore territum facilè superari posse. Victi deinde loci ac temporis incommo litate pugnantes, & inter vitium nodos præpediti magno numero interficiuntur, sic ut decem millia cecidisse referantur, sex millia ad hostes aufugisse, reliquum exercitus in fugam versum solos mille in ordine progressus ad Arrigium venisse. Alia Lucanorum legio duce Albinouano, clade exercitus audita, excandescente eo ad Metellum transijt: quam cum ab impetu cohibere non posset, ipse ad Norbanum peruenit. Non multò pòst clanculum cum Sylla pepigit, ac venia adepta siquid operæpretium egisset, Norban

Carbo, et Norbanus ad Fauentiam victi.

banum, vnáque duces cum illo conspirantes in conuiuium aduocat. Caium Antipestrum, & Flauium Fimbriam fratrem eius, qui per Asiam se ducem fatebatur, cęterósque quicunque Carbonis prætores aderant. Hi cum in vnum conuenissent, excepto Norbano (solus enim non accesserat) Albinouanus omnes in tabernaculo occidit, deinde ad Syllam confugit. Norbanus ad Ariminum intellecta clade, plures ex propinquis exercitibus ad Syllam fugisse audiens, satis ratus nullum vlterius ex amicis, vt in aduersis mos est, in fide permansurum, priuatam nauiculam inscendit & in Rhodum propere euadit: quo in loco posterius à Sylla repetitus, Rhodijs iam illi assentientibus, seipsum in fori medio conficit. Carbo duas militum legiones Præneste à Damasippo deduci imperat, & Marium propere ab obsidione liberare. Sed nec hi per angustias locorum, quæ à Sylla tenebantur, proficisci potuere. Galatæ quicunque sub Norbano superiora Alpium incolebant, cõferto agmine ad Metellũ transiere: & Lucullus reliquũ Carbonis exercitum circa Placentiam obsedit. Quæ cum Carbo intellexisset, triginta militum millia ad Clusium adhuc obtinens, duas Damasippi legiones, aliósque cum Carrina & Martio, Samnitibus insuper magna manu promptissimè inter angustias locorum cum illo laborantibus, despe-

Norbanus ad Ariminum inde Rhodum fugit, ubi se ipsum interficit

Galli ad Metellum transeunt.

Lucullus exercitum Carbonis ad Faventiam obsidet

Carbo in Africam fugit

ratis rebus, cum quibusdam ex amicis æger ex Italia in Libyam euasit, fisus Libyam contra Italos facilè instante eo sumpturã arma. Ex his verò qui ad Clusium relicti fuerant, nonnulli cũ Pompeio in aciem progressi iuxta vrbem, tandem ad viginti hominũ millia amisere. Qua clade tam ingenti accepta, reliqui per partes in patrias suas rediere. Carrina autem & Martius & Damasippus cum omnibus copijs suis ad angusta loca conuenere, vt cum Samnitibus per vim iter aperirẽt, transitumq́; patefacerent: Quod cum assequi nequirent, Romã veluti viris armisq́; destitutã vertère copias, vt vnà cõmeatum interciperẽt: & per stadia centum vrbi propinqui ad Albanum castrametantur. Eorum aduentu, cũ de vrbe vereretur Sylla, Equites summa celeritate præmittit, qui hostibus in itinere occurrãt. Ipse numerosis copijs subinde prouectus, ad Collinam portam circa meridiem castra locat non longe à Veneris templo. Iam igitur hostibus ad portas castrametantibus, ingens pugna circa solis occasum fieri cœpta. In dextro cornu Sylla superior euasit: sinistrum ab hostibus disiectũ, ad portas profugit vrbis. Qui autem seniores aderant, cum hostes accurrentes cernerent, portas è machinis deponunt: quæ inter illos corruentes, nonnullos militaris, quosdam Senatorij ordinis interfecere, multi timore ac

neceß

necessitate in hostes conuertuntur, ibiq́; per noctem depugnãtes, summã edidere stragem. Cecidere eo in prælio ex prætoribus Telesinus, & Albinus, eorúmque exercitus adepti sunt Lamponius & Lucanus: Marcellusq́;, ac Carrina, reliquiq́; Carboniana seditionis duces, qui in vnum conuenerãt, fugam capessunt. Ingens cædes hoc prælio edita, ad quinquaginta enim millia vtraq; ex parte cecidisse narratur, captiuorum ad octo millia, & plura redacta in potestatem. Sylla, quòd Samnites maiori ex parte in his erant, telis perfodit omnes. Postridie Martius ad eum & Carrina capti perducuntur: quibus neutiquã parcens, Romanorum more ambos interfecit. Capita Præneste, vt mœnibus affigeret, ad Lucretiũ allata mandato eius. Quibus inspectis Prænestini, quòd omnes Carbonis copias deletas audiuissent, Norbanum ex Italia aufugisse, reliquum verò Italiæ, vrbemq́; Romam ad Syllam concessisse, ciuitatem Lucretio dedidere. Mario aggerem per cuniculos ingresso, nec multo post interempto manu propria, Lucretius ceruicem abscidit, caputq́; ad Syllã misit. Id fori in medio ante rostra cum appendisset Sylla, iuuenta Consulis irrisa hæc effatus dicitur: Remigem prius esse oportere, quàm ad gubernacula admouere manus. Lucretius Præneste recepta, Senatores omnes qui cum Mario ea in vrbe

gessissent bellum, partim interfecit, partim in vincula coniecit: quos Sylla subinde aduenient neci tradidit, iussitq́; ex Praeneste sine armis in campum prodire omnes qui in vrbe moram duxissent. Ex his quoscunq; sibi vtiles, paucos tamen è caeteris elegit, reliquos in tres partes abinuicem distinxit, Romanos scilicet, Samnites, & Praenestinos. Cum diuisi forent, Romanis per praeconem inprimis annuntiat, quoniā morte digna perpetrassent, veniam illis elargiri: reliquos confodi imperauit. Mulieribus eorumq́; filijs libere abire permisit: ac ciuitatem diripuit hostiliter, opibus tunc quidē refertam maximis. In hunc igitur modum Praeneste capitur. Norba alia ciuitas strenue adhuc illi resistebat. Aemilio demum Lepido nocte per proditionem ingresso vrbem, desperatione ducti ciues ob proditionem, quidam semet interemerunt, alij se abinuicem sponte trucidarunt, nonnulli laqueis finiere vitam. Portas porrò quidam obturarunt, alij incenderūt. Ventus nempe assidue incumbens adeo consumpsit omnia, vt nihil spoliorum ex vrbe percipi potuerit. sic illi egregie mortem obiere. Ingruentibus hunc in modum per Italiam bellis, igne, internecione hominum, Syllae Praetores ad vrbes accedentes, quae suspectiora videbantur praesidijs muniebant. Pompeius interim in Libyam contra Carbonem, & in Siciliam cōtra

nece

Pompeius in Africa contra Carbonem proficiscitur.

necessarios Carbonis & amicos proficiscitur. Sylla Romanis in concionem conuocatis, multa de seipso magnifice elocutus est. Alia quoque non minus formidanda in deprehēsionem eorum enarrauit. Ad hęc porrò intulit: Quoniam populum meliorem in partem conuerteret, cum sibi paruisset, nulli inimicorum ad extremum vsque supplicium parciturum: Verum Pretores, quęstores, tribunos, & quoscunque alios qui cum hostibus simul quippiam egissent, ea ex die qua Scipio Consul in his quę pollicitus fuerat non stetisset, summis pœnis affecturum esse. Quo dicto Senatores quadraginta, Equites mille & sexcentos ad mortem condemnauit. Hic enim Romanorum primus inuentus est qui morte mulctaret. Descripsit & pręmia interfectoribus. Indicia his qui accusarent, & supplicia occulentibus insuper ascripsit. Paulo post Senatores alios primis addixit, ex quibus nonnulli inopine deprehensi, eo in loco quo capti fuerant, interfecti sunt, aut in domibus, aut angiportibus aut sacris in locis. Quidam suspensi, & ad Syllam delati ante pedes eius proiecti sunt. Alij trahebantur, verberabanturque, nemine intuentium vocem in tantis calamitatibus ob pauorem emittere audente. Expulsiones etiam aliorum, & alijs bonorum collationes factę, cum ab vrbe fugientes quęrerent, & hinc inde cuncta fla-

 gellan

gellantes permearent, quoscunque etiam inuenissent, neci traderent. Plurima insuper Italorum cædes, exilia, & bonorum publicationes patrabantur in eos qui aut Carbonis, aut Norbani, aut Marij, aut eorum Prætorũ mandatis paruissent, iudicia per Italiã omnẽ dire exercebantur. Accusationes prætoriatuum militiæq; multiplices fiebant, vel in pecuniarum exactionibus, vel alijs ministerijs, vel omnino consilij alicuius in Syllam perpetrati. In delictorũ numero hospitalitates, & amicitiæ, & collationes vel dantis vel recipientis ponebantur, vel si quis prõptitudinis alicuius aut contubernij in itinere deprehẽsus extitisset. Quæ omnia circa diuites asperius etiam exigebantur. Cũ vero in singulos delationes defecissent, ad ciuitates se Sylla conuerterat, easq; vicissim puniebat, aliarum arces demoliri iubendo, quarundã mœnia solo æquando, aut publicam mulctam illis imponendo, aut grauioribus tributis eas affligendo. Nonnullas etiam plurimis ex his qui sub se militauerant, in colonias distribuit, & veluti arces quasdam per Italiam habiturus, ciuium agros domosq; inter eos partitus est. Quæ res vsque ad vltimum vitæ exitum eos beneuolos sibi reddidit, quasi nihil proprij aut certi sibi ipsis præponentes nisi saluo & incolumi Sylla, ita vt deficiente eo adhuc pugnarent. Hæc igitur in Italia agi-

tuban

tabantur. Carbonem autem ex Libya in Siciliam, & ab ea in Corsicam cum illustribus multis fugientem, Pompeius quibusdam præmissis intercepit. Cæterum ducentibus in mandatis datum, ut priusquam ad conspectũ eius accessissent, alios quidem interficerent, Carbonem vero ante pedes eius statuens ter Consulem, catenisq́ue deuinctum, morti cõdemnauit. caput quoque ad Syllam misit. Ille cum omnia ad votum contra inimicos suos statuisset, & nullus, Sertorio excepto, qui longe aberat, superesset hostis, Metellum ad eum oppugnandum in Iberiam misit. Quæcunque vero in urbe fuerant, ea sibi ad nutum subdidit. Legis, aut comitiorum, aut sortis delectus nullus habebatur, cunctis metu trepidantibus, aut occulentibus se, aut omnino silentibus: qui quæcunque Sylla statuisset, siue Consul, siue Proconsul, immobilia instaq́ue ex decreto firmauere. Imaginẽ præterea eius ex auro equestrem ante rostra collocarunt, inscripseruntq́ue: Cornelio Syllæ Imperatori fortunato. Sic enim illum adulatores in hostes feliciter pugnantem appellare consueuerant: quæ adulatio stabile tandem nomen obtinuit. Ego quippe nonnulla legisse memini, in quibus Sylla ex decreto venustum se appellari voluit. Quod nomen non inconueniens mihi visum est, ex quo Faustus cognominatus dicitur. non enim longe à

Pompeius Carbonis ter Consulis caput ad Syllam mittit

 feuci

felici & fausto Venusti nomen videtur differre. Legitur etiā ubi ex oraculo futura perscrutanti hæc cōfirmata sunt his verbis. Crede mihi à Venere Romana potentia creuit, Magna tibi Aeneæ stirps est, quæ currat, & almis Annua cælicolis ne reddere vota recuses, Delphos dona feras, quàm primum ascendere pergens. Per iuga candentis Tauri locus est, vbi cernes Charam Vrbem ingentem, colitur quæ nomine diuæ. Vim summa accipies, illic depone securim. Quæ vtrauis Romani ciues imagini eius ascripserint, vel cauillo in eum, vel adulatione videtur vsi. Misit autem diadema aureum ac securim, hæc inscribens. Hæc tibi diua Venus deponit munera Sylla, Vt somno monitus Martis conspexit in armis Pugnantem, atque acies armatas inter agentem. Rex autem ac Tyrannus existens, nec electus ab vllo, verum potētia & viribus adauctus, cum huiusmodi dissimulatione indigeret, vt electus videretur, hæc astute commentus dicitur. Romanis quippe ex virtute iampridem reges præsidebant, & si quispiam eorum decessisset, Senator alius, & deinde alius post regem per quinque dies præsidebant, donec populus regem alium approbasset. Hunc igitur diebus quinque præsidentem, interregem solebant nominare. Erat interim is rex. Comitia vero Consulum, qui magistratum finiuisset, proponere

nere solebat. Quod si forte creatio Consulis non succederet, hic interim rex, & tunc quidem consulari electione creabatur. Hunc morem igitur imitatus Sylla, consule nemine existente, ex quo Carbo in Sicilia, Marius Praeneste decesserant, Vrbe egressus est. Senatus Interregem interim creari iubet: ac Valeriũ Flaccum tunc quidem in primis creat, ratus eum comitia Consulũ subinde habiturum. At vero Sylla Flacco separatim per epistolam iniungit, vt sententiam ad populum deferat, vtile Syllae videri, in praesenti esse in vrbe principem quem Dictatorem nominant, per quadringentos iam desuetũ annos. quemq; elegissent, suadere non ad tempus dictum sed quousq; ciuitatem, & Italiam, principatúmque omnem seditionibus bellisque fluctuantem stabilisset, vrbi praesidere. Quam rem ad Syllam pertinere, omnium bene intelligentium animi haud dubie cernebant. Sylla vero neque seipsum, neque epistolae secreta celauit vlli, se scilicet ciuitati hac in re maxime fore vtilem, sed haec palam annunciauit. Romani cum ex lege nihil vlterius sancire possent, neque quippiam omnino haec ad se pertinere crederent, in omni rerum indigentia dissimulationem creationis veluti libertatis imaginem & specimen amplexi, Syllam quoad velit principem eorum statuere. Tyrannis fere quadam Dicta-

torum

torum olim fuit, dignitas tēpore vel breui diffinita, tunc autem primum nullo adhibito fine tyrannidem expreßit vltimam. Tantum ad nominis splendorem illi concessere, vt eū expositione legum eligerēt dictatorem, quibus sub se approbaret constitueretque Rempublicam. In hunc modū Romani regibus supra cētesimam olympiadem in primis vsi, cum ab illis Democratia & annuis Consulibus functi essent, alijs interiectis centum olympiadibus iterum reges experti sunt, Olympiade apud Græcos quinta & septuagesima supra centesimam, nullo in Olympijs certamine præterquam stadij cursu edito. Athletas nempe, & cætera spectacula Sylla Romam euocauit, veluti sola mina quædam belli Mithridatici, aut Itali, excusatione adhibita quasi populum à calore respirare & refrigerari cuperet. Hic igitur ad specimen quoddam patriæ Reipublicæ Consules ab illis eligi permisit. Fueréque tum primum Marcus Syllius, & Ortilius Dolabella creati consules. Ipse regum in morem supra eos dictator residebat. Secures quatuor, & viginti tanquam dictatori ante eum ferebantur, vt priscis etiam regibus mos fuit. Custodes præterea corpori quamplurimos addidit. leges alias dissoluit, alias imposuit: neque aliquem prius Prætorem quàm quæstorem esse voluit, nec Consulem antequam Prætorem, & eandem

dem

dem potestatem eundem virum attingere prius quàm decenniū peregisset, ex decreto vetuit. Tribunitiam vero potestatem adeo perfregit, ac debilitauit, vt ferè ad nihilum redegerit, cum ex lege prohiberet, qui Tribunatū gessisset, vlterius potestatem habere posse. Quamobrem omnes qui gloria, aut genere pollebant, Tribunatum in futurum auersati sunt. neque clarè possum eloqui, an Sylla ipsum, vt nunc est à populo ad Senatum trāstulerit. Nam cum Senatus ob dissensiones, bellorumq; turbines ferè exhaustus esset, trecentos ex optimis equestris ordinis elegit, vocemq; singulis in Comitijs attribuit. Populares autem seruos eorum qui nuper cæsi fuerant, iuniores scilicet ac robustiores vsque ad decem millium numerum & plurium in libertatem vindicauit, ciuesq; Romanos esse voluit. Cornelium quoq; seipsum vltro nominauit. Ad mandata porrò exequenda ex popularibus decem millibus vsus est. Illud idem per Italiam meditatus, legionibus tribus & viginti sub ipso militantibus multos in ciuitatibus agros, vt à me præscriptum est attribuit, partim indiuisos adhuc, partim per vim ereptos ob mulctam. Ad omnia denique tam formidabilis fuit, & ad iram subitus, vt Quintum Lucretium Offellam, cuius opera Præneste vrbem receperat, Marium Consulem obsederat, victoriæ finem tandem

adeptus fuerat, consulatum inire deprecantem, cum in equestri ordine adhuc esset, priusquam Prator & quastor extitisset, rogantibus insuper ciuibus, priscorum more permittente ob captiuorum multitudinem, cum abnuendo deterrere non posset, fori in medio ense confoderit, deinde accitis ad concionem ciuibus in hunc modum elocutus sit Scitis Viri. & à me audistis, quoniam Lucretium minus mihi obsequentem ipse occiderim. rationem deinde addidit. Pediculi rusticum arantem forte momorderant: ille bis aratrum deponens, Vestem perpurgauit. Cum autem denuo morderent, ne sæpius ab opere cessaret, Vestem igni imposuit. Sic ego Victis persuadeo, ne tertio ignem experiantur. Sylla igitur huiusmodi ex caussis pauefactis omnibus, principatu ad libidinem abusus est. Triumphum quoque ex Mithridatico bello egit. Et quidam eius dictaturam inficiatum regnum per iocum dictitabant, quòd regium duntaxat celaret nomen: alij ex aduerso ad opus transferentes, tyrannidem professam appellabant. Tantum Romanis ipsis, atque Italis omnibus cladis bellum intulit, alijsq́; supra illos nationibus, quæ nuperrime Sylla & Mithridate depugnantibus latrocinijs Vexatæ, nuperrime quæstore carentes, ob dissensiones tributis afflictæ fuere. Quæcunque enim nationes, & regna, quicunque socij, aut

Vrbes

Vrbes non solum vectigales, verum quæ semet fœderibus iureiurando Romanis credidissent, vel ob belli societatem aliámque virtutem ac præstantiam suis legibus degentes immunes extitissent: tunc omnes tributa conferre, & illi parere cogebantur. Nonnullis portus, prouinciæque ex fœdere concessæ, denuo ablati sunt. Cum Sylla Alexandrum Alexandri Aegyptiorum regis filium in Coo enutritum, & à Cois Mithridati traditum, postremo ab illo ad se fugientem in amicitiam recepisset, ex decreto Alexandrinis præesse voluit (nam regnum virili stirpe defecerat, mulieribus quæ ex regio genere aderant, viro ex eadem stirpe carentibus) ratus ex regno auri opulentissimo magnam pecuniarum vim auferre posse. Cæterum cum per nouem & decē dies illis præfuisset, absurdum existimātes quod Sylla speraujsset regem ab ipsis poscere, in gymnasium ex regia delatum interemere. Sic magnitudine potentiæ suæ confisi Alexandrini, exterarum cladium experientia, cæteros minus timuere. Sequenti anno Sylla quāquam dictatura fungeretur, sub dissimulatione tamen specimen quoddam democraticæ tenuit politiæ, ac denuo cum Metello, qui pius cognominabatur, consulatum inijt. Hoc igitur fortasse exemplo, qui nunc Romanorum regno præsident Consules declarantes, nonnunquam consulatum & ipsi

assum

assumpsere, non indecorum existimantes cum maiore dignitate unà consulatum gerere. Sequenti deinde anno populus quò Syllæ obsequeretur, consulatum eũdem ut gereret deprecatus est. Cui aduersatus Sylla, Corneliũ Isauricum, & Claudium Pulchrum Consules designat. Ipse nemine cogente dictaturam præstantissimam dignitatum omnium sponte deposuit. Et profectò mirum mihi videtur, primarium virum, ac solum tum quidem inter omnes, tam illustrem impellente nullo reliquisse dignitatem, non filijs, ut Ptolemæus in Aegypto, & Ariobarxanes in Cappadocia, & Seleucus in Syria, sed his qui tyrannidem eius pertulere. Irrationabile id enim, qui per vim, tot periculis se obijciens, dictaturam assumpsisset, eam sponte posuisse, & præter cunctorum opinionem nihil noui ab ullo veritum fuisse, qui centum & plura hominum millia bello confecisset, tot domesticos hostes occidisset, Senatores nonaginta, Consules quinque supra decem, Equestris vero ordinis ad duo millia, & sexcentos alios deinde expulisset: quorum nonnullis facultates ademerat, quosdam insepultos proiecerat: eundem neque qui domi, neque qui foris essent, timuisse: ac urbibus, quarum plerisque arces mœniaque disiecerat, agros, pecunias, tributa ademerat, se priuatum obtulisse. Tantum huic viro animi & felicitatis affuit,

vt fori medio dicere auderet, ideo dictaturam se deponere, vt eorum quæ fecisset, rationem subire posset, si quis exigeret. Virgas præterea & secures perfregerit, & custodes à corpore amouerit, solusq; cum amicis vulgi in medium progressus sit inspectante multitudine, ac stupente rei nouitate. Ac tum semel ad domum diuertentem adolescens quidam contumelijs affecutus est: nemine illum deterrente, vt ad domum vsque conuitijs se incesseret, adhortatus dicitur. Ita qui inter maximos viros primus omnium ira excandescere solebat, adolescentem patienter tulit. Hoc solum domum ingrediens siue ab ingenio, siue à diuinatione quadam futurorũ dixisse fertur: Non sinet adolescens iste alterum aliquando virum dignitatem huiusmodi habentem deponere. quod Romanis paulo post contigit, Caio Cæsare potestatem minime exuente. Omnino mihi Sylla videtur, cum vehemens simul & potens extitisset, ex priuato tyrannus fieri cupiuisse, ex tyranno priuatus, & ob id ad solitudinem quandam agrestitatémque declinasse. Profectus est enim Cumas Italiæ vrbem ad agros proprios, quo in loco maritima solitudine oblectatus, nonnunquam venationi impẽdit operam, vitam in vrbe neutiquam priuatam agens, neque debilis iterum ad quæcunque concupisset, cum robusta illi adesset

ætas, corpúsque à natura validum. Circa Italiam vero centum & viginti millia hominum tenuit recens sub eo militantium, quibus ingentia munera, agros plurimos contulit. Parati quoque in vrbe Cornelij decies mille aderant, & alter eiusdem factionis seditiosus globus beneuolus illi, cæteris tremendus, atque formidabilis. Hi fiduciam eorum quæ egissent, in Sylla statuentes, salutem etiam propriam in eo collocarant. Cæterum mihi videtur Sylla bellorum, principatus, ac ciuitatis satietatem nactus, vacationem duntaxat & feritatem appetisse. Quo deficiente, Romani subito à tyrannide cædéque liberati, paulatim ad seditiones nouas defluxere. Nam cum Consules creauissent Caiũ Catulum Syllanarum partium, Lepidum vero Aemilium aduersarum, adinuicem hostes, & qui subito inter se contenderent, certum erat malum aliud à primo sumpturum ortum. Ferunt Syllam, cum in agris esset, dæmonem quendam per somnium aspexisse, seq́ ab illo vocari existimauisse. Quod somnium cum amicis mane retulisset, summa celeritate testamentum conscripsisse, insequentique nocte obsignato eo, cum febris accessisset, sexagesimo exacto anno è vita decessisse. Fuit autem ad omnia felicissimus vsque in finem: & quemadmodum cognominatus est, sic felix habitus

Sylla post abdicationem ... in Villa decessit.

bitus: tantum prosperitatis, quantum concupierat, assecutus: Et statim quidem post eum seditio in Vrbe emicuit, cum nonnulli corpus eius per Italiam pompæ in modum ferendum dicerent, deinde Vrbi illatum, fieri in medio publice humandum, Lepidus vero & qui circa illum erant, aduersarentur. Vicere demum Catulus, & cæteri Syllanæ factionis comites: corpúsque per Italiam in Vrbem lectica aurea regium in morem illatum est. Tibicinum copia, Equitumq́ue, ac cæterorum multitudo prægrediebatur. Post hos milites omni ex parte, & ad pompam instructi armis accurrebant, & vt quisque accesserat, protinus in ordinem referebatur. Verum multitudo tam ingens qualis nullo vnquam in opere visa fuerat, accessit. Præcedebant signa securésq́ue, quibus Dictator cum esset vtebatur. Hunc in modum insigni pompa, magno apparatu in Vrbem defertur. Coronæ ex auro ad duum millium numum, pluresq́ue summa cura fabricatæ, Vrbium dona, ac legionum sub eo militantium ab amicis sigillatim ferebantur: aliaq́ue ad sepulchri decus addita, quorum splendorem eloqui nemo posset. Corpus denique accurrente exercitu Sacerdotes sacraq́ue virgines per vices detulere. Senatus item reliquiq́ue magistratus, cum vexillis eorum sequebantur, alio deinde ornatu Equitum turba exercitusq́ue omnis per partes

diuiſus, qui ſub ipſo fuerat, Magno demum ſtudio vnuſquiſque ad ferenaum accurrit, vexilla aurea argenteis praeferentes armis, quibus ad pompas nunc etiam vtũtur. Tubarum infinitus fuit numerus, quarum multitudo per partes grauiorem triſtemque emittebat ſonum. Vox laudantium prima Senatus erat, deinde Equitum, poſtremo exercitus, populiq́ vniuerſi: ex quibus nonnulli Syllam exoptantes, quidam formidantes, tunc autem exercitum, extinctiq́ corpus circunſteterãt. Cũ enim ad magnitudinem geſtarum rerum, defunctiq́ memoriam flexiſſent animum, quae vir ille peregiſſet, obſtupebant, fatebanturq́ eundem omnibus hoſtibus ſuis longe feliciorem, defunctum quoque illis formidabiliorem extitiſſe. Verum cum ad tribunal, vbi concionari mos fuit in foro delatum eſſet, funebrem orationem in primis edidit, qui ea tempeſtate fuit eloquentiſſimus: quum Fauſtus Syllae filius adoleſcens adhuc eſſet. Lecticam ſubiere potentiores ex Senatu omni, iidemq́ campo Martio intulere, quo in loco reges duntaxat humari conſueuerant. Equites vniuerſusq́ exercitus circum pyram excucurrit. & hic Syllae finis. A funere deinde redeuntes Conſules, verbis ſtatim inter ſe, calumniiſque diſſidere, quaeque ad vrbem pertinebant, inuicem partiri coeperunt. Lepidus quidem Italis ſubblandiens, agros,

quos

quos illis ademisset Sylla, reddi deposcebat. Amborum odia veritus Senatus, iureiurando eos adstrinxit ne armis inuicem contenderent. Lepidus Galliã sortitus, quæ supra Alpes sita est, ad comitia minime descendit, vtpote qui bellum in sequenti anno, nullo iurisiurandi timore habito, in Syllanos esset gesturus. Videbantur enim intra magistratus sui annum fidem præstitisse. Cum quæ cogitasset, minime laterẽt, à Senatu accersitus est. nec ille quamobrem vocaretur ignarus, vniuerso cum exercitu profectus, quasi cum eo vrbem ingressurus, prohibitus subinde, ad arma per præconem omnes conuocat. Ex aduerso Catulus bellũ vicissim præconis voce denunciat. Post modicum prælio ante campum Martium inito, ab vtrisque superatus est Lepidus: nec multum illi aduersatus, in Sardiniam enauigauit, quo in loco distillationis morbo correptus, cessit è vita. Præter eius paulatim cæteris insultans per partes destituitur. Quicquid residui roboris ex optimis fuerat, Perpenna ad Sertorium in Iberiam deduxit. Residuum quippe Syllanorum operum, Sertorij bellum fuit, per octo, nec facile gestum annos, neq; insimul Romanis nõ tanquam in Iberos, sed adinuicem pugnãtibus cõtra Sertoriũ, qui Iberiæ, vt præmissum est, imperitabat. Nã cum Carboni depugnaret Sylla, Sertorius Suessam vrbẽ per inducias recepit.

Fugiens deinde ad praeturam profectus est, exercitúmque ab Italia deducens, alterúmque ex Iberis in Vnum congregans, praetoribus qui ante illum fuerant, prouinciam inire prohibentibus, quò Syllae obsequerentur, ex Iberia eos expulit, ac in Metellum, qui à Sylla missus fuerat, egregie bellum gessit. Promptus quippe ad audenda omnia Sertorius, Senatum ex amicis, qui Vnà aderant, Vsque ad trecentum elegit numerum, quem Vere Romanorum in alterius ludibrium asseuerabat. Sylla defuncto, ac Lepido deinde post Syllam exercitum alterum Italorum agens Sertorius, quem Perpenna Lepidi Prætor ad illum duxerat, opinionem facile præstitit quasi in Italiam bellum esset traducturus: nisi quod id Veritus Senatus, exercitum, ducémque alium post primum in Iberiam Pompeium misit, qui illi obsisteret, adolescentem adhuc, Verum fama illustrem ob ea quæ in Libya, & in ipsa Italia sub Sylla gesserat. Is igitur ad Alpes penetrandas magno animo profectus, non per Hannibalis illud memoratum iter, Verùm haud longe à Rhodani atque Eridani fontibus iter cepit, qua ambo flumina paruo inter se spatio caput exerunt. Ex his alter per Celtas qui super Alpes incolunt, in Tyrrhenum mare diffunditur, alter Verò intra Alpes supra Ionium sinum elapsus, pro Eridano Padi nomen assumit. Accedente in Iberiam

Pom

Pompeio, Sertorius exercitum omnem pabulatum educens, impedimenta eius ac seruos inuasit, & ad Laurum Vrbem ingruente Pompeio Vrbem diripuit funditusq́; disiecit. Ex obsidione interim muliere deprehensa, cum miles digitis per obscœna adhibitis in illam conuitiaretur, oculos sibi eruit. Qua re percepta Sertorius passionem eius miseratus, cohortem omnem ad similia infamem atque arrogãtem, quanquam ex Romanis constaret, interfecit. Ac tunc quidem insurgente hyeme inter se diuisi sunt. Cum autem Ver instaret, adinuicem congredi cœperunt, Metellus scilicet, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus, inter quos hyberna egerant: Sertorius & Perpenna ex Lusitania, ac simul iuxta Vrbem, quæ Surium appellatur, congressi tonitru horrendo concutiente aëra, fulguribus in immensum coruscantibus, qui armis experti erant, nullo timore perfecere bellum, plurimamq́; cædem edidere, quoad Metellus Perpẽnam repulit, exercitumq́; eius diripuit. Eo in prælio Sertorius Põpeium vicit. Pompeius non sine periculo femur telo saucius euasit, & his finis pugnæ inter vtrosque fuit. Ceruam habuit Sertorius candidam admodũ, atque mansuetam, quam cum forte amisisset, infelicitatis signum arbitratus, permaxime angebatur animo, nec in aciem prodibat, ceruam ab hostibus interceptam autumans, qua eos

illudere solebat. Cum deinde inopine apparuisset, cursúque ad eum contendisset, subito in hostes quasi ab ea excitus defertur, prælijsq́ leuibus vsus est. Non multo deinde pugnam ingentem circa Saguntum à meridie in noctem protulit, in qua equestri prælio Pompeium superauit, hostium ad sex millia interfecit, media eorum parte deleta. Metellus ex Perpenna exercitu ad quinque millia neci dedit. Sertorius postridie ab ea pugna ingenti barbarorum collecta manu, inopine Metelli exercitum aggreditur, cum iam sol ad occasum vergeret, veluti castra aduersus eum magno animo esset positurus. Accurrente deinde Pompeio, ab incepto destitit. His æstatis temporibus ab vtrisque gestis, ad hyberna diuertêre iterum. In sequenti anno, sexta & septuagesima supra centesimam olympiade, duæ ex fœderibus nationes Romanis accessere, Bithynia, Nicomede eam relinquente, & Cyrene Ptolemæo Lagi qui Appion dicebatur, testamento vtrisque eam tradente Romanis. Econuerso hostes insurrexere Romanis præpotentes. Sertorius circa Iberiam, & Mithridates ad orientem, piratis maria omnia infestantibus, & circa Cretem bellum aliud à Cretensibus, gladiatorijs etiam prælijs per Italiam vehementer subitóque emergentibus. Diuisi igitur inter tam ingentes res, alias in Iberiam duas

emisê

emisere legiones, cum quibus cæteris adiunctis Metellus iterum ac Pompeius ab Pyrenæis montibus in Iberiam venere. His Sertorius, ac Perpenna à Lusitanis occurrunt. & tunc quidem multi à Sertorio ad Metellum transfugêre, quorum causa turbatus Sertorius, crudeliter barbaréque in plerosque debacchatus, odio haberi cœpit. Huius rei præcipua exercitus causa fuit, quòd is custodes à Celtiberis vndique acciuerat, & Romanis à corpore amotis eorum loco exteris se crediderat. Non enim milites æquo animo perferre poterant se infidelitatis ab eo argui, quanquam sub Romanorum hoste militarent: quinimo id eos vehementius angebat, cum infidi erga patriam ob illum haberentur, nunc suspectos ab eo haberi, nec qui in fide permansissent, à transfugis dignosci posse. Multa præterea Celtiberi in eos insurgentes, contumeliose vt insidiis obiectabant. Veruntamen ij Sertorium non omnino simul omnes reliquere ob eius vtilitatem atque præstantiam, non enim fuit alter viro illo bellicosior, atque fortunatior. Qua ex causa Celtiberi illum ob agendorum promptitudinem Hannibalem solebant appellare, quem audacissimum & astutissimum ducem apud eos fuisse nouerant. In hunc igitur modum exercitus erga Sertorium sese habuit. Vrbes interim plurimas eius, qui vnà cum Metello versabatur, assiduè infestabant.

 bant.

bant, ciuésque ad deditionem impellebāt. Cum Pompeius Palantiam obsideret Vrbem, ac mœnia lignorum truncis Vndique appendisset, aggressus eum Sertorius, ab obsidione repulit. Verum præueniens Pompeius mœnia succendit igne, deinde ad Metellum rediit. Sertorius restitutis quæ corruerant mœnibus, ad eos qui circa Calagyrum castra habebant delatus, ad tria millia interfecit. Hæc sunt quæ eo anno in Iberia dicuntur gesta. Sequenti anno imperatores Romanorum summa Vi magis solito confisi, ciuitates quæ à Sertorio tenebantur inuadunt, & plerasq; ex illis sibi Vendicarunt. Cæteras etiam aggredi cœperunt, dolo confisi, & insidiis. non enim totis Viribus inuicem conuenerant, Verum iterum Vsque ad insequentem annum ipsi denuò Vrbes maiori animo inuaserant. Sertorius aduersante tam fortuna, bellicarum rerum laborem Vltro deposuerat, plurimúmque inter delicias, mulieres, conuiuia, potusq; Versabatur. Qua ex re assidue cum Vinci contigit: & ob id ad summam delatus iracundiam. ob suspiciones Varias, acerbitatésque puniendi, ad Vniuersa dubitabat adeo, Vt Perpenna, qui ex Aemiliana seditione sponte ad eum magnis cum copiis accesserat timore ductus, decem duntaxat fretus comitatu, insidias in eum strueret: ex quibus nonnulli indicio deprehensi, supplicio affecti sunt, quidam fuga sibi

consul

consuluere. Perpenna præter opinionem delitescens, magis adhuc facinus accelerare satagebat, & Sertorium custodes à se nusquam dimittentem, in conuiuium secum vocat. Eo in loco cum astantium turba vino grauis minus custodiæ intentæ esset, Sertorium obtruncat. Exercitus quidem in Perpennam statim insurrexit, ira concitus ac tumultu: beneuolentiã quoque pro odio in ducem cõmutauit, vt omnes furore quodam in eos commoti sint, qui illum occidissent: Cùm enim is cuius causa nonnunquam tristabantur, è medio cessisset, ad virtutis propriæ memoriam cum misericordia pietatéque reuertebantur. Ac tunc quidem quæ præsentia illis aderant mente cogitantes, Perpennam veluti priuatum quendam contemnebant. Porrò Sertorij virtutem vnicam eorum salutem fuisse rati, haud facilè in Perpennam conijciebant oculos. Nec ipsi duntaxat, verum barbari ferè omnes, Lusitanique, quorum opera Sertorius præcipuè in bello vsus fuerat. Cũ verò testamenti reseratis tabulis, Perpenna à Sertorio hæres institutus perlectus est, amplius cunctorum odia in eum exarsere, quasi non in ducem duntaxat aut Prætorem, verùm in amicum ac benefactorem ab eo sæuitum esset. Nec à vindicta cohibuissent manus, nisi quòd ad eos confugiens Perpenna, nonnullos donis, alios pollicitationibus sibi asciscebat,

pler

plerosque etiam metu cohibebat. Erant quos ad terrorem aliorum sibi adiungeret. In hunc modum igitur turbæ se subijciens, adulatione in omnes vtebatur. Nam eorum captiuos, quos Sertorius carceri addixerat, liberari iußit. Iberis præterea obsides restituit: quibus inducti, illi vt imperatori obsequebãtur, parebántque. Hic enim illi post Sertorium honos habitus, qui tamen non sine odio & inimicitia demum contigit. Nam cum supplicijs oblectaretur, crudelis tandem haberi cœpit. Tres quippe ex illustribus Romanos ad eum fugientes, fratrisq; filiũ interemit. Iam igitur Metellus ad alteram Iberiæ partem secesserat. Non enim illi difficile visum est Perpennam à Pompeio solo posse debellari. Per nonnullos interim dies leuibus inter se prælijs Pompeius Perpennáque eorum vires experti sunt. Decima tandem die omnibus copijs in vnum conuenerunt, veluti de tota belli mole discrimẽ subituri: quo in prælio Pompeius Perpennæ disciplinam facilè contempsit. Nam cum is de exercitus sui fide haud parum dubitaret, ab omni apparatu statim excidit. Subito itaq; Pompeius in eum inuectus, nec duce perferente, nec repugnante exercitu, illum superauit. Fuga nempe ab omnibus simul facta, Perpenna sub cespite quodam latuit, domesticos magis, quàm externos reformidans hostes. Intercipientes itaque illum quidam ex equitibus

tibus ad Pompeium attrahebant, calumnijs suorum agitatum, veluti Sertorium dominum: acclamantem quoque multa se Pompeio dictu rum fore ex his quæ à seditiosis Romæ gerebantur Id autem seu verè diceret, siue vt saluus duceretur ad eum fingeret, priusquam ad conspectum eius accessisset, Pompeij iussu interemptus est, veriti fortasse ne quid inexpectatum ederet, alteriusque mali principium gigneret in vrbe, quod persapienter Pompeius visus est egisse: summámque illi postremò laudem & gloriam attulit. Hic igitur Iberici belli finis, & Sertorij vita simul fuit, quod nec tam subito aut facile Sertorio adhuc viuente gestum esset. Eadem tempestate circa Italiam gladiator quidam ex his qui in Caspijs ad spectacula aluntur, Spartacus nomine, natione Thrax, qui aliquando cum Romanis meruerat, & in custodia ac gladiatorijs spectaculis asseruabatur, tantum animi assumpsisse visus est, vt septuaginta viris comitatus, pro libertate potius illos certare persuaserit, quàm in spectaculis pericula subire. Itaque per vim repulsis his qui custodiæ præerant, fuga abijt, ac plerisque ex viatoribus lignis ensibusq; munitis in Vesubium montem ascendit. Eo in loco multos ex fugitiuis seruos, quosdam etiam ex agris liberos in vnum congregans, quæ propinquiora aderant depopulabatur loca, suppratores

res

res habens Enomaum ac Crissum gladiatores. Itaque cum prædas ex æquo partiretur, magna confestim multitudo ad eum confluxerat. Ad quem oppugnandum primus Varinius Glabrus missus est, post illum Publius Valerius, non legitimum adducens exercitum, verum ex celeritate & itinere collectum. non enim deinceps Romani belli alterius motum, nec à prædatoribus simile futurum expectabant. Cum ad pugnam ventum esset, Romani superantur. Spartacus Varinij equum ense confodit parúmque abfuit Romanorum ducem à gladiatore captiuum duci: Post hoc prælium longe maiores copiæ ad Spartacum vndique aduenere: & iam ad septuàginta virorum millia in exercitu habebat, & arma dietim fabricabat, & apparatus deligebat. Qui autem Romæ aderant, Consules cum duabus legionibus emisere. Quibus se obijciens Crissus triginta millibus stipatus, circa Gargarum montem ab vtroque superatur, ac duabus exercitus partibus amißis, vnà & ipse concidit. Spartacum per Apennium montem ad Alpes, & deinde ad Celtas properantem alter cõsulum adeptus, à fuga prohibuit. Altero deinde insequente, cum ad vtrosque se conuerteret, per partes victor euasit: ac illi quidem cum tumultu ab eo discessere. Spartacus trecentos ex Romanis captiuos Crisso immolauit, ac centum viginti

mille

millibus peditum Romanorum circunseptus, ad Vrbem properabat, quæ inutilia armorum supererant, igne comburens, & captiuos vniuersos neci dedens, ac super eos curruum iumẽta conficiens, quò leuius incederet. Transfugis plurimis ad eum venientibus, neminem admisit. Consulibus iterum circa Picenum illi occurrentibus, alia insignis pugna editur: & tunc quoque ingens peracta Romanorum cædes. At ille recta ad Vrbem pergere non ausus, cum nec æqualem se ciuibus in bello crederet, nec exercitum omnem militaribus instructum armis duceret (nulla quippe ciuitas cum illo conspirauerat, sed serui duntaxat & fugitiui, & confusa turba illum sequebantur) versus Thuriũ ad montes se conuertit, Thuriumque recepit. Aurum porro & argentum negotiatores inferre prohibuit, aut illud possidere. æs solum, ac ferrum mediocri pretio emebant, & importantes humane pertractabant. Qua ex re materiam abunde nacti, egregia arma confecerant, & plerunque ad prædas discurrebant. Romanis iterum ad manus venientibus, victores tunc quidem euasere, ac multum prædæ consecuti, retro abiere. Tertius iam annus elapsus erat, & Romanis horrendum iam adhuc erat bellũ, quod à principio veluti gladiatorium cõtẽpserant. Proposita nouorũ Consulũ electione, stupor omnes detinebat, nec quisquã ad petendum

dum

dum descendebat, quoad Licinius Crassus genere atque opibus longe pollens inter Romanos imperium suscepit, & sex alijs legionibus ad Spartacum contendit. Cum applicuisset, quæ Consulum duorum fuere, copias recepit, ex quibus iacta sorte veluti de sæpe victis partem decimauit. Quidam non ita existimant, sed cum imperatori iterum insurrexisset, ex omnibus victis decimum quenque ex sorte delegisse. & ad quatuor millia interemisse, cum ob multitudinem haud multum indigeret. Vtrum istorum factum sit, terribilis certe ipsi ob hostiū victoriam apparuit. Nam confestim ad decem millia, qui cum Spartaco vnà militabant, euicit, & duas eorum partes interficiens, ad Spartacum propius magno animo accessit: quem tandem illustri pugna superatum fugientemque ad mare persecutus est, cum in Siciliam per naues transire properaret. Illum igitur adeptus, fossa circunsepsit, & mœnibus valloque continuit. Cum per vim ad Samnites excurrere tentaret, Crassus ad sex millia circa solis ortum interemit, totidemque alios circa occasum, tribus ex Romano exercitu duntaxat interfectis, septem vulneratis. tanta subito ob supplicium ad victoriam inclinatio facta est. Spartacus equitibus ad eum aliunde confluentibus adhuc perstans, non amplius ad pugnam omnibus cum copijs prodibat. Multum autem

sibi

sibi circunsidentes infestabat per partes, continue subitoq; incumbens, faces etiā igne correptas in fossam demittens, vallū incendebat, & laborem illis multo difficiliorem afferebat. Captiuum praeterea ex Romanis campi in medio suspendit, proprijs militibus aspectū anteponens quem victi essent passuri. Romani interim qui in vrbe morabantur, obsidionem intelligentes, cum turpe ducerent gladiatorium bellum in tam longum differri tempus, difficultate eius cognita, Pompeium ex Iberia nuper redeuntem, ad curam eius rei delegere. Ob hanc electionē veritus Crassus ne gloriā huius belli Pompeius sibi ascisceret, summa festinatione in Spartacum deducit. Spartacus Pompeium praeuenire studens, Crassum cum eo ad foedus inuocat: verum ab illo repulsus, periculum subire statuit. Assidentibus igitur equitibus magno conatu cū omnibus copijs vallum exuperat, ac Brundusiū versus celeri fuga sese proripit, Crasso continue vestigia eius insequēte. Cum vero relatū esset Lucullum ex Mithridatica victoria reuersum Brundusiū venisse, desperatis omnibus, magnis copijs cum Crasso congreditur. Exorta pugna longa quidem ac difficili, veluti in desperatione tot millium in vnum coeuntium, Spartaco femur telo transfigitur, quo vulnere prolapsus in genu concidit, obiectoq; clypeo insurgentes repellebat, depu-

gnabatq́; donec ipse cateraq́; multitudo in circuitu eius oppressa est. Reliquũ exercitus nullo ordine, ut in turba, cõcisum, sic ut cædes sine numero ederetur. Ex Romanis mille desiderati, Spartacus ipse defunctus, nusquam inuentus. Multitudo ex his ingens extra prælium in montibus secesserat. ad quos Crassus profectus est. Illi in quadraginta acies diuisi depugnabant, donec omnes interfecti cum cæteris occubuere, sex millibus exceptis, qui capti in crucibus sublati sunt per iter quod à Capua Romã usq; protenditur. Hæc Crassus sex mẽsibus operatus, particeps potissimũ omni ex parte Pompeianæ uisus est gloriæ: neq; exercitum deponere uoluit, quia nec idem Pompeius uideretur facturus: amboq́; ad consulatum petẽdum descenderunt. Hic quidẽ iam prætura functus iuxta Syllæ legem, Pompeius uerò neq; præturam neque quæsturam usquam adeptus, anno ætatis quarto & trigesimo. multa tribunis secundum ueterem morẽ uelle concedere est pollicitus. Cõsules itaq; electi, nec exercitus urbi propinquos dimisere, occasionem sibi quisque uendicantes. Pompeius quidem ad Ibericum triumphum Metellum redeuntem opperiri se aiebat: Crassus Pompeiũ prius dissoluere oportere dicebat. Populus igitur dissensionem iam inde emergentem intuens, ac duos exercitus sibi assidentes reformidans, consulem in foro

sedẽtes

ſedentem orare cœpit, vt ambos inter ſe conciliaret. Quod primum vterq; eorum renuit. Ariolis deinde quibuſdam multa ac dira comminantibus ni inter ſe conuenirent, populus iterum cum gemitu vtroſq; deprecatus eſt, de nuo Syllæ ac Marij ærumnas afferentes. Quibus ex rebus commotus Craſſus, priorè ſolio deſcendit, & ad Pompeiū profectus, manum illi, vt vna conciliaretur, exhibuit. Is autem ſubito aſſurgens ad illum accurrit, ſeq; inuicem complexi ſunt. Laudes itaq; multiplices illis redditæ: neque populus prius è concione diſceßit, quàm Conſules exercitus deponere velle ſcripſere. Sic contentio quæ in maius excreſcere cunctorum opinione putabatur, feliciter diſſoluta eſt, annum circa ſexageſimum ciuilium bellorum, maxime à Tiberij Gracchi interitu.

APPIANI ALEXANDRINI DE CIVIL. ROM. BELLIS LIBER II.

POST Syllæ monarchiam, & quæcunque à Sertorio ac Perpenna in Iberia geſta ſunt, alia denuo ciuilia Romanis inſurrexere bella, quouſq; Caius Cæſar, Pōpeiuſq; magnus adin

nicem armis vsi, Pompeiusq; à Cæsare superatus est, Cæsarē vero in Senatu nonnulli regno aspirantem interemere. Hæc igitur quemadmodum acta sint, & Pompeius ac Cæsar demum interierint, hoc secundo ciuilium bellorum libro describemus. Pompeius depurgato prius à piratis mari, qui vndiq; omnia deprædabantur, Mithridatem Ponti regem debellauit, regnū quoq; eius, ac reliquas illi parentes nationes ad orientem vsque sibi subdidit. Erat autem adolescens adhuc Cæsar, verum discendi & agendi promptitudine longe clarissimus: & qui vniuersa auderet atq; speraret, ad ambitionem supra modum profusus & ardens, vtpote qui ædilitatem & præturā ære alieno meruisset: felicitate etiam quadam gratus multitudini, quæ vt plurimum liberales colit ac diligit. Lucius autem Catilina gloriæ & generis splendore præcellens, temeritate notissimus, adolescentem filium ob Aureliæ Orestillæ amorem interfecisse dicitur, cum mulier superstite filio nuptias eius recusaret. Is Syllæ familiaris olim, et amicus, seditione plenus, tyrannidis illius imitator fuit: ex ambitione pariter ad inopiam redactus, cum à potentibus quibusdam viris mulieribusq; obseruaretur, ad consulatum petendum accesserat, quasi ab illo ad tyrannidem paraturus aditum. sed cum eligi se cito sperauisset, ob huiusmodi su-

spicion

spicionem repulsus est, & Ciceroni consulatus eius loco delegatur, viro præcipua eloquentia, & oratorijs artibus ornato. Ob id Catilina eos improbans, à quibus consul esset designatus, in ignobilitatem Ciceronis inuectus, nouũ hominem Ciceronem appellat, (sic enim eos qui à seipsis nulla maiorum dignitate claruere, Romani solent nominare. Hospitalitatem præterea Vrbis irridens, inquilinum eum nominat, quo verbo dicuntur hi qui alienas ædes incolunt. Ipse verò hac ex causa Rempublicam ferè omnẽ penitus euertit, ita vt minimè ad monarchiam aut magnum aliquod emergeret, verũ litibus repleretur, & inuidia. Pecunias quippe à plerisq; mulieribus vndiq; cõquirens, quæ viros ipso in tumultu occisum iri putauerant, cum nonnullis Senatorij ordinis Equitibusq; iureiurando conuenit. Induxit & populares quosdam, & hospites, & seruos: quorum primores fuere Cornelius Lentulus, & Cethegus. erant enim hi ea tempestate prætores in vrbe. Per Italiam verò quosdã ex Syllanis demisit, qui cõmoda per vim parta consumpsissent, similia autem exoptarent, ex Fesulis scilicet & Tyrrhenijs C. Manlium, ex Picenis & Apulia alios qui exercitum secretè compararent. Quæ omnia cum occulta adhuc essent & incognita, Fuluia parum pudica mulier Ciceroni indicat. Huius amator Quintus Curius fuit,

vir ob probrum consulatu amotus, & ob id consiliorum Catilinæ particeps, leuis admodũ, & ambitiosus: ad mulierem omnia detulerat, & veluti potentiam statim habiturus, eorum quæ in Italia agitabantur, mentionem fecerat. His perceptis Cicero ciuitatem per interualla præsidijs munit, & ex illustribus plures emittit, qui ad suspectiora quæque intenti præsiderent. Catilina nemine eum suscipere audente, ob diligentem vndique cautelam suspicione exterritus, & in celeritate spem apponens pecunias Fesulas mittit. Apposito insuper cum coniuratis ordine, vt Ciceronem interficerẽt, vrbem per interualla nocte incenderent, ad Caium Manlium quasi alium paraturus exercitum sese proripit, vt sequente vrbis incendio promptus accurreret. Eo in loco fasces & secures veluti proconsul leuiter admodum præ se tulit, & ad Manlium profectus delectus habere cœpit. Lentulo, & coniuratis tempus patrandæ rei adesse visum, cum Catilina ad Manlium venisset. Lentulũ igitur ipsum, ac Cethegum circa auroram ad Ciceronis domum ensibus veste contectis insidias struere iubent: ingressos deinde ob dignitatem, sermone in longum deducto, inter ambulandum, Ciceronem à cæteris semotum interficere: Luciũ verò Sestium Tribunum plebis concionem subinde

aduoc.

aduocare palamq́ de Cicerone conqueri, qui aßiduè bellū quæreret, Vrbem nulla ex causa in discrimē poneret. Post Sestij orationē nocte insequenti reliquos ex coniuratis duodecim in locis Vrbem incendere, prædari omnia, optimos quosq́ interimere. Sic enim Lentulo, Cethego, Statilio. & Sestio, cæterisq́ coniurationis primoribus agendum videbatur, tempusq́ ad ea opperiebatur. Legati Allobrogum, eorum prætores apud Senatū accusaturi Romā venerāt, Galliam quoq́ ad bellum concitare cum Lentulo cæterisq́ vnà cōsenserant. Hos Lentulus ad Catilinā ire iubet, & cum his Vulturtium Crotoniatem emittit, qui literas sine nomine ad eum deferat. Legati ob id ipsum ambigētes rem Fabio Sangæ annuntiant. Erat autem is Allobrogum patronus in Vrbe, vt cæteris populis olim Romæ adesse mos fuit. Ab hoc Cicero certior factus, legatos Vrbe discedentes, & cum his Vulturtium intercepit, eosq́ in Senatum subitò inducit. hi quæ à Lētulo audierant, Senatui referunt. Inducti porrò addidere Lentulum sæpenumero illis affirmasse, tres è Corneliorū familia Romanis futuros principes. ex his Cinnā & Syllā prius extitisse, se tertium Sybillinis libris declarari. Quibus cognitis, Senatus Lentulum dignitate spoliauit. Cicero vnumquenq́ separatim in prætorem custodia

deponit. Ipse in Senatum reuersus, sententiam de omnibus exquirit: ac statim in Senatu tumultus oritur. Nec enim eorũ quæ ferebantur, manifestè adhuc patebat timor. Lentuli præterea ac Cethegi serui libertiq́ magna opificũ manu in vnum cõparata, prætorum domos diuerso itinere inuaserant, eorumq́ dominos per vim liberare conabantur. Qua re percepta, Cicero è Senatu egreditur, & opportunis præsidijs vbiq́ appositis, iterum in Senatum, vt sententiã exquireret, accurrit. Syllanus cõsul designatus, primus vt sententiã efferret, à cõsule rogari cœperat. Quippe Romanis consul præfuturus, meritò inprimis dicturus videbatur, et vt puto, multa ex his quæ decreta essent executioni mãdaturus, & ob id maturius liberiusq́ singula animaduersurus. Consulente itaq́ eo coniuratos vltimo supplicio afficiẽdos esse, multi assensi sunt, ad Neronem quoq́ delata sententia. Nero interim eos custodiri, donec Catilinam bello superassent, & rem diligẽtius certiusq́ animaduertissent, æquius censebat esse. Caius autem Cæsar cum suspicionem minimè purgaret, ne coniurationis particeps videretur esse, Cicerone neutiquam fidente, si ad hunc in primis popularem seditiosumq́ sententiam afferrent, hos viros per municipia quæ Cicero elegisset, distribuendos esse censuit, donec superato Catilina in iudicium accerserẽtur: neq́ quid

quid dirum aut intolerabile in primores viros prater ius aequumq; esse statuendum. Eius sententia cum iusta apparuisset, & à plerisque admitteretur, multiq; haud prudenter in eam inclinarent, Cato suspicionem quae in Caesare latebat, graui luculentaq; oratione pronuntiat. Veritus itaque Cicero, ne instante nocte aliqua coniuratorum manus in foro exurgeret, ac pro illis, pariter & seipso sollicitus, ne quid dirum aut fœdum molirentur, vtilius esse ratus, cum Senatus in curia adhuc esset, celeriter nullo iudicio rem conficere, vnumquenque ex coniuratis in carcerem deduci imperat: ibidemq; multitudine inscia supplicio affecit. Post hæc in forum delatus palàm eos interiisse significauit. Caeteri metu territi, ac sibiipsis prae cauentes, hinc inde dilabuntur: eoq; modo ciuitas à trepidatione, quae cunctis eadem die potissimum institerat paulisper respirauit. Catilinam deinde ad viginti hominum millia in vnum adducentem, quorum quarta ferè pars armis instructa fuerat, & in Galliã quò delectus nouos appararet properantem, Antonius consul alter sub ipsis Alpium radicibus nullo ferè negotio nactus superauit. Virum temerarium tam crudele opus mente cogitantem, & ad rei experimentum multo magis temerè apparatu ferè nullo prodeuntem: quanquam nec ipse Catilina, aut quispiam ex his

qui illustriores affuere, fuga saluti suæ consuluerint, sed in hostes proruentes, pariter in pugna confossi sint. Catilinæ itaque seditio, cuius causa parum abfuit vniuersam ferè vrbem ad extremum deduci exitium, Ciceronis consilio in hunc modum dissoluta est. Cicero quanquam dicendi potestate clarus haberetur, tum vel maximè ob insigne facinus omnium ferè versabatur in ore, & saluator tunc quidem pereuntis patriæ visus est extitisse. Gratiæ itaque immensæ ab omnibus illi habitæ variæ'que laudationes. nam Cato patrem patriæ illum appellauit: quòd decus nominis subinde à populo confirmatum est. Ea ex causa à nonnullis creditum est huiusmodi appellationem à Cicerone sumpsisse initium, ac subinde ad imperatores qui digni habebantur, paulatim defluxisse. Nec enim omnibus quanquam regno præsidentibus, à principio statim cum cæteris appellationibus id nomen inditum, verum procedente tempore vix maximis adhuc in testimonium virtutis accessit. Cæsar deinde in Iberiam delectus prætor, cum in his quæ vtilia visa fuerant Romæ sperneretur, magnam'que facultatum partem ob ambitum ære alieno deuinxisset, huiusmodi verbis vsus dicitur: Bis millies & quingenties centena millia sibi adesse oportere, vt nihil haberet. Compositis igitur

tur his, à quibus petebatur, ut melius licuit, in Iberiam delatus, neque in ciuitatibus ius dicere, diem'ue adhibere ad causas, aut his similia agere sustinuit, ueluti qui nihil operæpretium in huiusmodi rebus esse crederet: uerùm exercitu in unum comparato, cæteros Iberorum populos per partes aggressus, regionem omnem ex tributo Romanis obnoxiam parere uoluit: magnam quoque pecuniarum uim per Quintum quæstorem Romam misit. Cuius rei causa cum et triumphus à Senatu decretus esset, pompæ apparatum quàm splendidißimum in suburbanis Romæ iubet instrui. Iisdem fortè diebus creandorum consulum comitia Romæ parabantur, necesséque erat petitorem unà adesse. Ingredienti uerò neutiquam ad triumphum licebat redire. Cæsar ad consulatum potißimum aspirās, nondum triumphi apparatu edito, ad Senatum destinat, rogat ut absenti per amicos consulatum petere liceat. Eius rei licentia præter legem alijs nunquam concessa fuerat. Contradicente autem Catone, & diem ad petendum destinatam uerbis deducente, Cæsar spreto triumpho, ad comitia descendit, & creationem eius dignitatis opperiri cœpit. Interea Pompeius ob Mithridaticum bellum ad summum gloriæ & dignitatis euectus, Senatum rogare pergit, ut multa quæ regibus

gibus, dynastis, ac ciuitatibus idem concessisset, Senatus ex decreto confirmare Vellet. Contrà plurimi inuidia accēsi in illum, repugnabant. Inter hos Vel inprimis Lucius Lucullus fuit, qui ante Pompeium ad id bellum delegatus, debiliorem ad resistendum Pompeio Mithridatem reliquisse se aiebat, eius belli gloriam sibi soli spectare prædicabat. Lucullo Crassus pari modo adsistebat. Indignatus itaque Pompeius, affinitatem cum Cæsare inire studuit, séque in petitione consulatus illi affuturum iureiurando pollicetur. Is Crassum Pompeio subinde conciliauit. Summa igitur potestate inter se functi, commoditates adinuicem partiri cœperant. Horum igitur consensum Vno libro reprehendens quidam, Tricipitium eos nūcupauit. Senatus cum de illis suspicaretur, Lucium Bibulum Cæsari aduersum cum eo cōsulatum administrare iubet: ac subitò contentiones inter illos, & armorum priuatim apparatus extitere. Cæsar ad dissimulandū promptissimus Verba in Senatu habuit, quasi cū Bibulo conciliari cuperet: quantum eorum dissensio Reipublicæ molesta sit, edisserit. Cum ex animo locutum omnes putarent, ac Bibulus nullo apparatu aut custodia in eum Vteretur, magnam Virorum manum clanculum in Vnū comparat. Legem deinde tenuiorum in Senatum defert: Agros in commune partiri admonet:

præce

præcipuè qui circa Capuam cæteris cultiores & vberiores habebantur, patribus diuidendos esse, quibus trium liberorum ius adesset, mercedem popularis beneuolentiæ iam inde meditatus. Quippe ad vigınti hominum millia his perceptis in vnum venerant, trium liberorum alimoniam vltro deposcebant. Cum multis sententiæ eius aduersarentur, simulata indignatione, quasi quæ iusta & æqua essent, ab illis spernerentur, Senatu egreditur, ac per annum integrum Senatum vlterius conuocari vetuit. Cum demum in rostris concionem habuisset, Pompeium, Crassúmque subinde de lege interrogat. cui illi vicissim assensi sunt. Populus contectis armis ad legislationem progressus est. Senatus cum nemo illum conuocasset (non enim alteri ex consulibus id agere licebat) ad Bibuli progressus domum, nihil Cæsaris potentiæ & apparatui aduersum moliri audebat, Bibulum duntaxat huiusmodi legibus sese opponere adhortabatur: neque desidiæ, verùm alacritatis opinionem cæteris afferre. Ab hoc persuasus Bibulus, Cæsare adhuc concionante in forum prosilit. Seditione igitur ac tumultu inuicem coortis, tandem ad vulnera peruentum est. Quidàm itaque exertis ensibus fasces reliquaq; Bibuli magistratus insignia dilacerāt, Tribunū præterea, et qui illum circunsteterant, plagis aggrediuntur. Bibulus nihil

nihil territus, iugulum vltro nudatum offerebat, amicósque Cæsaris magno clamore ad id opus hortabatur. Si enim quæ iusta & æqua sunt, Cæsari, aiebat, suadere non possum, scelus omne hoc & odium moriens ipse in eum reycio. Cæterum eundem reluctantem, amici in proximum Iouis possessoris templum deferunt. Cato subinde ad eos missus, iuuenili more inter medios progressus est, concionarique inter illos cœpit, quoad Cæsaris mandato è loco sublatus, è Senatu educitur. Non multò pòst alijs itineribus elapsus, ad Tribunal iterum accessit, nec vllis minis ab incepto deterreri potuit. In Cæsarem porrò peracerbè inuectus est, donec è Tribunali sublatus effertur, & leges Cæsaris mandato sanciuntur, Cæsar præterea populum quamoptimas eas existimare iureiurando adegit, Senatúmque pariter iurare deposcit. Annuentibus multis, cum Cato silens, quietúsque persisteret, Cæsar illi, si iusiurandum recusasset, mortem est comminatus, quod à populo pari modo confirmatum est. Iurauere itaque hi ac nonnulli trepidantes, Tribunique. non enim vlterius illi obsistere tutum videbatur. Cum cæteri legem approbassent, Vectius vir popularis in medium ense nudato progreditur, se à Bibulo, Cicerone que, ac Catone missum profitetur, quò Cæsarem, Pompeiumq; interficeret: ensem sibi à Posthumio Bibuli

licto

ectore esse datum. Causa in vtranque partem dubia. Cæsar multitudinem accelerari iubet: in sequentem diem Vectij disquisitionem referendam censet. Vectius interim carceri inclusus, ea quæ secuta est nocte neci traditur. Cum varie de rei euentu suspicatum esset, Cæsar nec id se fecisse renuit, asserens eos qui de se formidarent, quoad populus sibi faueret, conspirantibus in eum præbituros opem. Bibulus omnibus è manu eiectis, veluti priuatus quidam reliquo consulatus tempore neutiquam domo pedem extulit. Cæsar ad Vectij causam inquirendam, cum Reipublicæ potentiam solus obtineret, leges quasdam protulit, quæ in primis populo & multitudini gratæ videbantur. Alias porrò addidit, quæ à Pompeio gesta, vt pollicitus fuerat illi comprobarent. Interea Equites, qui mediam inter populum Senatúmque obtinent dignitatē, ad omnia potentiores ob facultates, vectigaliúmque & onerum cæterorum mercedem, quæ à populis penduntur, capientes, multitudine insuper seruorum abundantes, iampridem apud Senatum institerant, quò tributorum onera aliqua ex parte leuarentur. Ad quæ cum Senatus differre videretur, Cæsar nihil Senatu indigens, verùm solo populo confisus, tertiam tributorum partem remittendam esse censuit. Illi ad eorum dignitatem insperatæ charitatis munus acce

acceßisse gloriantes. Cæsarem ad conuiuia inuitant. Sic globus alius longe potentior Cæsari populúsq; acceßit, huiusmodi ciuilitate addita, Ipse spectacula, & ferarum venationes edidit, vltra posse in omnes largus, & exuberans: priorum quoque supergressus est munifitentiam apparatu, choreis, ac munerum liberalitate vsus. Quibus ex rebus eundē ad Galliæ omnis principatū, quæ intra Alpes sita est, in quinquennium prætorem statuunt, exercitumq; pro dignitate legionum quatuor illi tribuunt. Temporis igitur spatium, quo absens futurus erat, mente contemplatus, neque minus inuidiam, quæ quo maiora poßidentur, in maius adaugescit, Pompeio filiam connubio adiunxit, Scipione adhuc existente, veritus ne quanquam amicus sibi foret, magnitudini tamen felicitatis eius inuideret. Audacißimum porrò ex seditiosis omnibus ad magistratum sequentis anni, ac consulem Aulum Gabinium statuit, amicißimum sibi. Lucij autem Pisonis filiam, qui vnà consulatum gesturus videbatur, Calfurniam duxit vxorem, exclamante Catone Rempublicam nuptiarum lenocinio corrumpi. Tribunos verò declarauit Vatinium, ac Clodium cognomine Pulchrum, quem turpem quandam infamiæ notam in mulierum celebritate subijsse notū erat Calfurniæ Cæsaris vxoris causa. qua de re nihil à Cæsare in eū animadu

maduersum fuit, cum populo acceptum esse cognouisset: quanquam mulierem à se ablegauerit. Reliqui ob religionem ad impietatem vsq; illum persecuti sunt. Fuitq; inter accusatores orator electus Cicero: nec Cæsar in testimonium vocatus quicquam protulit, verum Tribunum tunc quidem ad Ciceronis insidias parauit, cum ille Triumuirorum consensum ad monarchiam aspirantium propalam improbaret. Sic mœrore pariter ob vtilitatem frui eos contigit, cum inimico benefacere ad alterius præsidia coacti sint. Videtur autem Clodius gratias vel in primis exhibuisse Cæsari in obtinenda Galliæ prouincia. Hæc igitur tam ingentia à Cæsare adhuc consule peracta sunt: qui priori dignitate deposita, subitò ad alteram conuertit oculos. Interim Clodius Ciceronem in iudicium vocauit, quòd ante sententiam à Senatu latam Lentulum Cethegumq; supplicio affecisset. At ille qui ad tam illustre facinus summo ingenio visus est vti, vilior tamen in iudicio apparuit. nam sordidam indutus vestem, flens, squallore & sorde obsitus, ad quosque obuios per angiportus se prosternens, etiam sibi ignotos deprecari non erubuit: vt tam insigne ipsius opus ob indecentiam ad risum à misericordia deflexerit. ad tantum timidatis ob vnicam domesticam lapsus est accusationem, cuius vita in alienis casibus

semper enituit: quemadmodum & Demosthenì ferunt contigisse, cum causam apud Athenienses pro se esset oraturus, prius aufugisse, quàm in iudicium descenderet. Clodio verò Ciceronis suasiones per angiportus cũ contumelia explodente, Cicero desperatis rebus sponte profugit, cum quo & amicorum multitudo ex Vrbe excessit. Senatus quoque eum virum ciuitatibus, regibus, dynastisque commendauit. Clodius interim domum eius euertit, in agris autem ouilia stabuláque disiecit. Ob quæ subinde elatus, etiam Pompeio se aduersum præstitit, qui summam in Vrbe ea tempestate obtinebat potestatem. Pompeius Milonem qui cum Clodio consulatum postulabat, virum audacissimum ad consulatus spem eius loco statim concitat, & in Clodium fauores illi pollicetur. Reditum quoque Ciceroni ex decreto iubet decernere, sperans, cum rediisset. Cicero, non vlterius in præsentem politiam oblocuturum esse, cum quæ passus esset, mente cogitaret: Iudicia autem & negocia faciliùs Clodio persuasum iri posse. Sic Cicero ob Pompeium Vrbe eiectus, ab eodem demum restitutus est, sexto & decimo post expulsionem exacto mense. Domus illi ac cætera publicis impensis instauratæ sunt. Admissus est igitur summa gloria, omnibus splendidè illum recipientibus ad portas Vrbis. Ferunt

runt quippe, dum virum complectuntur, & illi gratulantur, diem ferme integram fuisse consumptam, vt Demostheni Athenas redeunti olim contigit. Cæsar interea inter Celtas & Britannos multa rei militaris opera strenuè executus, quemadmodum à nobis in Celticis perscriptum est bellis, opibus & diuitijs abundans, ad proximam Italiæ Galliam circa Eridanum fluuium progressus est, exercitum assiduis fatigatum prælijs paulatim recreans. Quo ex loco cum pecunias multis Romam præmisisset, annui magistratus per partes obuiam illi prodeunt, & quicunque illustres gentium & exercituum duces aderant, vicissim exierunt. vt centum & viginti fasces circa ipsum affuisse fama sit: Senatorij ordinis ducentos: nonnullos, vt vicem meritorum redderent, quæ ab illo suscepissent, alios pecunijs acceptis illi obsequentes, alios quosdam, diuerso atque alio modo obnoxios, ac parentes. Omnia enim hunc in modum sibi asciuerat ob exercitus magnitudinem, potentiamque pecuniarum, neque minus ob studium eximiæ in quoscunque humanitatis. Venit & ad eum Pompeius Crassusque eiusdem potestatis participes cum eo: communique consilio visum est Pompeium ac Crassum consulatum inire denuo: Cæsarem verò nationum earum imperio, quod pridem tenuisset, per quinquennium adhuc

præfici. Sic mutuo consensu Rempublicam inter se partiti sunt. Pompeio ad consulatus petitionem Domitius Aenobarbus aduersabatur, & ad diem statutam ambo ad petendum descenderant, nec quanquam nocte ingruente è Martio campo discedebant. iam enim lites inter eos cœptæ, donec Domitij seruum lumen afferentē interemere. Insecuta deinde omnium fuga, Domitius vix in domo propria saluatus est. Pompeij vestis cruore sordida, à nonnullis ad suos delata, adeo parum vterque à periculo abfuit. Consules igitur designati ambo Crassus ac Pompeius, Cæsari, vt instituerant, Galliæ imperium in aliud quinquennium prorogāt. Prouincias ipsi inter se, exercitusq; partiūtur. Pompeius Iberiam sortitus, ac Lybiam amicis ad eas emissis, Romæ perstitit. Crassus Syriam, ac Syriæ proxima, cum ad Parthicum anhelaret bellum, & ad lucrum gloriámque accommoda existimaret, sibi assumpsit. Verùm illi vrbe egredienti, multa quidem ac dira Tribuni annunciauere, & ne Parthis huius mali prorsus indignis inferret bellum, monuere. cui minimè parenti publicas execrationes extulerunt. Quibus spretis Crassus demum in Parthia profligatus est cum filio eiusdem nominis, vniuersóque exercitu. nam ex cētum militum millibus, vix decem millia in Syriam è fuga euasisse referuntur. Verùm hanc

Crassi

Crassi infelicitatem eo libro abundè diximus, qui Parthicus inscribitur. Romani assidua fame diutius vexati, Pompeium annonæ omnis præfectum & prouisorem elegere, eidémque, vt Piratico olim bello, viginti Senatorij ordinis viros addidere, quos ille vicissim per prouincias partitus est. Ipse nationes vndique percurrens, vrbem frumento, cæterisque ad victum necessarijs impleuit. Qua ex causa ad ampliorem adhuc gloriam potestatémque peruenit. Ea tempestate Iulia Cæsaris filia cum ex Pompeio prægnans adhuc esset, cessit è vita. Ob id timor vniuersos ciues subitò inuasit, veritos ne ex huius mulieris interitu, magnis inter se exercitibus continuò concurrerent Cæsar & Pompeius, turbata potissimum, & difficulter se habente Republica. Nam magistratus per seditionem & auaritiam turpi studio lapidibus ensibúsque inter se contendebant. Decuplatores, & ambitiosi nullo rubore ad lucra confluebant. Populus non nisi mercede accepta ad suffragia prodibat. Ferunt octingentorum talentorum summam magistratus nomine ex sequestro fuisse deprehensam: ita, vt neque consulibus per singulos annos exercitus ducere, aut bellum gerere fas esset, hac vel in primis Triumuirorum potentia prohibitis quicquam agere. Qui autem his sceles-tiores aderant, aut exercituum loca commu-

nia Vrbis commoda ad se transtulerant, aut successorum suorum creationes in vtilitatem propriam conuerterant: Boni verò à dignitatibus omnino excludebantur, vt ex huiusmodi inordinatione per octo ferè menses Vrbem magistratibus caruisse notum sit: Pompeio vniuersa consultò negligente, vt dictatoris opportunitas aliquando occurreret. Et hæc quidem multi inter se referebant, vnicum præsentibus malis adesse remedium, si vni duntaxat potestas traderetur, necesse autem, & mitem simul & potestate præditum eligere: his verbis Pompeium haud dubiè significantes, exercitus præpotentis ducem, populique amatorem habitum, & Senatum ob eius dignitatem quo vellet inducentem vita continentia, & sobrietate, ad salutationes porrò facilem ad modum, vel apparentem, vel existentem. Is verò hanc de se expectationem verbo quidem detestari videbatur, opere autem, licet clanculum, ad eam aspirabat, & ob id Reipubl. confusionem indignitatémque despiciebat. Milonem quippe in Clodium sibi famulantem, & populo pergratum ob Ciceronis reditum, & consulatum veluti in tempore vltro deposcentem, à creatione continuit, iniecta mora, quoad animo grauatus Milo, cum Pompeium erga se infidum deprehendisset, Lauinium in patriam profectus est, quo in loco Diomedem ex

Ilio

Ilio aduectum in Italiam, Vrbem primam condidisse scriptores memorant. Distatque id oppidum à Roma per stadia centum & quinquaginta. Clodio ex proprijs agris in equo reuertenti Milo circa Bouillas occurrit, & quanquam inimici inter se forent, inuicem tamen sibi cessere, & ad iter inceptum vnusquisque progressus est. Interim seruus Milonis Clodio insurgens, siue ex mandato eius, siue quòd hostem heri sui interimere optaret, ceruicem ense perculit. Hunc igitur sanguine madentem equiso quidam in propinquum diuersorium detulit. Milo cum cæteris seruis ad eum spirãtem adhuc, necdum vita functum properè accedit, dissimulansq; professus est, neque se mortem eius appetisse, nec alteri vt inferret mãdauisse. Verùm cum pereuntem intueretur, imperfecto opere discessit. Quod cum Romæ nunciatum esset, populus timore percitus, in foro pernoctauit. Orta luce Clodij corpus à nonnullis in rostra defertur, quod à Tribunis quibusdam & amicis eius Senatui illatum est: siue honoris causa id agerent, quòd ex Senatorio esset genere, siue vt Senatui hæc ipsa negligenti exprobrarent. Ex his nonnulli temeritate notiores, sedilia, thronósque Senatorum, vt pyram illi erigerent, vnanimi consensu efferunt, ignemq; properè immittũt. Qua ex causa Senatus, plu résque finitimæ circũm domus incenduntur.

 Mil

Milonis verò tantum audaciæ affuisse referũt, vt nihil minus quàm mortem suam extimesce ret, de sepulcri quoque honore quereretur. Seruorum igitur & agricolarum multitudine in vnum comparata, præmissis ad populum pecunijs, Marcum Cecilium Tribunum pretio ad se asciscens, in vrbem audacissimè reuertitur: ac confestim ipsum ingressum Cecilius in forum, & ad eos quibus munera præmiserat, veluti in concionem attrahit, simulans se ira percitum, nullum indicij momentum se illi concessurum, fisus si præsentes annuissent, causam eius vt verissimam absoluere. Cæterùm Milo id opus minimè consuluisse dicens, (non enim cum vxore & apparatu processisse) reliquum temporis cum Clodio à se gestum retulit viro audacissimo, & audacissimis amicis circunsepto, qui Senatus domum supra illum succendissent. Loquente adhuc eo reliqui Tribuni populúsque armis præmuniti, in forum prouolãt. Cecilius & Milo seruorum vestes properè induti fugam capessunt. Aliorum cædes immensa oritur, nullis amicos Milonis perscrutantibus, verùm obuios quosque cædentibus, siue exteros, siue ciues, & præcipuè eos quos vestibus aut annulis aureis à cæteris dissimiles adesse offenderant. Sic in Reipub. perturbatione cum ira & occisione tumultu simul incidente, cum maior pars eorum serui essent, armati

cum

cum inermibus ad prædas vertebantur, nihil operis illis deficiente ad agendum. Nam ad domos delati, quæ in illis erant scrutabantur, re quidem ad se cuncta vendicantes, verbo Milonis amicos inquirebant. Hæc occasio per plures dies illis affuit, & ad ignem lapidésque ac omnis exequendæ rei causam Milo præstitit. Senatus timore percitus, in Pompeium veluti ipsis futurum dictatorem coniecit oculos. sic enim præsentia hac commoditate indigere videbantur. Catone deinde Senatum admonente, consulem sine collega eum elegere, vt solus existens dictatoris potestatem obtineret, consulis haberet nomen. Ita primus & vnicus consulatum gerens prouincijs duabus sibi desumptis, exercitibus, pecunijsq́; suffultus, monarchiam insuper adeptus est vrbis. Qui ne à Catone præsente vexaretur, Cyprum vt Ptolemæo admeret, ex decreto illi contulit, quod à Clodio per prius sancitum ex lege fuerat, quod aliâs à piratis capto, Ptolemæus redemptionis causa, ob pusillanimitatem duo duntaxat talenta miserat. Cato igitur Cypricas res composuit, Ptolemæo pecunias mari injciente, seq́; vnà cum decretum audiuisset immergente. Interea Pompeius pœnas delictorum, & potissimum ambitus, decuplatorúmque proposuit. Visum est enim vt ab his principium Reipub. ægrotationis emanasset, his etiam celerem

medelam esse adhibendam. Principium autem legis sumpsit à primo eius consulatu, vsque in secundum: quæ lex annorum ferè viginti cōplectebatur spatium, in quibus & Cæsar consulatum gesserat. Amicis igitur Cæsaris id ad eius contumeliam fieri arbitrantibus, si tantum temporis antecederet, rogantibúsque vt præsentia potius dirigere vellet, quàm præterita inquirere, maximè in homines qui & dignitate & virtute noti essent, Pompeius ad Cæsaris nomen maximè indignatus, quasi viri insontis & immaculati fecissent mentionem, cum secundum eius consulatum tempore antecessisset, plura se sustulisse ait ad diligentē iam deprauatæ ex longo Reip. directionem: hisque prolatis legem tulit. Qua lata statim causarum multiplicium copia affuit. Et ne iudices ob alicuius præsentiam deterrerentur, ipse astante exercitu cuncta intuebatur. Ac primùm quidem absentes rei delati sunt, Milo videlicet ob Clodij necem: & Gabinius præter legem simul & religionem accusatus absque Senatus decreto cum exercitu in Aegyptum pertransisse aduersantibus Sibyllinis monitis. Hipsæus præterea & Memmius, Sextúsque, & alij quamplures ob ambitus & decuplationis infamiam. Scaurus deprecante multitudine à Pompeio præconis voce iudicium subire compellitur. deinde populo

denuò

denuò accusatoribus eius aduersante, carnifex quidam à Pompeij præcursoribus præsto affuit: quo viso omnes conticuere. Sic Scaurus capitur, & de omnibus fuga subinde recitatur. Gabinij bona ad fugam publicata. Quæ omnia cum à Senatu summa laude extollerentur, duas denuò legiones, & tempus ad aliarum gentium imperium Pompeio attribuit. Memmius ex decuplatione condemnatus, concedente Pompeio, vt qui alium accusasset, pœna solueretur: Lucium Scipionem Pompeij socerum ad similem desquisitionem euocauit. Ob hoc Pompeio reorum vestem induente, plures etiam iudicum eam assumpserunt. Detestatus itaque Reipub. conditionem Memmius, accusationem dereliquit: Pompeius vt quæ monarchia indigere videbantur, in melius corrigeret, Scipionem residuo anni tempore collegam sibi assumpsit. Post quem alium ad consulatum eligens, nihil minus omnia intuebatur, & Rempub. ad nutum ministrabat. Erat enim tunc omnium primarius in vrbe Pompeius. Nam Senatus beneuolentia vt plurimum in illum inclinabat, zelo Cæsaris, qui ad nullam eius vtilitatem proprio vtebatur consulatu, quodq; ægrotantem quodammodo Remp. Pompeius subitò ad salutem euexisset, nulliq; ipsorum ad consulatum odiosus fuisset, aut molestus. Profugis deinde continuè ad Cæsarem

confluentibus, suadentibúsque vt Pompeio mentem adhiberet, qui decuplatorum legem vel præcipuè in illum intenderet: Cæsar bene sperare illis persuasit, Pompeium verò laudare non destitit. Tribunos porrò adhortatus est, vt legem proferrent, qua Cæsari quamuis absenti secundum consulatum petere liceret. Et hæc Pompeio in consulatu præsidente, & nihil aduersus eum moliente agitabantur. Cæsar Senatum sibi aduersum suspicatus, vereri cœpit ne inimicorum conspiratione priuatus haberetur. Potentia igitur suffultus adesse maluit donec consul crearetur: à Senatúque poposcit, vt per modicum interim temporis Galliæ præficeretur, vel saltem partem eius sub imperio teneret. Aduersante Marcello, qui à Pompeio consul designatus fuerat, ferunt Cæsarem ensis capulum manu concutientem, minitantem respondisse. At hic mihi dabit, si vos abnueritis. Vrbem autem Nouocomum Cæsar ex Latijs in Alpibus condidit, eósque qui per annum præfuissent, Romanorum ciues haberi voluit. quæ res Latios maximè extulit. Nouocomorum igitur prætorem quempiam ob id Romanum haberi ciuem, ad Cæsaris opprobrium referens Marcellus, cedere fascibus & magistratu velle dixit, quòd hæc Romani patienter ferrent: animúmque cum ira protulit, has hospitalitates conspirationum consilia esse asserens,

rens. eásque deferri oportere, & Cæsari in iudicio opponi. Sic contumeliosè in eum inuectus Marcellus, monet successorem ante tempus in prouinciam illi subrogari. Quæ omnia Põpeius orationis placabilitate, & beneuolentiæ simulatione compescuit, Non æquum esse inquiens, virum splendidum, & in multis patriæ suæ vtilem contumelijs appetere ob tam modicum temporis adempti spatium. Deinde perspicuum omnibus fecit, Cæsarem dignitatem statim cum tempore deponere oportere. Nec multò pòst Cæsaris hostes ad consulatum eliguntur, Aemilius scilicet Paulus, & Calidius Marcellus, prioris Marcelli consanguineus & affinis. Tribunus verò Curio, & ipse inimicissimus Cæsari, populo acceptus, præterea ad dicendum paratissimus, ex his Cæsar Calidium nullis pollicitationibus ad se allicere potuit. Paulum verò mille & quingentis talentis beneuolum sibi reddidit, vt neque pro illo quicquam ageret, aut contra moliretur. Curionem autem vt pro se ageret, plurimo ære alieno oppressum, facilè adegit. Paulus basilicam valde inclytam suo nomine ex pecunijs huiusmodi publicè constituit. At Curio ne subita mutatione perspicuus omnibus fieret, difficiles quasdam itinerum fabricationes & apparatus sibi desumpsit, eiúsque muneris præfectum in quinquennium se fieri petit, satis fisus nihil

horum

horum obtineri posse, Verum Pompeij amicos ob id sibi aduersaturos, & hanc se cum Pompeio contradictionem facile incursurum esse. Quibus succedentibus vt optauerat, occasionem inimicitiæ cum illo cepit. Calidius successorem Cæsari in prouinciam demitti postulabat. iam enim tempus eius muneris ad finem venisse aiebat. Paulus contra silentium tenebat. Curio vt vtrisque differre videretur, Calidij sententiam veluti necessariam admodum collaudat. Addit deinde Pompeium pariformiter prouincias & exercitum deponere oportere. In hunc modũ Rempub omni ex parte tutam & synceram fore. Aduersantibus multis, ac non æque Pompeio tempus effluxisse dicentibus, apertius iam Curio ac turbatius rem protulit, & nec successores Cæsari mittendos esse decreuit, si Pompeio minime mittantur. Cum enim inter se suspecti forent, nunquam vrbem pacem quæ stabilis esset habituram, ni ambo priuate degerent. Hæc autem aiebat cum aperte intueretur Pompeium neutiquam positurum arma, populum porro illi infensum esse nosceret ob decuplatorum pœnas. Eius sententia cum haud indecens visa esset, populus Curionem commendauit, quasi solus digne ciuitatis odium ab vtroque auerteret: omnésque acclamantes illum emisere, veluti magni cuiuspiam & difficilis certaminis athletam.

tam Nihil enim ea tempestate Pompeij dissensione periculosius putabatur esse. Interea Pompeius per Italiam valetudine correptus ad Senatum misit, mira astutia Cæsaris gesta potissimum extollens, & propria subinde à principio edisserens, tertium consulatum, prouinciásque cum exercitu sibi creditas nunquam petijsse ait, sed cum ad Reipub. curam dignus ab illis esset habitus, eorum suasionibus ea recepisse: quæ autem inuitus suscepisset, assumere volentibus vltro concessurum esse, nec vllum in his diffinitum tempus opperiri velle. Hæc autem ars quædam promissorum, honestatem Pompeio, Cæsari inuidiam afferebat: qui imperium vltra constitutũ tẽpus retineret. Cum verò Põpeius præsens astitisset, his similia exorsus est. Imperium vt pollicitus fuerat, vltro ponere, & vtpote Cæsaris amicus, & gener, minimè dubitare se ait, eundem quoque læto animo simile facturum esse. Nam difficile admodum bellũ aduersus ferocissimas gentes ab eo per longum tempus gestum, cum multos à patria honores recepisset, ad sacerdotium tandem & quietem velle concedere. Hæc autem ita referebat, vt ad eos qui successorem Cæsari essent præmissuri, ipse sub promissione deponendi magistratus permaneret. Curio Pompeij sophismate retecto, Non polliceri opus est, inquit, sed deponere: nec Cæsarem armis exuere necesse est, ni

prius ipse priuatus sis. Non enim domesticas inimicitias utilitatem illi afferre arbitror, neque Romano populo conducere tantum potestatis sub uno duntaxat residere, qua alter aduersus alterum grassari queat, & uim patriæ inferre. Postremò patefacta interiore animi ui, palàm Pōpeium incusare pergit ueluti tyrannidi aspirantem, qui si minimè Cæsaris metu potentiam exueret, nunquam esset positurus. Aequum sibi uideri, ni ambo pareant, eos simul hostes iudicari, & exercitum in utrosque esse præparandum. Hæc & huiusmodi referens Curio, neutiquam à Cæsare pretio & pecunia conductus uidebatur: Pompeius illi subiratus, & indignans, in suburbia turbato animo concessit. Iam igitur Senatus ad utrosque suspicione laborat, popularem tamen multo magis Pompeium arbitrabatur esse. Cæsari uerò ob consulatus habitam de seipso suspicionem succensebat: propterea minimè tutum uisum est potestatem eripi Pompeio, ni prius Cæsar arma posuisset, qui extra urbem redactus magna quædam moliri uidebatur. Verùm Curio idipsum peruertere conatus est, ueluti necesse esset post Pompeium Cæsarem omnia deponere. Cùm nihil peregisset, imperfectis adhuc rebus Senatum dissoluit: id enim Tribuno facere licebat. Qua ex re pœnituisse admodum Pompeium ferunt, quòd tribunitiam potestatem à

Sylla imminutam, atq; disiectam, denuo ipse in pristinum statum redegisset. Dissoluto abinuicem Senatu, hoc solum ex decreto statuere, Cæsarem ac Pompeium cum legiones militum haberent, vtrunq; in Syriam ex suis mittere custodiæ causa ob Craßi nuper acceptam à Parthis calamitatem. Id autem machinatus est Pompeius, vt legionem ab eo eriperet, quam post Titurij Cottæq; Cæsaris prætorum recens acceptam cladem Cæsari accommodauerat. At ille vnumquemq; drachmarum ducentarum & quinquaginta dono prosecutus, Romam ire iußit, aliamq́; à seipso vltro misit. Quare cum nihil è Syria discriminis instare videretur, Capuam ad hyberna conceßit. Verùm qui ad Cæsarem à Pompeio mißi fuerãt, alia multa, & quidem difficilia ad eum deferebant, nitebanturq́; vt Pompeio exercitũ labore & temporis diuturnitate confectum, & patriam iampridem appetentem, cum Alpes pertransisset, vltro traderet. Sic enim illi siue ob ignorantiam siue pretio corrupti suadebant. Cæsari copiæ magnis instructæ viribus aderãt, promptißimæ quoq; ad ferendos labores ob militiæ assuetudinem, mercedesq́; inde habitas, quas bellum vt plurimum victoribus solet impendere, & à Cæsare simul acceperant. Concesserat quippe illis, vt quæcunq; concupissent, impunè raperẽt. Sic ipsi rerum suarum conscij

in vnum conspirauerant. Pompeius ex his quæ acta fuerant, maxime confisus, neq; exercitum vllum, neque apparatum ad tam ingens facinus erigere curauit. Senatus de vtroque sententiam exquirit. Calidius astute præfatus sigillatim vnumquemq; interrogare pergit, an Cæsari successorem dandum censeant, Pompeio magistratum eripi. Hoc autem plures ex ipsis abnuebant: Cæsari verò successorem dari suadebant. Proponente deinde Curione an ambos arma deponere oporteat, duo duntaxat & viginti abnuerũt, trecenti & septuaginta à contentione ad vtilitatem conuersi, ad Curionis sententiam inclinarũt. Qua ex causa Calidius senatum dissoluit, voce intonans, Vincite qui Cæsarem dominũ appetitis. Rumore demum, licet falsò, increbrescente Cæsarẽ Alpes transcendentem exercitum ad vrbem ducere, tumultus statim ac timor inuasit omnes. Calidius copias quæ Capuæ inerãt, Cæsari velut hosti obijciendas esse censet. Contradicente veluti in re ficta Curione: si quæ Reipublicæ vtilia sunt, inquit Calidius, communi voce decernere prohibeor, à meipso veluti consul vtiq; decernam. hisq; relatis, cum collega vrbem egressus est: ensemq; Pompeio offerens, Iubeo te, inquit, & ipse pro patria in Cæsarem insurgere. Exercitum ad hoc qui circa Capuam moram ducit, aut si quis alius in Italia nunc est,

tibi

tibi tradimus, & quæcunq; ipse in vnum conferre cupias. Ad quæ Pōpeius veluti à consulibus monitus parere dixit: addidit deinde, Nisi quid melius, vel decipiēs, vel ad honestatem potius verba componēs. Curioni vlterius nulla supra vrbem potestas aderat. non enim mænibus excedere Tribunis ex decreto licet. Querebatur igitur palam quæ gesta fuerant. Consulibus quoque præconis voce mandare suadet, neminem Pompeio delectus facienti adhibere fidem. Cum nihil proficeret, nec Cæsari quicquā auxilij afferre posset, & iam tribunatus elaberetur tempus, veritus pro seipso Curio summa celeritate ad Cæsarem contendit. Is autē enauigato Britannico pelago, & à Celtis qui supra Rhenum incolunt, superatis Alpibus, quinque millibus peditum stipatus, equitibus trecentis, ad Rauennas descenderat, quæ vrbs Italiæ vltima ad imperiū eius vsque pertinebat. Blande admodum suscepto Curione à Cæsare, cū gratias se illi debere ob ea quæ egisset profiteretur, præsentium rerum statum cæpit inquirere. Curio copias omnes in vnum conferre suadet, vniuersumq; exercitū ad vrbē agere. Cæsari contrà de conciliatione adhuc agendum videbatur. iubet itaque amicos id ipsum experiri, prouincias, & exercitum se deponere velle promittit, duas solum legiones, & Illyrium cum Gallia, quæ intra Alpes sita est,

retinere donec consul esset designatus: quod Pompeio sufficere visum est. Verum prohibentibus consulibus Cæsar ad Senatū mittere statuit. Curio epistolam eius defert, quam tribus continuis diebus per trecenta & tria millia stadia prouectus, nouis consulibus anni principio Senatum ingredientibus legēdam obtulit. Continebat autem epistola scriptionem satis grauem & superbam de his quæ Cæsar à principio egisset, & protestationem quādam quòd imperium cum Pompeio vnà deponere optasset, id autem prætores eius recusassent, seq; ad patriæ vltionem, suique ipsius subito esse venturum. Quo audito omnes clamare incipiunt, & veluti ad belli annuntiationē Lucium Domitium successorem illi dandum esse decernunt. Domitius quatuor millibus delectorum comitatus vrbe egreditur. Antonio deinde ac Cassio, qui tribunatum cum Curione vnà gesserant, eius sententiam sæpe laudātibus, Senatus ambitiosius admodum Pompeij exercitum ad custodiam eius inuigilare iubet: Cæsaris vt hostilem habendum decernit. Consules porro Marcellus, & lentulus Antonium & Cassium Senatu excedere imperāt, ne in Tribunatu aßidentes quicquā acerbius ab vllo patiantur. Eam ob rem Antonius clara voce è tribunali propere descendit iratus: questúsque de magistratu, quòd sacrosanctam dignitatem

contum-

contumelia affecissent, de ipsis praeterea lamentari cœpit, quòd cum sententiam quæ Reipub. vtilitati conferre videretur, edidisset, cum ludibrio eiectus esset, cum nec cædis nec odij inquenquam fuisset conscius. Quibus dictis è Senatu egreditur, veluti qui bella, occisiones, proscriptiones, ciuium fugam, bonorum publicationes, & quæcunque futura arbitrabatur, ipsis annuntiaret, execrationes etiam impias extulit in eos qui harum rerũ causam attulissent. Confugere & cum eo Curio, & Cassius. iam enim exercitus quidam Pompeij Senatui assidebat. Illi igitur celeriter nocte iã multa clanculum ad Cæsarem venere, curru mercenario aduecti, seruilibus amicti vestibus. quos Cæsar eum habitum indutos exercitui ostendit, verbis milites irritans, quòd viros tam præclaros, tamq́ ingentia operatos, hostes iudicassent, ac pro ipsis verba facientes turpissime expulissent. Bellum igitur vtraque ex parte oritur, publiceq́ decernitur. Senatus exercitum à Celtis Cæsari venturũ existimans, si tempus præberetur, nec ipsum tam parua manu ad tam insigne facinus accessurum esse, Pompeium centum & triginta millia militum ex Thessalis congregare iubet, & eos potissimum, qui bello assueti militiam exercuissent. Cui ex finitimis nationibus vt fortissimos quosque deligeret, insuper concessum est. Pecunias verò ad id bel-

lum, quæcunque in publico haberent, contulere. Ad has priuatas quoque addidere, si publica deessent. Vrbibus præterea non sine ira & contentione priuatim onera imponunt, nihil promptitudinis, diligentiæ'ue omittentes. Cæsar verò ad eius exercitum subito emittit, in celeritate potius & audacia, cum trepidatione & terrore hostium, quàm in apparatu & potentia spem apponens: & quinque millibus duntaxat stipatus tam ingẽs bellum aggreditur, omnésque Italiæ commoditates intercipere festinat. Primores igitur exercitus paruis copiis, verũ audacissimis viris suffultos, ac pacis veste contectos Ariminum propere destinat, vrbémque inopine assumere imperat. Hæc autem Galliam egredientibus prima Italia ciuitas sese offert. Ipse circa vesperã veluti corpore defesso amicis discumbentibus adhuc è conuiuio discessit, & curru inuectus Ariminum peruenit, equitibus ex interuallo subsequentibus. Subito itaque delatus ad Rubiconem amnem, qui Italiam diffinit, parumper substitit, & ad fluuium prospectans, quæcunque euenire possent mala, si illum transisset armatus, mente agitare cœpit. Deinde ad præsentes conuersus, hæc effatus dicitur, Continentia huiusmodi transitus, ò amici, malorum initium mihi afferet, transitus verò vniuersis mortalibus imponet.

net. His dictis veluti furore concitus transire pergit, hoc commune inquiens, Iacta alea est. deinde cursu arrepto Ariminum circa auroram ingressus est. Nec diu moratus, ad ulteriora contendit, arcibus præsidia imponens, & quæcunque in transitu obstiterant, vel vi, vel humanitate sibi vendicãs. Fugæ igitur, & conuersiones omnibus in locis summa trepidatione fieri captæ. Cursus quoque nullo ordine admixto fletu, cum fieri rem haud sane diligenter inspicerent, verum Cæsarem cum vniuersis copijs adesse crederent. Quæ omnia intelligentes consules, neutiquam Pompeium belli expertem iuxta eorum sententiam in vrbe residere, verum egredi, & per Italiam delectus agere, veluti Republica extremo in periculo posita, iusserunt. Reliqui verò Senatorij ordinis, cum Cæsaris impetum tam subitum, ac præter cunctorum opinionem adesse intuerentur, trepidare amplius, & vt nullo suffultos apparatu pœnitere eos contigit, quòd Cæsaris petitiones vt iniquas reiecissent: tũc quidem iustas arbitrati, cum timor eorum animos à contentione ad consilij maturitatem traduxisset. Monstra præterea, ac signa cœlestia mẽtem plerunq; territabant. Nam sanguinẽ pluisse, deorum sudasse simulacra, plurima è cœlo tacta fuisse templa: Mulam etiam peperisse memorant, multaq; alia horrenda apparuisse,

quæ Reipublicæ interitum, mutationemq́ portenderent. Supplicationes igitur ut in cōmuni consternatione decretæ sunt. Populus ad Marij Syllæq́ recordationē vehementer excitus exclamare cœpit, Cæsarem ac Pompeium magistratum deponere oportere, quasi in hoc solo finem bellum esset habiturum. Cicero autem de concordia agendum esse censebat. Contradicentibus ad omnia consulibus, Faonius Pompeio illudens ob ea quæ iampridem dictitabat, Age, inquit, tellurem pede concute Pompei, ut exercitus inde educas. Tum ille, habebitis inquit exercitus, si me secuti fueritis, nec multi faciēdum existimabitis Romam derelinquere, & si Italiam ultra Romā deserere oporteat. Non enim prouincias, domosq́ proprias virtutem hominibus aut libertatem afferre existimo, sed homines quocunq́ in loco fuerint, ea secum deportare, auxiliumq́ adinuicem præbentes, patriam sibi, domosq́ vendicare. Hæc effatus Pompeius, & in urbe residentes increpans, cum necesse diceret, nec domibus parcere eos, nec apparatibus, qui pro patria essent pugnaturi: Senatum simul & urbem egressus est, & ad exercitum Capuam iter arripit. Eum igitur abeuntem Consules sunt prosecuti. Cæteros difficultates ferme detinebant, & in Senatu per noctem commorati sunt. Illucescente die maior etiam pars ad Pompeium venit.

Cæsar interea Lucium Domitiū imperij eius successorem à Senatu destinatum, cæterosq́ qui cum illo venerant, ad quatuor millium numerum in Corfinio obsedit. Qua ex causa moti illi qui vrbem incolebant, Domitium fugam præparantem ad portas vrbis consequuntur, eumq́ ad Cæsarem adducunt. Ille exercitum promptißime sibi obsequentem libens suscepit, vt reliquos ad simile opus excitaret. Domitium cum omnibus pecunijs & rebus suis quocunque libuisset abire concessit, ratus illum ob huiusmodi clementiam apud se mansurum esse: ad Pompeium quoque ire cupientem minime prohibuit. His igitur prosperè gestis à Cæsare, Pōpeius quàm primum ex Capua Nuceriam, ex Nuceria deinde Brūdusium venit, vt Ionio superato mari in Epirum pertransiret. Eum itaq́ in locum delatus, belli apparatum aggressus est, gentibus omnibus, prætoribus, dynastis, regibus ac ciuitatibus per literas imperat, vt quàm maxima quisq́ celeritate potest ad bellum se conferat. Et hæc quidem magna gentium multitudine diligentiaq́ parabantur. Pompeij exercitus in Iberia consederat, omnibus in promptu paratus, quocunque neceßitas ire cogeret. Legiones autem quas Pompeius habuit, consulibus attribuit, vt cum his à Brundusio in Epirum transmearent. Ipse ad Dyrrhachium tute proficiscitur,

tur, quod nonnulli Epidamnum arbitrantur esse, huiusmodi nominis opinione ducti: Rex quippe barbarorum Epidamnus Vrbem supra mare condidit, quæ ab ipso nomen assumpsisse creditur. Huius ex filia nepos Dyrrhachius ex Neptuno genitus, Vt quidam perhibent, portum Vrbi adiecit, qui Dyrrhachium appellatur. Deinde cum fratres aduersus illũ bellum gererent: Hercules ex Erythia rediens, pro telluris parte in eos depugnauit. Quamobrẽ Dyrrhachij Herculem Veluti telluris eorum ex parte incolam fuisse autumant, Dyrrhachum non Vtique inficiantes, Verum ad Herculem tanquam ad deum per prius inclinantes. Ferunt quoque ea in pugna Ionium Dyrrhachi filium ab Hercule per errorem interfectum fuisse, Herculem corpus tumulantem in mare proiecisse, Vt cognomen illi imponeret. Procedente deinde tempore Phryges quosdam è Phrygia redeuntes, regionem & Vrbem occupasse: deinde Taulantios: post illos Illyrium genus: post Taulantios aliam Illyriorum gentem Liburnos accessisse, qui finitima quæque citis nauibus inuaderent, & ob id à celeritate nõnullas à Romanis naues Liburnicas dici, cũ quibus primum ad pugnam Veherẽtur. Qui à Liburnis & à Dyrrhacho expulsi fuerant, Corcyreos mari potentes in eos induxere, Liburnosque expulere. Eo modo Concyrei se illis

niſcētes Vrbem coluere. Qua ex cauſa Gra-
em huiuſmodi videtur eſſe portus, Corcyrei
bellatione, vt infauſtā permutantes Vrbem,
æ deſuper imminet, Epidamnum vocauere.
c Thucydides illam nominat, vicitque ſubin-
conſuetum nomen, nam Dyrrhachium ap-
llatur. Qui igitur cum conſulibus vnà acceſ
rāt, ad Dyrrhachium claſſe delati ſunt. Pom
ius reſidua copiarum ſuarum Brunduſij in
nū congregans, naues opperiebatur, cum qui-
us ad conſules eas ageret: & vt Cæſarem ſibi
nſurgentem à mœnibus repelleret, Vrbem foſ-
ſa munierat. Exercitu itaq; nauibus quàm pro
bere ad eum allato, circa veſperam claſſem ſol-
uit, fortioribus ad tutelam Vrbis derelictis,
qui demum nocte increbreſcente, proſpero dela
ti vento, ad illū peruenerūt. Sic Pompeius vni
uerſo exercitu in vnum comparato, derelicta
Italia in Epirum trāſfretauit. Cæſar animo du
bius quid prius ageret, quóne in loco bellum or
diretur, omnem armorū apparatum quocunq;
ex loco ad Pompeium deferri intuēs, veritus in
ſuper Pompeij exercitum in Iberia morantem
copijs refertum maximis, ac pro tempore in-
ſtructum, ne ipſi Pompeium perſequenti à ter-
go inſurgeret, primum in Iberiam tranſire ſta
tuit, omnésque copias ſuas in partes quinq; di-
ſtribuit. Nam quoſdam ex ſuis Brūduſij, alios
Hydrunte, nonnullos Tarenti ad Italiæ cuſto-
diam

diam iußit permanere: partem Quinto Valerio misit, vt Sardiniam frumento abūdantem occuparet. Asinius etiam Pollio in Siciliam delatus, ad quā Cato antea præmissus fuerat, cum ab eo peteret, vtrum Senatus, an populi mandato alienam prouinciam esset inuasurus, se ab eo, qui Italiā in potestate haberet, demissum esse ait. Ad quæ Cato hec solum inquiēs, vt subditis parceret, cum eo nolle contendere, in Corcyram ad Pompeium enauigauit. Cæsar Romā delatus: populum veterū calamitatum recordatione turbatum, quas sub Sylla et Mario olim pertulisset, trepidantemq; magna spe, pollicitationibusq; leniuit, hostibus humanitatem præferens, ac clementiā. Lucium enim Domitium à se captum, cum pecuniis ac necessariis suis libertati redditū fuisse ait. Quibus dictis publici ærarij claustra perfregit, obstantiq; in aditu Metello ex Tribunis plebis mortem est cōminatus. Thesauros à nemine contactos vsq; in illam diem, militibus rapere cōcessit. Hos olim execratione proposita publice conditos fuisse memorant, vt nisi Celtico insurgēte bello, à nullo promererentur. Verum Cæsar Celtas à se deuictos asserens, vrbē ab execratione liberam reddidisse ait. Lepidū Aemilium vrbi præfecit. Tribunum autem Marcum Antonium Italiæ, exercitibus'que circum eam existentibus præsidere voluit. Curionem Catonis

loco

loco Siciliæ imperare, Quintum Sardiniæ. ad Illyrios Caium misit Antonium. Licinio Crasso Galliam, quæ intra Alpes sita est, regendam tradidit. Classem quoque duplicem summa celeritate fieri mandauit circa Ionium, ac Tyrrheniam. Classis præfectos iampridem ad id constitutos delegauit Dolabellam & Hortensium. Eo modo Italiam inaccessibilem Pompeio Cæsar arbitratus, in Iberiam descendit. Quo in loco Petreio & Afranio Pompeij prætoribus occurrēs, inferior illis à principio visus est extitisse. Propius deinde adinuicem pugnantibus circa Ilerdam vrbē, Cæsar inter prærupta quæque castrametatus, milites pabulatum per Sicoris fluminis pontes emittit. Disiectis inopine à fluuio pontibus, magnam suorum partem altera ex parte derelictam Petreij milites interfecere. Cæsar cum reliquis copijs summa calamitate afflictus, ob locorum difficultatem, famémque & hyemem, insurgentibus etiam hostibus nihil ab obsesso differre videbatur, donec æstate ingruente Afranius ac Petreius ad interiora Iberiæ loca secessere, alium paraturi exercitum. Quos Cæsar continuo insecutus, fossa præpeditos vlterius transire prohibuit: eorum quoque partem ad exercitus sui detentionem prodeuntem circundedit. Hi autem capita clypeis subijcientes, quod deditionis signum haberi solet, seipsos tradere significabant,

bant. Cæterum Cæsar neque suscepit eos, nec vllo mortis genere affecit, verum ad Afranium redire concessit, omnifariam blanditiarum genere ad hostes vsus. Qua ex causa milites in vnum se immiscentes loquebantur, & iam sermones inter eos de conuentione agitabantur. Tandem Afranio cæterisque ducibus Hispania excedere visum est, eámq; Cæsari derelinquere, & nullo accepto incommodo ad Pompeium redire. His Petreius aduersabatur, & per exercitum hincinde discurrens, quoscunque Cæsaris militibus immixtos reperisset, ferro sequebatur. Insurgentibus in eum exercitus primoribus, vnum ex ipsis ense confecit. Ob id milites illius insolentiam animaduertentes, Cæsaris clementiam ac benignitatem mente versabant. Aquatione tandem à Cæsare intercepta, Petreius in arcto constitutus cum Afranio ad colloquium cum Cæsare peruenit, exercitibus vtraque ex parte spectantibus. Conuenere igitur cum illo, Hispania excedere, eámq; sibi possidendam tradere, si vltra Varum fluuium tutos præmisisset, indéque ad Pompeium liberos abire sineret. Cum igitur ad fluuium accessisset Cæsar, omnes Romanos & Italos quicunque aderant, in concionem conuocauit, orationémque huiusmodi ad eos habuit. Ego vos, inimici: hoc enim verbo vsus, clariorem animi mei sententiam aperire posse reor: neq; ad

ad exercitum meum comprehendendum missos, qui seipsos mihi tradidere, necaui, neque alium è vobis, cum exercitum capiens aquationem Petreio supra Sicorim amnem intercipere in, & tamen ille ex meis derelictos occidisset. Si igitur ob hæc aliqua apud vos merito rum inest charitas, precor, vt Pōpeij militibus hæc ipsa referatis. Hæc effatus, illæsos omnes abire iussit. Quintum Cassium Prætorem Iberiæ præfecit. Hæc igitur circa Cæsarem agitabantur. Attilius interea Varus in Libya pro Pompeio ductabat exercitum, & Iuba Maurusiorum & Numidarum rex Varo obsequebatur. Curio à Cæsare ex Sicilia missus, duabus cum legionibus in eos mouit, nauibus longis duodecim, onerarijs verò plurimis stipatus. Is cùm Vticam applicuisset, breui quadam equestri pugna nonnullos ex Numidis equites in fugam vertit, & exercitu adhuc in armis consistente, imperatorem tamē se nominari voluit. Est enim hæc appellatio prætoribus non mediocris apud milites authoritatis, quasi ipsis testificantibus eundem imperatorio nomine haud indignum fore. Hunc quippe honorem prætores iampridem in maximis belli operibus sibi vendicauerant. nunc autem sub quibus decem millia in bello concidissent, hac appellatione dignos haberi audio. Adnauigante ex Sicilia Curione, qui in Libya consederant, eum

ob

ob gloriæ opinionem ad Scipionis castra ventu-turum, ac quippiam magnum facturum existi-mantes, aquas veneno infecerant: neque spe sua frustrati sunt. Nam cum Curio eo in loco consedisset, exercitus statim ægrotare cœpit. Bibentibus quidem veluti à nebula obducebatur visus, capita inuadente somno, pòst vomitus ciborum varius, deinde spasmus vniuersum corpus perurgebat. Horũ causa Curio cum suis ad Vticam castra posuit, exercitum admodũ debilẽ & infirmum circa paludẽ magnam & profundam agens. Quum autem Cæsarẽ in Iberia victorem euasisse nũciatũ esset, animo sublatus, loco admodũ angusto iuxta mare castra locat. Pugna igitur acriter incepta, vnicus ex Curionis militibus cecidisse dicitur, Vari ad sexcẽtos interiere, pluribus vulneribus oppressis. Adueniẽte deinde Iuba, rumor falsus sublatus est, circa Bragadam fluuium Iubam non longe distãtem retrouerti, finitimis regnũ eius inuadentibus, Saburam prætorem regis cum parua manu ab eo in ripa fluminis destitutum esse. Quo rumore confisus Curio, æstatis calore cuncta perurente, circa tertiam diei horam, fortissimam exercitus sui partem in Saburam mouit, per iter arenosum, & aquis sterile prouectus. Latex quippe hybernus calore solis adustus inaruerat, squallebant omnia circum loca. Fluuius verò à Sabura & rege assistente

tent

tenebatur. Lapsus itaque se Curio, ad colles ob ardorem solis retrocessit, siti & suffocatione confectus. Quem cum adeo affectum intuerentur hostes, fluuium statim transmisere, ad pugnam præparati. Curio vicissim è montibus descendit, imperite admodum, ac insipiēter acies infirmas agens. Demum Numidarum equitibus eum circunuenientibus per aliquantulum temporis paulatim retrocessit, & intra breue telluris spatium copias redegit. Repulsus denuo confugit ad montes. Asinius Pollio clade iam multorum imminente, ad Vticam cum paucis exercitum reducit, nequa interim à Varo calamitas ob rumorem habitæ cladis insurgeret. Curio periculũ aggressus, pugnansq;, cum omnibus qui vnà aderant, interfectus est, ita vt ad Pollionem nemo Vticam tantæ cladis nuntius redire posset. Hunc igitur finem pugna apud Bragadam fluuium gesta habuisse dicitur. Curionis caput abscissum ad Iubam delatum est. Hac clade ad exercitum Vticæ relata, Flameas classis præfectus cum omnibus nauibus fugam arripuit, priusquam aliquē è littore susciperet. Asinius ad discedentes negociatores cymba delatus, vt nauigātes exercitũ tollerent deprecabatur: nonnullique per noctem ab ipsis intra naues recepti sunt. Turmatim verò accurrētibus reliquis, naues subduxere, multosq; ex his qui nauibus insederant, aurũ deferētes

auaritiæ libidine inducti, mari obruere. Hæc igitur nauigantibus hunc in modum gesta. Similia eis qui in littore constiterant, per noctem euenisse referunt. nam orta luce se omnes Varo dedidere, quos Iuba veluti victoriæ suæ reliquias, manibus impositos, iaculis ad vnum interfecit, nihili dehortationes Vari faciens. Sic duas Romani legiones, quæ Curionem in Libya secutæ erant, amisere, equitesq́; vniuersos, & velites, & cæteros exercitus ministros, qui vnà aderant. Iuba verò ad propria reuersus est, hoc præcipue opus ad Pompeij gloriam ratus pertinere. Iisdem ferme diebus Antonius circa Illyrium ab Octauio Dolabella Pompeij prætore superatur. Et Cæsaris exercitus alius iuxta Placentiam seditione edita, quòd diutius in bello teneretur, Imperatorem cœpit conclamare. Minas porrò quinque singulis olim pollicitas à Cæsare, quum Brũdusij adesset, instãtius petebat. Quibus rebus commotus Cæsar, ex Maßilia Placentiam magna celeritate sollicitudinéque peruenit, & ad milites adhuc dißidentes profectus, hunc in modum fari cœpit. Quod hoc mali esse dicam milites? ad quæcunque vestra opera necesse est, statim mihi insurgitis. Bellum quippe non nostri culpa, sed hostiũ à nobis fugientiũ causa producitur. Vos dum in Gallia essetis, plurima ex imperio meo adepti, ad hoc bellum non per partes.

es sed in vnum coniurantes peruenistis. nunc a medio agendarum rerum me relinquitis, & prætoribus vestris aduersamini, imperatorem ab illis deposcentes, quorum mandatis obsequi debetis. Testis igitur in hanc diem meæ erga vos liberalitatis ac clementiæ, Petreij leges deinceps imitabor. Nonæ itaque legionis, quæ seditionis causam in primis præstitit, decimum quenque morte mulctabo. Gemitu ab vniuersa legione edito, prætores genibus affusi, veniam suppliciter ab eo deposcebant. Cæsar post modicum vix tandem ab ira liberatus, hoc solum concessisse visus, vt centum duntaxat & viginti seditionis principes ab omnibus eligeret, duodecimque ex his à cæteris selectos, supplicio afficeret. Hos inter cum quidam seditione exorta nihil commisisset, Cæsar ductorē, quòd illum accusasset, eius loco interfici mandauit. In hunc modum seditio apud Placentiam sopita est. Cæsar Romam reuersus, trepidante adhuc populo, neq; Senatu aut consule illum eligente, seipsum dictatorē nominauit. Verū siue vt inuidiā dilueret, siue quòd magistratu minime indigeret, per vndecim solū dies illi præfuit. sic enim nonnulli afferunt. Consulem se in futurum designauit. Pompeium quoque Isauri cum sibi collegam assumpsit. Prætores verò ad prouincias prout libuit, aut misit à se, aut immutauit. In Iberiam Marcū Lepidum: in Si-

 ciliam

ciliam Aulum Albinum: in Sardiniam Sextum Peduceū delegauit. Galliæ nuper adeptæ Decimum Brutum præsidere iussit. Populo etiam fame laboranti gratuitā annonam præbuit. Exules deprecantibus, Milone excepto, facile cōcessit. Petētibus autem debitorū absolutiones ob bellum seditionesq́ peractas, ignominiamq́ exinde secutā, eis qui talia egissent, debitorum absolutiones renuit. Censores rerum emptarum instituit, qui debitores creditoribus pecuniarum loco adscriberent. Hæc circa hyberna solstitia operatus, copias omnes Brundusium emittit. Ipse Decembri mense apud Romanos Vrbe egreditur, non expectato ob consulatū iam proximi anni mensis initio. Quem populus euntem prosecutus, Vt cum Pompeio conciliari Vellet deprecatus est. Non enim ambiguum erat, eum qui Vicisset, monarchiā sibi desumpturum esse. Interea Cæsar nullo apparatu omisso, summa celeritate iter arripit: Pompeius in paranda classe Vniuersum ferè tempus conterebat, exercitúsque & pecunias dietim adaugebat. naues porrò quadraginta, quæ à Cæsare ad Ionij maris custodiam dimissæ fuerant intercipiens, nauigationem eius obseruabat, ipse currendo & equitando copias continue exercebat, ad omnem Vltra ætatem laborem sese efferens. Quamobrem beneuolentiam sibi facile asciuerat, omnesq́ ad exercitia

huius

huiusmodi veluti ad spectaculum quoddã ven itabant. Cæsari peditum legiones tum decem aderant, Celtarũ equitum decem millia. Pompeiũ verò legiones quinque sequebantur, quas Italia egressus, Ionio mari superato secum vexerat, & quicunque his equites pariter adiuncti fuerant. Ex Parthia quoque legiones duæ, quæ Crasso in bello superfuerant, & quædam alia eorum pars, qui Aegyptum cum Gabinio inuaserant. summa Italorum omnium legiones vndecim, equitum ad septem millium numerum æquabat. His belli complices ex Ionia, Macedonia, Peloponneso, & Bœotia accesserant. Sagittarij vlterius Cretenses, Funditores ex Thracia, & quicunque circa Pontum sagittis exercentur. Equites nonnulli à Celtis, & ex orientali Gallia quàm plurimi, Comageni vlterius ab Antiocho missi, Cilices & Cappadoces, & ex minori Armenia quidam venerant. Pamphylij insuper, & Pysidæ, quorum opera non ad pugnam, sed oppidorum munitiones, fossarúmque custodiam, & alia exercitui Italo necessaria, Pompeius vti disposuerat, ne Italorum quenquam ab exercitu cogeretur amouere. Hæc peditum equitúmque summa fuerat. Naues præterea longæ legionibus pluribus stipatæ vsque ad sexcentorum numerum eum sequebantur. Ex his centum Romanis referta, quæ cæteras anteirent. Multi-

tudo deinde Olchadum & ratium ad Vasa comportanda. Vectores plurimi per partes in his distributi, quibus Marcus Bubius praeerat. Cum omnia in Vnum parata essent, Pompeius Senatores omnes, & Equites, Vniuersumq; exercitũ qui Vna aderat, conuocari iubet, eosq; his Verbis allocutus est. Atheniẽses quondam, ó Viri, ciuitatem eorum reliquisse dicũtur, Vt in hostes illis insurgẽtes pro libertate bellũ gererẽt, non eorum habitacula domósue, sed Viros potius ciuitatẽ esse existimantes. Et id agẽtes, statim quidem ciuitatẽ receperunt, gloriosiorémque quàm prius fuerat, lõge reddiderũt. Itidem & maiores nostros ingruentibus Celtarum populis Vrbẽ reliquisse, ac subinde saluam praestitisse nouimus. Ex Ardea quum Camillus & omnes egrederentur qui cum illo rite sentiebant, libertatem, quocunque in loco ipsi forent patriam arbitrati sunt. Quae nos Vicissim animo Voluentes, hũc in locũ classe deuecti sumus, non Vt patriam relinqueremus, sed Vt pro ea optime instructi insidiantem illi Caesarẽ, & Italiam per largitionem sibi Vendicantem pelleremus, quem Vos ó ciues hostem decreuistis. Is autẽ pratores suos ad prouincias nostras destinat, ac nonnullos Vrbi nostrae praesides imponit, alios per Italiam quoque emittit. Tantum illi audaciae inest, Vt populi Romani imperium conetur inuadere. Et haec quidem pugnans,

trepi

trepidúsque adhuc agit, vtpote à dijs immortalibus daturus pœnas. Quid eum victorẽ à crudelitate & violẽtia cessaturum arbitramini, qui in patriam molitur arma? Hunc nonnulli pecuniæ inhiantes prosequuntur, quã è Gallia nobis subdita deprædatus est, sub pari lege cum eo inseruire cupientes. Ego verò minime destiti, aut deinceps pro vobis vnà pugnare desistam, sed me & militem vobis & ducẽ prout gratius fuerit exponam: & siqua mihi belli inest peritia si qua felicitas, qui in hanc vsque diem inuictus perstiti, eã mihi deos in præsenti concessuros precor, vt me sic vltorem patriæ esse sinant, quemadmodum iuste à vobis huic imperio præfectus sum. Fidere etenim dijs immortalibus æquum nobis est, ratione belli inspecta, quod iustitiam in se, honestatémque continet, pro salute Reipub. nostræ certantibus. Ex quo tanta apparatus magnitudo, quem nobis maria terraq; suppeditant, nũc adest aderitq;, cùm bellum aggressi erimus. Quæcunque enim gens, vt sic dixerim, ab oriente ad Euxinũ pontum incolit, siue Græca, siue Barbara nobiscum militat. Reges porrò qui mihi, nominiq; Romano sunt amicissimi, exercitus, tela, commeatũ, omnemq; alium apparatum subministrant. Ite igitur ad opus alacres, et patria, & vobis ipsis, & me dignum, Cæsaris iniuriæ memores, mandatis meis obsequentes. Sic ille locutus est. At

vero exercitus omnis, & quicunque circa illũ ex senatorio Equestriq́; ordine simul aderant, magna & insignis turba, Pompeium laudare, & quocunque opus foret, eos ducere, vna voce clamare incipiunt. Ille hyemis tempore extremo, cùm mare importuosum agitaretur fluctibus, ratus interea Cæsarem neutiquam exercitum moturum, sed consulatum potius in vrbe confirmaturum esse, classium præfectis, vt mare interim tueantur edicit. Copias omnes circa Macedoniam, Thessaliámque futuræ sortis ignarus in hyberna distribuit. Cæsar vt à nobis præmissum est, brumæ tempore Brũdusium accessit, ratus insperato prælio facilius conturbare hostes. Itaque nullo apparatu, aut commeatu fisus, nondum habito exercitu in vnum coacto Brundusii, qui præsentes aderant in concionem cõuocat, eósque his verbis adhortatus est. Neque hyemis intemperies, ô viri, qui mecum ad insignes res agendas accessistis, neque aliorum tarditas, aut apparatus indigentia à prosequendo bello deterruit. Ante omnia quidem celeritate nobis opus est, vt primos è nobis primi ipsi cursu contendentes inuicem præueniamus. Hoc igitur censeo, vt seruos, currus, impedimenta omnia hoc in loco relinquamus. Naues quæ hic adsunt, & nos solos vltra fretum deferre possunt, inscendamus, vt hostes lateamus: obseruantes pro hyeme fortunam optimam,

mam, pro paucitate militum audaciam nobis præponentes, pro penuria autem inimicorum abundantiam, quæ nobis in terram descendẽtibus præsto adest, & quam nisi interceperimus, nihil ulterius proprij nobis superest. Eamus igitur alacres in seruos, apparatum, commeatúsque hostium, dum hyemem sub tectis inertes agunt. Eamus quoad in hybernis nos degere, aut circa pompas consularésque ceremonias uacare existimant. Videant subito nos. Nihil enim in bellis insperato opere potentius. Promptitudo autem prima est, opinionẽ eorum quæ euentura sunt, celeritate præripere. Sic eos cito persequentes, quæ apud nos hic sunt, in tuto collocabimus. Ego nihil potius hoc tempore optare possem aut dicere, in quo Pompeius me Romæ ad consulatus curam residere putat, quàm ut in conspectu suo me uideat. Ipse assensum uestrum lætus intuens, simul responsum audire cupio. Vniuerso cõclamante exercitu, ut ad mare delatos nauibus imponeret, è tribunali descẽdit: peditum legiones quinque, equites sexcentos electos agens, in anchoris constitit, fluctibus inundante mari, solstitia circa hyberna, uento quanquam annitentem cohibente, quoad anni conuersionem in Brundusio peregit, & duabus legionibus subinde aduentantibus, hyemante adhuc pelago, onerarijs quibusdam auexit. Nam longæ naues haud multæ illi aderãt,

quibus Sardiniam, Siciliamq; munierat. Demum tempestate prouectus ad Ceraunios montes, naues quæ reliquum exercitum adducerẽt, Brundusium properè emisit. Ipse Oricum nocte peruenit, ob angustiam asperitatémque viarum copias in plures partes diuidere coactus, vt si quis aduentum eius præsensisset, paratior esset ad pugnam. Oriente penè sole multitudo omnis ad eum venit, & qui Orici præsidio astiterat, admonentibus illum ciuibus, consulem Romanum prohibere non ausus, claues Cæsari vltro detulit, apud eum cum dignitate vt immorari posset efflagitans. Lucretius autem & Minutius alia Orici ex parte nauibus octo supra decem longis comitantibus, vt Pompeio commeatum tuerentur, classem, ne Cæsar eam inuaderet, in vnum deuinxere. Ipsi Dyrrhachium rectà perfugêre. Cæsar ab Orico Apolloniam deduxit. Quem cum ciues læte suscepissent, Tamerius vrbi præpositus è præsidio aufugit. Congregato deinde exercitu, milites edocuit quemadmodum multa ob celeritatem ingruente etiam hyeme prospere egissent, mare tam ingens sine nauibus vllis occupassent, Oricum & Apolloniam nullo ferè marte recepissent: Romanorum res eo modo quò dixisset, se habere, Pompeio ignorante adhuc omnia. Itaque si Dyrrhachium, inquit, Pompeiani apparatus horreum ceperimus, omnia in potestate

nost

nostra erunt, quæ illi per integram ætatem summo labore compararunt. Hæc effatus, per longum iter Dyrrhachium versus copias agit, nulla die nocteue intermissa ad itinerandum. Quod præsentiens Pompeius, è Macedonia aduersus eum statim mouit. Magna itaque frequentia, sollicitudinéque prouectus, syluas per quas exercitum continuè ageret, secare cœpit, vt Cæsari impermeabiles ad iter redderet. Pontes quoque fluminibus amouit, commeatum omnem qui in medio fuerat, igne corrumpens. Magnum autem, vt erat arbitratus, vniuersum apparatum sibi tutum reddere, cum puluerem, aut ignem, aut, fumum à longe eorum quisquam intueretur, ab hostibus factum existimantes, adinuicem cursu contendebant. Eo modo nec cibo curam, nec somno impendebant, solum adhortationes, & impulsus, vocesq; ducentium, igne præuio vndique strepebant. Tumultus præterea ex hoc ingens, ac timor quasi ipsis in vnum concurrentibus cunctos obsederat. Nonnulli igitur ob caloris vim, quæ attulerant reijcientes, aut in conuallibus occultantes relinquebant, timoris requiem apud hostes eo modo sibi proponentes. Sic vtrisque patienter sustinentibus, Pompeius primus Dyrrhachium accessit, & oppido proximus castra ponit, nauésque præmittens Oricum denuò recepit, & mare diligentiori custodia seruare

perg

pergit. Cæsar Pompeij copijs Alorẽ fluuium in medio constituens, castrametatus est ita, vt ad flumen descendentes, equestre prælium per partes inire cogerentur, totis autem viribus neutiquam inter se concurrerent, Pompeio tyrones ad bellum instruente. Suos itaque à Brundusio venturos opperiens Cæsar, cum ineunte vere è pelago soluentes, & Orchadibus delatos, Pompeij triremes haud facilè euitare crederet continue ad eorum custodiam intentas, & per mare discurrentes: hyeme verò ad insulas profectos hostium, fortaßis easdem latere posse, aut magnitudine nauium, ventorúmque violentia longe superare, magna celeritate ad eos mittit, cursúmque accelerare imperat. Non accedentibus illis, ipse inscio exercitu adnauigare statuit, vtpote qui neminem facilius eos adducere speraret. Dißimulato itaque consilio, tres è seruorum numero ad fluuium præmittit, qui per duo stadia à castris aberat, iubétque vt ratem celerem, gubernatorémque peritum, veluti quendam ex suis præmissurus, appararent. Ipse è cœnaculo discedens, corporis fatigatione prætensa, amicos epulari suadet, dein priuato habitu curru defertur. mox nauem ingressus, Cæsaris nuncium se esse simulat, cætera per seruos facienda edisserit. Eo modo latens, nocte potißimum instante, cum à ventis agitaretur mare, seruos gubernatorem adhortari

tari monet, properè cursum arripiat, quasi hostes finitimos latere cuperet. Gubernator elatis remis per vim fluuium celer exuperat. Cùm autem ad ostia & maris aditum peruentum esset, mare ipsum summis concitatum fluctibus, magno impetu ac turbine cursum intercipit. Gubernator veluti instantibus hostibus per vim conabatur euadere: verùm cum nihil proficeret, fatigatus ac desperans tandem clauum è manibus abijcit. Tum Cæsar sublato velamine ad gubernatorē cōuersus, & intonans, Alacri animo & forti aduersum fluctus esto, inquit, Cæsarem quippe, & fortunam eius tecum vehis. Hac voce stupefacti remiges gubernatórque, magna vi nauem educere contendunt, ita vt fluuij ostia denuò euaderet. Vento deinde, & fluctibus eam extollentibus, ad littus tandem victa compellitur. Instante die cum lux cuncta apertiora redderet, trepidare cœpere, veluti manifesti futuri hostibus. Tum Cæsar fortunam accusans, quòd felicitati eius inuidisset, nautas retrouerti iubet. Nauis itaque aspirante vento facilè compulsa, ad fluuij oram cita regreditur. Cæsarem igitur nonnulli ob audaciam admirabantur: quidam querelis prosecuti sunt, quòd facinus militari potius, quàm imperatoria laude dignum esset aggressus. Is verò cum vlterius latere non posset, Posthumium eius loco adnauigare iubet, Gabinióque

biniòque

binióque vt exercitum nauibus adducat imperare. Sin id abnuat, hæc ipsa Antonio præcipere, post Antonium verò Caleno. Sin id omnes negent, epistola alia ad exercitum scripta erat, velle se eos supra naues positos Posthumio obsequi, & in locum in quem ventus duceret vela tradere, nihil nauibus parcentes. non enim nauibus, sed viris Cæsari opus esse. In hunc modum Cæsar pro ratione fortuna vti deliberauerat. Quæ omnia Pompeius intercipere festinans, in pugnam paratam ducebat aciem. Sed cum duos ex suis in medio fluminis, vt alueum eius scrutarentur emissos, vnus ex Cæsaris præcursoribus interfecisset, retrouerti cœpit, id omen infaustum ducens. Causam autem palàm retulit, temporis commoditatem sibi defuisse. Posthumio Brundusium adnauigante Gabinius priusquam Cæsaris mandatum attulisset, volentes per Illyrium nulla diei interposita quiete secum duxit: qui omnes ferè ab Illyrijs interfecti sunt, quòd Cæsar per occupationes patienter tulit. Reliquos Antonius nauibus in Apolloniam deuexit, tensis velis incumbente vento. Quo deinde in meridiem cessante, ad viginti Pompeij naues inspectis hostibus in eos deferuntur. Illi vt in aëris tranquillitate detenti, ne ab ipsis frangerentur, aut à maioribus exitu prohiberentur, trepidare incipiunt. Itaque ad pugnam necessaria

quæq;

quæq; parabant, fundas, sagittásque exercebant, cum Ventus subito priore maior insurgit, quem elatis Velis denuò assumentes, nullo pauore insperato cursu se proripiunt. Quæ autem à cursu Ventis ac profundo destitutæ sunt, diutius afflictæ, Vix tandem ad importuosa, petrásque delabuntur, duas quasdam in eas delatas retinentes. Reliquas Antonius in locum qui Nymphæus dicitur, à cursu sistit. Iam igitur Cæsari exercitus omnis in Vnum aderat. Aderat Vicißim & Pompeio, & adinuicem in colle quodam magnis præsidijs castra habebant. Multa hincinde prælia ex singulis munitionibus, Veluti Vel cum Vallum fossa munirent, Vel muro circundarent, in angusto simul agitabant. Inter hæc cum circa Vallum repulso Cæsare ductor turmæ, cui Scæua nomen fuit, multa & præclara facinora edidisset, oculum sagitta saucius hastam perfregit, deinde Veluti quippiam dicturus in medium prosilijt. Silentibus cunctis, Pompeij ductorem singulari Virtute cognitum ad se Vocat, deinde sic affatur: Salua tibi similem, salua amicum, ac curatores mihi adhibe, quoniam Vulnere affligor. Accurrentibus ad illum Veluti transfugam duobus ex exercitu Pompeij, Vnum aggressus occidit, alterius humerũ ense deiecit. quæ cum egisset, seipsum Vallumq; reliquit. Ob id cæteri rubore conciti impetu feruntur, Vallúmque insuper

super tutati sunt: Minutio qui custodiæ præfuerat, quàm plurima tolerante. Ferunt quippe clypeo eius viginti supra centum inhæsisse sagittas, corpus sex vulneribus transfixum patuisse, oculum vicissim excussum esse. Hos igitur Cæsar honoribus multis insigniuit. Ipse ex Dyrrhachio proditione quadam sibi oblata, noctis tempore, vt solebat, paucis comitantibus ad Dianæ templi portas proficiscitur. Eadem hyeme Scipio Pompeij socer alium ex Syria duxit exercitum, cui C. Caluisius circa Macedoniam occurrens deuictus est, ac legio integra, octingentis duntaxat exceptis, vicissim cæsa. Cæsar igitur nihil mari conari poterat, Pompeio classem paratam obtinente. Exercitus quippe eius fame premebatur, ita, vt ex pabulo panes ederent. Transfugis igitur huiusmodi panes ad Pompeium deferentibus, vt lætitiam ex visu caperet, nihil exhilaratus ille, cùm beluis se pugnare professus est. Cæsar igitur necessitate ductus, copias omnes, veluti Pompeium etiam inuitum ad bellum coacturus, in vnum contrahit, pluráque ex præsidijs interim vacua à suis contemplatus perquietè tulit. Verùm ob id magis indignatus est, adeo vt opus longe difficillimũ & inauditum quodammodo aggredi tentaret, Pompeij videlicet exercitũ intra muri vnius septa circuncludere & à mari vsque ad mare perpetuis mœnibus

sepire

sepire: ratus etsi minimè id opus vallùisset, magnam tamē audaciæ eius allaturum famam. Per stadia quippe ducenta supra mille spatium eiusmodi erat amplectendum. Pompeius cōtrà vallū fossamq; anteponit, multaq; inutilia certandi studio inter se dietim machinantur. Insigne interea prælium ab vtraq; parte editur, in quo superior Pōpeius, Cæsaris milites in fugā vertit, eosq; in castra vsq; persequitur. Signa porrò militaria pleraq; sustulit, inter quæ & aquilam præcipuum Romanis signum penè eripuit, nisi quòd eam anteferens miles præoccupato eorum cursu, aquilam intra vallum ad suos iecit. Illustri conuersione in hostes facta, Cæsar altera ex parte copias alias emittit, quibus tanta ob Pompeianos trepidatio iniecta est, vt Pompeio quanquam procul apparente, non portis immorari, non ordinem seruare, ac neq; mandatis vllis fidere auderent, sed quocunq; voluntas tulit, indesinenti fuga raperentur: nulla verecūdia, aut mandato, aut ratione eos detinente, cum Cæsar illis immineret, nec sine infamia Pompeium à longe residentem, & hæc ipsa intuentem demonstraret: ipsi tamen abiectis signis vltro fugerent, nonnulli rubore compulsi, in terram nullo negotio procumberent, tantum illis pauoris iniicitur. Horum è numero cum vnus vexillo in cōtrarium verso caudam ad Cæsarem extendisset, eius

mandato à scutiferis occisus est. Illi verò egressi neutiquam ad castrorum curam consistere audebant: adeo omnia trepidatione & metu referta erant, ut castra derelinquerent. Quæ cum animaduertisset Pompeius, fortiter illatus, ut castris potiretur, bellumq; uno opere cõficeret, à Lauinio prohibitus est, qui casu illi obuius in fugientes adhortatur. Ille igitur siue quod proposuerat dubitaret aggredi, siue castrorum solitudinem timeret, ne insidiæ subessent, siue bellum iam confectum esse crederet, eos qui exierant inuadit, multosq; ex ipsis pugnans interfecit. Vexilla octo supra viginti duobus prælijs ea die suscepit. Verùm successum tam perfecti operis exequi neglexit: ut Cæsarem dixisse ferãt, bellum ea die finem habiturũ fuisse, si hostes, qui victoria uti sciuisset habuissent. Pompeius huiusmodi victoria elatus, regibus uniuersis ciuitatibusq; perscripsit. Cæsaris præterea exercitũ fame maceratum, & belli præsentis clade titubantem, facilè ad se transiturum sperauit, maximè ipsius præfectis ob errorem trepidantibus. Verùm illi ad pœnitentiam conuersi, peccati causa assumpsere animos, ac Cæsare perhumane in illos conquerente, veniámq; pollicente solito magis contra seipsos accenduntur, ita ut inopinata mutatione conuersi, more patrio decimam eorum partem à Cæsare mulctari peterent. Renuente

illo

illo, maiore adhuc lætitia sublatis animis, agnoscere cœpere quasi indignè ab ipsis iniuria affectus esset, eos verò qui signa detulissent, necandos conclamarent, veluti minimè in fugam abituri, ni primi illi signa cõuertissent. Cæterum Cæsar ne id quidẽ facere sustinuit, pauculos quosdam supplicio affecisse contentus. Quamobrem tãta omnibus ob moderationem audacia innata est, vt se quàm celerrime in hostes deduci poscerent, magnaq; promptitudine eum adhortãtes, errorem suum insigni aliqua victoria, emẽdaturos se promitterent, ipsi que inter se conuersi inspectante Cæsare turmatim iureiurando confirmarent non prius è bello redituros esse, quàm victores euasissent. Amici itaque illi, vt huiusmodi promptitudine vteretur quamprimum suadebant. Ille audientibus cunctis commodiore tempore se eos in hostes deducturum pollicetur, & vt huius promptitudinis & audaciæ reminiscerentur admonuit. Amicis deinde priuatim ita locutus est. Id enim vel in primis necesse esse; trepidationem, quæ deuictorum animis vehementius insederat, eximere, hostium etiã reprimere audaciam. Ob id fassus est se illis indulgere, qui ad Dyrrhachium superati fuerant, vbi omnis Pompeij apparatus in vnum steterat. opus esse ad alia loca, quæ simili inopia oppressa essent. traducere Pompeium. Quibus dictis Apol-

loniam subitò contendit. inde clanculum per noctem agmen agens in Thessaliam peruenit. Gomphos Vrbem paruam, quod eum ab ingressu prohibuisset, inuasit iratus: exercitui quoq; diripere concessit. Milites igitur diutina fame macerati, liberius cibo Vinoq; indulgebãt, Vt plurimi ex ipsis ebrietate laborarent. Inter hos Germani potissimum ridiculi fuisse referuntur, cum à Vino Vexarētur adeo, Vt adueniente celerius Pompeio facilè eos deleri potuisse satis constet. Verùm ille ob contemptum persequi neglexit, quoad Cæsar septem continuè diebus Vlterius profectus, ad Pharsalum tandem castra posuit. In Gomphis interim rem memoria & pietate dignam extitisse memorant. Cadauera quippe illustrium Virorum medicinali quodam in loco iacentia reperta sunt calicibus appositis, nullis affecta Vulneribus, Viginti ipsorum Veluti ex ebrietate procumbentium in terram, Vno duntaxat in throno sedente, medici in morem, qui Venenum reliquis præbuerat. Pompeius interea in Cæsarem mouere disposuit. Id enim prius in animo conceperat, classem omnem, qua longe antepollebat, Afranio tradere, Vt in Cæsarem insurgeret, & errantem egentemq; mari prohiberet. Ipse cum omni peditatu celerrimè in Italiam transire: beneuolam adhuc erga illum & hostibus carentem Galliam, insuper

Iberia

Iberiamq́ suscipere, deinde, veluti è principatu atque domo in Cæsarem transferre arma. Quæ omnia cum vtilia futura essent, agere contẽpsit, solum ad eos qui in Cæsaris exercitum insurgere illum admonebant, fame consumptum, ita vt residuum post victoriam ad Dyrrhachium iam antè habitam, facilè superari posse dicerent, conuertit animum. Turpe quidem esse aiebant, fugientem derelinquere Cæsarem, & deuictis similiter victorem cedere. Quibus delinitus Pompeius, cum orientis nationes ad se respicientes erubesceret, vtq́ Lucio Scipioni circa Macedoniam bellum formidanti morem gereret, potissimum adhortantibus militibus, pugnam inire statuit aciesq́ procedere imperat, nec longe à Pharsalo iuxta Cæsarem castra locat, vt non vltra triginta stadia inter se vterque abesset. Commeatus Pompeio omni ex parte abundè ferebatur. Sic enim illi itinera, portus, oppidaq́ patebant, vt è terra veheretur continuè, per mare verò quocunque vento ad illum ageretur. Cæsar id solum commeatus, quod vel offenderet vel difficulter adipisceretur, nãcisci poterat, neque tamen ab vllo suorum destitutus est. Verùm mirabili studio in hostes deduci omnes appetebant, cum in bello meliores se his arbitrarentur esse, qui nuper in armis per decem ferè annos experti forent: ad

fossarum autem opera, aut manuum erectiones, aut commeatuum deuectiones, ob senectutem debiliores facti, si ulterius defatigari opus esset, satis perspicere se aiebant ex desidia aut fame interituros fore. Quæ omnia cum Pompeius intelligeret, non mediocre discrimen arbitratus cum viris bellicis, & seipsos contemnentibus conferre manus, & Cæsaris fortunam de vniuersa re certare cupientis facilè obtinere posse: fortius & tutius existimans, fame eos difficultatibúsque conterere, qui neque à terra commeatum, neque à mari copias vllas susciperent, neque nauibus ad fugam paratis vti possent, optima ratione bellum producere, & ex fame in famem hostes paulatim carpere instituit. Magna autem circa ipsum Senatorum multitudo, magna illustrium Equitum, reges plurimi, ac Dynastæ aderant, qui partim ob inexperientiam, partim ob res apud Dyrrhachium feliciter gestas elati animis, nonnulli quòd hostibus se superiores esse crederent, quidam quòd bello fessi subitum rerum euentum potius quàm honestum exitum cuperent, vno ore Pompeium ad pugnam hortabantur: Cæsarem continuè eos prouocantem, & acies instruentem ostendentes. Pompeius contrà eos admonebat, id Cæsari ex inopia summa contingere. Ipsis longe vtilius esse quietem agere, quoniam Cæsar

ex ne

ex necessitate bellum inire cogeretur. Stimulante deinde exercitu elato admodum ob victoriam ad Dyrrhachium habitam, & ipsum à dignitate ad ambitionem declinantē, sponte retardare, vt tantis tamq; illustribus imperaret viris, conquerente, regum etiam regem, & Agamennonē illum appellante, quoniā & ipse propter bellū regibus praeesset omnibus, à propria ratione excussus est. seq; illis, deo fortè aliquo aduersante, cateraq; vniuersa, bellumq; concessit. Segnior iam, ac tardius præter naturam factus ad omnia, non sine suo suadentiūq; periculo ac malo, quanquā inuitus, pugnam instruit. Cæsar ea nocte legiones tres frumentatū miserat. Pompeij quippe tarditatem laudans, cum consiliū minimè immutare crederet, liberius ire susserat. Acies deinde præparari audiens lætatus est, necessitate cognita, qua Pompeius ab exercitu ad pugnā cogeretur: statimq; suos conuocari imperat. Nocte media perfectis sacris Martem inuocauit, eiusq; parentem Venerem. Ex Aenea quippe, & Iulo eius filio, Iuliorum genus, vt ex nomine intueri licet, videtur emanasse. Templū igitur Victoriæ fauenti gratis Romæ dedicaturum vouit, si ritè peregisset. Cum autem fulgor è cælo labens, è Cæsaris ad Pompeij castra penetrasset, ibidemq; extinctus esset: qui in exercitu Pōpeij aderāt, quippiam splendidum ab hostibus ad se futu-

rum prædicabant. Cæsar autem se in Pompeium insurgentem, gloriam eius extincturum. Ipsi deinde Pompeio eadem nocte, cum victima aufugisset, neutiquam deprehendi potuit. Apum præterea examen in aris constitit. Trepidatio quoque ante lucem in exercitum incidit, ad quam accurrens Pompeius, & singula constituens, non multò pòst profundo somno est consopitus. Excitatus ab amicis somnium retulit, paulò antè templũ se Romæ consecrare visum Veneri victrici, voti Cæsaris ignarus. Amici, & exercitus omnis his confisi lætabantur, & vt ad cætera imprudenter cum impetu & contemptione, sic ad bellum quasi iam confectum ferebantur, quorum è numero plerique tabernacula lauro adornarant contubernij causa. serui quoque dapes opipare instruebant. Erant qui de Cæsaris sacerdotio inter se contenderent. quæ omnia Pompeius veluti rei militaris peritissimus abhorrere videbatur, ac super his turbatus dissimulabat, tacebatq; ambiguitate ductus, ac timore, quasi non vlterius imperaret, sed ab illis potius regeretur, cum ex necessitate præter ipsius voluntatem pugnam cogeretur inire. Tantum homini magnifico, & cui vsque ad id tempus prosperè cessissent omnia, timiditatis videtur affuisse. vel quòd vtilia dijudicans illis non confideret, sed ad aleam tot virorum salutem esset positurus. pro-

priam

priam insuper gloriam, quam inuictam præsti tisset: siue diuinatione quadã aspirãte, propius ex malo terreretur, cũ die illa è tanto casurus esset principatu, hoc solum amicis præfatus dicitur, Diem illam quicunque victoria potitus esset, magnarum Romanis calamitatum futuram causam: deinde aciẽ eduxit. Quamobrem eius mentem à timore consternatam nonnulli intuentes, non immerito existimasse creduntur, Pompeium si vicisset, neutiquam monarchiam fuisse positurum. Vtriusque exercitus, (vt mihi videtur dubia multorum dicta perscrutanti, Romanorum maximè, qui verisimiliora de Italis viris perscripsere, quibus potissimum fidentes, sociorum velut aliena auxilia haud multi existimant, & modicum illis incrementum adijcere arbitrãtur) summa huiusmodi ferè fuit. Cæsar duo supra viginti millia militum secum habuit, inter quos Equites circa mille annumerantur. Pompeium bis totidem secuti sunt, in quibus septẽ millia Equitum fuere. Qui autem de his verisimilia loqui existimantur, septuaginta millia Italorũ hoc prælio in vnum concurrisse memorãt. Qui minorem numerum describunt sexaginta millia. Qui rem in maius extollunt, quadringẽta millia extitisse aiunt. Horum sesquplum Pompeio: alij tribus ex partibus duas illi ascribunt. tantum inter se diligenter perscrutantes ambigere

bigere putantur. Quoquo modo res se habuit, Vterque maximè spem in Italis Videtur posuisse. Sociorum quidem Cæsaris, Equites Celtæ ac Celtarum, qui supra Alpes incolunt, numerus ferè alius. Græcorum ad hos auxilia accesserant, Dolopes, Acarnanes, Aetoli. hæc Cæsaris exercitus summa fuit. Pompeio orientis nationes omnes magno numero astiterant, partim in equis, partim pedestribus suffultæ copijs. E Græcia Lacedæmonij sub proprijs distributi regibus, & ex Peloponneso alij. Bœotij præterea cum ipsis aderant, & Athenienses in castris. Vtrisque igitur præconis Voce proclamantibus, minimè iniuriam exercitui inferre, Veluti legum latores sacros, ad gloriam conuersi belli, quasi pro Romanorum dignitate pugnaturi Pompeio adhæserant. Ex Græcis modicum quid, Verùm quicunque in circuitu maris orientem Versus incolunt, ferè omnes ad eum Venerant, Thraces Videlicet, Hellespontij, Bithynij, Phryges: Iones, Lydij, Pamphylij, Pysidæ & Paphlagones: Cilicia ad hæc & Syria, Phœnicésque, & Hebræorum genus. Arabes quoque his finitimi. Cyprij insuper, & Rhodij, & Cretenses funditores, & insulares alij. Conuenerāt & reges, ac Dynastæ auxilia secum afferentes. Deiotarus, orientalium Galatarum tetrarcha. Ariarathes Cappadocum rex. Armenios

nios intra Euphratem incolentes Taxiles princeps adduxerat. Armenios verò supra Euphraten Megabates, Artapi regis præfectus. Alij præterea inferiores potentia Dynastæ ad belli laborem vnà se contulerant. Feruntur & ex Aegypto naues sexaginta ad illum peruenisse, & ex Aegyptijs regibus Cleopatra, fratre puero adhuc existente. Verùm hæ quidē bello minimè interfuere. non enim aliæ naues ad id accesserant, sed Corcyræ in ocio cum cæteris degebant. Quod à Pompeio minus prudenter factum existimatur, cum classem neglexisset, qua longe præpotens, omnem qui ad hostes ferebatur commeatum facilè auferre potuisset, Is autem terrestribus fretus copijs, viris ex longo labore assuetis, & in prælijs ferocioribus sese immiscuit. Cæterum eos ad Dyrrhachium seruantem infœlicitas quædam ad hæc tempora Cæsari potissimum accommoda videtur adduxisse. Ob hæc quippe Pompeij exercitus leuiter elatus, imperatorem suum supergressus est, & in bellum minus prudenter se conuertit. Sed hæc deus ita statuit, ad imperium, quod nunc vniuersa obtinet, transferre meditatus. Tunc verò vterque eorum copias in vnum congregans, hortari nitebatur: ac primùm Pompeius sic exorsus est. Vos quidem ò commilitones huic labori præsidetis, magis quàm ab alijs vobis imperetur. Nam cum Cæsarem diu-

tius macerare in animo effet, ipsi hãc pugnam inire deposcitis. Vt igitur belli consultores, paucioribus longe plures insurgatis, contemnite eos vt victores victos decet, confectos ætate iuuenes, & plura perpessos, quibus integræ vires manent. Tanta vlterius potentia adest, tam ingentes apparatus, ad hæc conscientiæ causa optima. Pro libertate enim & patria pugnamus, iure legum freti, opinione recta, tótq; præcellentibus stipati viris, quorum pars Senatorij ordinis est, pars equestris, aduersus hominem per latrocinia imperium sibi vendicantem. Ite igitur vt dignum est cum bona spe, eorum fugam cum ad Dyrrhachium essetis, signorumq; numerum quæ vnica die ab illis ademistis, in conspectu vestro præponentes. sic Pompeius elocutus est. Cæsar contrà suis militibus hæc edisserit. Quæ difficiliora nobis fuerant, amici iam euicimus. pro fame quippe & inopia cum viris decertamus. hæc dies cunctorum afferet iudicium. Recordemini eorum quæ ad Dyrrhachium mihi promisistis, & quæ me intuente iureiurando confirmastis, cum adinuicem succenseretis, non nisi victores esse redituros. Hi sunt, commilitones, aduersum quos ab Herculeis accessimus colũnis, qui nos ex Italia effugiunt, qui per decem belligerantes annos, ac tot hostes victoriásque adeptos ex Iberis, Celtisq;, ac Britannis, quadringentis ferè

nationi

nationibus patriæ additis, sine honore ac triumpho, donisque reijciunt. quibus nec ipse cum iusta peterem, quiui suadere: qui meritorum gratias nobis renuunt. Nostis quæ sine ulla ambitione posuerim, cum quippiam ab illis iustitiæ pietatisque sperarem. Horum omnium uindices in unum mihi adeste, & meæ erga uos, si quid uobis est ingenij, fidei, curæq; reminiscamini, liberalitatis præterea, ac munerum quæ uobis contuli. Non enim difficile admodum tyrones inexpertosq; uiros ab his qui labores ac prælia experti sunt, pugna superari; ad hæc iuueniliter ad inordinationem & diffidentiam, ducis conuersos, quem ego ad hoc bellum trepidantem inuitumq; descendere certò scio, fortuna iam desuetum, segnitie ad omnia tardum iam effectum, neq; imperantem magis, quàm suorum imperio parentem. & hæc pro Italis solum loqui me arbitremini. Sociorum quippe nulla ulterius à uobis cura aut ratio habenda est, neq; cum illis pugnandũ à uobis credite. Mancipia quidem illi è Syria, Phrygia, & Lydia ad fugiendũ continuè, seruiendumq; parata quos ego clarè expertus sum, & uos statim intuebimini. & Pompeium ipsum neutiquam ad ordinem belli propinquantem: Italos itaque duntaxat insequamini. Et si fortè socij uice canum uos circuncurrerint, aut tumultum concitarint, eos auertentes, ueluti cogna-

tis

tis vestris parcite, sociisq; vestris ad illorum terrorem pariter vtamini. Ante omnia verò efficite, vt eorum quæ pollicitι mihi estis, non immemores vos intuear; & victoriam potius quàm mortem eligentes, diruite ad pugnam accurrentes mœnia, fossas vestras obruite, vt nihil nisi victores abeamus. Videant nos hostes ipsi destitutos castris, sciantq; quoniam ex necessitate nobis iniunctum est in eorum tabernaculis castra ponere. Hæc effatus, veteranorum ad duo millia è castrorũ custodia emittit. hi muris egressi, magno silentio fossas æquauere terra. Videns igitur eos Pompeius, cum nonnulli fugam ab illis meditari crederent, audacia eorum cognita, suspirio palam conquestus est, se ad pugnam cum feris accessisse, famem patiẽtibus, quæ dignum ferarũ esset pharmacum. Cæterum nec vlterius cedendum videbatur, rebus omnibus iam in ensis mucrone consistentibus. eam ob rem ad quatuor Italorum millia ad exercitus curam derelinquens, cæteros omnes inter Pharsalum oppidum, Enipheúmq; fluuium ad pugnam instruit. Quo in loco Cæsar copias suas pariter eduxit. Ac primùm Italos vterque eorum in tres acies diuisos in fronte collocauit, modico interuallo inter se distantes. Supra hos Equites per partes cornibus attribuit, quibus sagittarij & funditores admisti inerant. In hunc modum

Italos

Italorum natio ab illis distributa est, qua maxime Vterque eorum confidebat. Sociorum Verò copias Veluti ad ostentationem quandam protulerunt. Pompeio sociorũ copia aderant multiformes, Variarúmque linguarum, ex quibus Pompeius Macedones, Peloponnenses, Bœotios, atque Athenienses ob ordinem ac silentium à cateris selectos phalangi Italica adharere Voluit. Reliquos, quemadmodùm Casar arbitratus est, extra ordinem per patrias distinctos, & in subsidijs manentes, cum ad manus Ventum esset, hostes circundare, & illos inuadentes simul insequi mandauit: Casaris praterea exercitum nullo Valli munimine firmatum, in pradam ponere. Phalangem in medio regebat Scipio Pompeij socer, in sinistro cornu Domitius in dextro Lentulus constitit. Afranius ac Pompeius exercitus cura prafuere. Casari duces aderant, Sylla, Antonius, & Brutus. Casar ipse, Vt assueuerat, legioni decima prafedit. Quod intuentes hostes, pracipuos Equitum contra illum collocarunt, Vt plures existentes, si potis esset, eundem omni ex parte circundarent. His perceptis Casar audaciores ex omnibus pedites Vsq; ad trium millium numerum in subsidijs locat, iubetq; Vt cum primùm hostes acies circuncurrẽtes Viderint, subitò exiliant, Vnaq; prosilientes relictis telis hostium facies inuadãt. Non enim iuuenes, & inexpertos, hac ipsa

intuen

intuentes vultus discrimina facilè laturos esse. Sic vterq; exercitum adinuicem cõstituit. Singulos itaq; circum euntes, et quum opportuna forent disponentes ad audaciam adhortabantur. ad hæc mandata illis proponebant. Cæsar victricem Venerem, Pompeius Herculem inuictum in auxilium vocabat. Cum omnia in bellum parata essent, diutius magno silentio immoti constitere, veluti ambigentes adhuc, et desides: seq; alterutrũ intuẽtes, quis prior pugnã iniret morabãtur. Multitudo enim quæ nullius commiseratione commota fuerat, tam numeroso Italorum cõspectu exercitu, qui belli vnius discrimen esset subiturus, cum virtutem vtraque ex parte in iudicium venturã cerneret, cœpit, misereri, potissimum cum Italos Italis aduersos intueretur. Appropinquante deinde mole, ambitio, quæ eorum mentes inusserat atque excæcauerat, extincta est, & in trepidationem demum timoremq; cõuersa. Ratio quippe cum laboris gloriam diligentius expenderet, periculum quoq; metiebatur. Causam præterea, qua duo inter se de superioritate contenderent, & seipsos pro salute propria periculo subijcerent, vt qui victus esset, ne in vltimis quidem locum foret habiturus: Tantam bonorum multitudinem propter illos interire. Subit deinde recordatio veteris affinitatis, atq; amicitiæ, quàm multa & præclara pro dignitate

&

& gloria inuicem egissent, nunc autem gladijs inter se armisque contenderent, omnes quoque sub illis militantes ad simile bellorum facinus adducerent, qui eiusdem essent charitatis ciues, simul cognati, amicique, nonnulli fratres. nam id quoque nec in acie illa defuit, Nam inter tot virorum millia, qui in vnum concurrebant, multa præter opinionem & admiranda contigere. quæ quisque animaduertens, acri pœnitentia eo in loco repletus est. Et veluti is dies eorum qui in terris sunt, vel primus, vel vltimus futurus esset, magno stupore in dubium conuertit omnes. Vtraque etiam ex parte lacrymas emisisse ferunt, cum vt se amplius intueri possent, dies illa videretur eripere: omnísque Itala natio magno silentio immota perstitit. Videns itaque Pompeius sociorum copias huiusmodi prospectu terrefactas, veritus ne pugnæ initio confusio ab illis protinus emergeret, belli signum vltro protulit. Cui ex aduerso è Cæsare conclamatum est, statimque tubarum sono, & lituorum clangore erecto vniuersos excitat, & vt pote in tam profunda multitudine præcones & præfecti hinc inde discurrentes, exercitum per partes hortabantur. At illi arduè admodum miro silentio, & horrore, magnis experti in prælijs inter se concurrunt. Cum in proximo ventum esset, primum sagittis fundísque bellari captum.

o Equi

Equites quoque peditibus admißi breui in spatio pugnam iniere. Praualentes igitur Pompeij milites, legionem decimam circundare festinant. Signo à Cæsare elato, qui in subsidijs constiterant, subitò accurrũt, & ad Equites delati, erectis pilis sessorum facies inuadunt. Illi hostium audaciam, plagásque in os illatas non ferentes, nullo ordine fugam capessunt. Eo loci peditatum omnem, depulsis Pompeij Equitibus, Cæsaris Equites inuadunt, circundántq́; qui prius ab illis circundari timuerant. Quod animaduertens Pompeius, peditibus edicit, ne se vlterius in eos vertant, neq; à phalange longius excurrant, aut telis comminus vtantur, verum eminus distantes, iaculis è manu mißis insurgentes repellant hostes. quod mandatum cum circuitionis discrimen immineret, nonnulli vtile arbitrantur esse. Cæsar autem in epistolis id pugnæ genus maximè contemnit. Plagas enim ex impetu factas potentius infigi, virosq́; ab incursu promptiores esse: immorantes verò tepescere admodum, ac refrigerari putat. Audacter quoque ob firmitatem insurgentibus, veluti signum quoddam sese offerre: quod & tunc fieri contigit. Decima quippe legio aßistente Cæsare, læuam Pompeij aciem, quæ ab Equitibus destituta fuerat, circunquaque percurrit, & latera eius omni ex parte immobilis, telis misilibúsque confodit

quoad

quoad conturbatis omnibus in fugam vertit: qua res victoria auspicium illi attulit. Reliqua interim multitudo vulneribus, nece, vario belli opere strepebat, nec tamen vel vnica vox in tam immensa phalange tot inter se pugnantibus audiebatur; non eiulatus morientium, aut ferro petitorum, verum fremitus, & suspiria omni ex parte resonabant, eorum maximè, qui quo in loco constitissent, honestè occubuerãt. Sociorum verò copiæ veluti certaminis huius spectatores quidam, acierum ordinem formidine metúque repleuerant, non Cæsaris castra ob admirationem ingredi ausæ, paucis quibusdam veteranis adseruantibus, nihil aliud quàm stantes trepidabant. Sed cum sinistra Pompeij acies hostibus cedere, & iam moueri implicaríque cœpisset, socij omnes in fugam versi, nullo ordine clamare occipiunt, Superati sumus. Deinde tabernacula eorum ac castra veluti aliena inuadentes, diripientésque quocunque licuit variè sparguntur. Iam reliqua Italorum acies, intellecta clade, paulatim quanquàm seruato ordine, à potentioribus tutata, pedem retrahebat. Incumbentibus postremò, vt in victoria, hostibus, & ipsa pariter in fugam conuersa est. Qua in re astutissimè quidem Cæsar, ne ad pugnam denuo rediret, nec vnius prælij, sed totius belli opus adimpleret, egisse visus. Præcones enim acies

discurrere, & à Romanorum cæde omnes temperare iubet, solum ad socios afferre manus. Victis deinde propius admotis, intrepidos manere admonet. Id cum vnus ab alio intelligeret, omnes constitere. Et iam Pompeianorum id vnicum signum erat, tutò permanere. Cæteris deinde Italorum more consistentibus, similémque vocem edentibus, discurrentes Cæsaris milites, sociorum copias nullo præsidio munitas interficiunt, ob idque ingentem edidere stragem. Pompeius militum suorum conuersione perspecta, mente collapsus ab exercitu secessit, indéque in tabernaculum delatus, sine voce aliquandiu perstitit, quemadmodum Telamonium Aiacem in Ilio passum fuisse memorant inter medios hostes à Fortuna destitutũ. Reliquorum pauci ab exercitu abire ausi, præconis voce eos à Cæsare tutos pollicente, accurrentibus deinde hostibus per partes dissipati sunt. Finiente iam die, Cæsar per exercitum prouectus, vt manerent præcabatur, donec Pompeij castra recepissent. Quippe si hostes per diem vnicam vires assumpsissent, victoriam denuo habituros esse: sin castra & exercitum simul occupassent, bellum omne iam esse profligatum. Ad hæc manus ad eos protendebat, & cursu prior antecedebat. Quorum igitur à labore corpora exhausta fuerant, accendit animos, cum ducem ipsos præeuntem

asse

aspexissent. Erexit ad hæc etiam eos spes, ac felicitas gestarum rerum, ut castris potirentur & quæcunque in illis essent, sibi assumerent. Homines quidem in spe ac prosperitate minus labores sentiunt. Sic igitur omnes incumbentes magna vi aduersos pepulere. Pompeius his inspectis, ex tam longo silentio hoc solum dixisse fertur, An ad castra & hi nostra? Quibus dictis; mutata veste conscendit equum: quatuórque ex amicis eum comitantibus, nullo in loco cursum intermisit, quoad exorta luce Larissam tandem venit. Cæsar in Pompeij tabernaculo, quemadmodum se facturum dixerat, consedit, & quæ illi in cœnam apparata fuerant, sibi assumpsit. itidem & reliquus exercitus ex hostium epulis recreatus est. Cecidere hoc in prælio ab utraque parte, Italorum quidem (non enim sociorum copiæ ob multitudinem contemptúmque annumerantur) è Cæsaris primum exercitu turmarum ductores ad numerum triginta, armati ducenti, ut alij scripsere, mille & ducenti. Ex Pompeij verò partibus Senatores decem, quorum è numero fuit Lucius Domitius, olim Cæsari in Gallia successor destinatus, equestris ordinis ad quadraginta ex illustrioribus. Ex reliquo autē exercitu, qui rem in maius extollunt, quinque supra viginti millia cecidisse aiunt. Cæterum Asinius Pollio, qui sub Cæsare ea in pu-

gna militauit, sex millia ex Pompeij exercitu interijsse solùm scribit. Et hic finis admirabilis illius circa Pharsalum belli fuit. Cæsar munera quidem prima & secunda ex omnibus protulit, fassus eos egregiè pugnasse, & cum ipso legionem decimam. Tertia Crasinus turmæ ductor habere meruit. Is cum Cæsar pugnã ingrederetur, & ab eo quid speraret exposceret, elata voce, Vincemus, inquit, ó Cæsar: & me hodie vel viuum vel mortuum recipies: Exercitus autem iste, me ad quascunque accurrentem acies, & multa præclara & illustria agentem intuebitur, testisq; erit virtutis meæ. Inter cadauera itaque repertus, muneribus donatus est, quæ cum illo sepulcro illata sunt, quod insigne prope stragem Cæsaris mandato erectũ constat. Pompeius ex Larissa simili cursu ad mare vsque delatus est. Eò loci paruam ingressus cymbam, cum adnauigantem nauẽ offendisset, Mitylenas peruenit. Assumpta igitur Cornelia vxore, triremibus quatuor comitatus, quæ à Rhodijs & Tyrijs ad eum venerant, Corcyram tunc quidem & Libyam prætervectus est, quo in loco exercitum alium, & nauticos habebat apparatus. Ad orientem itaque conuersus, Parthos, veluti ab illis opem petiturus, nulli patefacto interim consilio, adire statuit: quod penè cum in Siciliam venisset, amicis retulit. At illi à Parthis abstinendum

suade

suadebant, qui nuper Crasso insurrexissent, & adhuc ob eius cladem elatiores spiritus haberēt, nec Corneliam singularis formæ mulierem in eorum potestate committendam esse, maximè cum è Crasso esset genita. Cum in Aegyptū demum ire statuisset, vel ad Iubam potius se conuertere, amici repudiatis Iubæ rebus, vtpote quæ nullius æstimationis, aut gloriæ futuræ essent, Aegyptum vt adiret suasere, finitimam regionē, & principatu ingenti præditam, felicē præterea, ac potentem nauibus, frumento pecuniisq́ꝫ: cuius reges quanquam puerili in ætate essent, Pompeio tamen paterna charitate obsequerentur. His permotus Pompeius ad Aegyptum se conuertit. Cleopatra Aegypto eiecta, quæ cum fratre regnum simul obtinebat, exercitum circa Syriam in fratrem apparabat. Ptolemæus ea tempestate prope Casium Aegypti, Cleopatræ insultus morabatur. Ita casu quodā incumbente vento, Pompeius ad Casium defertur. Inspectis copiis quæ plurimæ in littore constiterant, à cursu temperauit, meditatus, quòd re ipsa fuerat, adesse regem. Præmissis nunciis, amicitiam, quam cum patre eius habuisset, exponit. Rex tertium supra decimum ætatis annum iam attigerat. Exercitum eius Achilas quidā adseruabat, pecunias verò Photinus nomine eunuchus: qui cōfestim de Pōpeii aduentu inter se consultare incipiunt. Aderat

& Theodorus Samius rhetor, pueri regis præceptor. Hi nefandum inuicem negocium animo voluentes, Pōpeium interficere conueniunt, quò Cæsari morem gererent. Approbato deinde consilio, cymbam eximiè ornatam ad eum mittunt, veluti mari importuoso eo in loco existente, nec à maioribus nauibus adiri facili. Ministri porrò regij cymbam inscenderant: & cū his Sempronius vir Romanus, qui tunc fortè regi aßidens, aliâs cum Pompeio militauerat. Is dextram regis nomine Pompeio obtulit, & ad amicum filium tutò monet accedere. Inter hæc exercitus, veluti Pompeio honorem præbiturus, iuxta littus in acie constiterat, & rex inter medios purpurea amictus veste præsidebat. Quorum aspectu Pompeius suspicione motus est, cum exercitus ordinem, cymbæ ornatū intueretur, potißimum cum nec ad ipsum accessisset rex, nec ex suis digniores præmisisset. hunc solum itaque Sophoclis iambum protulit. Qui ad tyrannum proficiscitur, illius seruus est, quanquam liber sit. quò dicto cymbam trepide est ingressus. Cum in alto longe abesset, inter nauigandum magis adhuc de Sempronio cœpit suspicari, siue quod Romanum hominem secum olim militantem nosceret, siue quòd solum adesse cerneret, quasi ob militaris disciplinæ æmulationem imperatorem suum esset inuasurus. Ad illum itaque conuersus, Téne, inquit,

ego cognoſco ô miles? cui ſtatim ille annuit. Deinde conuerſum primus perculit: cæteri verò inſecuti ſunt. Vxor itaque, & amici eius hæc à longe intuentes, eiulatu, gemitúque ad deos fœderum vindices, manus tollere, nulláque interiecta mora claſſem ab inimico littore auertere contendunt. Caput Pompeij à buſto abſciſſum, & à Photino Cæſari magno pro munere ſeruatum. Verùm idem tam nefandi ſceleris meritas luit pœnas. Reliquum corporis in littore ſepultum à quodam tumulo inſigni addito, cui ab alio inſcriptum fuit. Templis pondus erat, modica qui clauditur vrna. Procedente tempore, cum tumulus ſub arena eſſet obrutus, ſtatuæ etiam quæ Pompeio à neceſſarijs eius circa Caßium ex ære erectæ ſteterant in templi aditu, iam vetuſtate exeſæ ſeruarentur, ætate mea ab Hadriano imperatore ſumma diligentia perquiſitæ, & inuentæ ſunt, cùm ad partes illas acceßiſſet. Tumulus quoque mandato eius perpurgatus, ſtatuæ erectæ, ſic vt denuò ab omnibus dignoſci poſſent. Et hic finis vitæ Pompeio fuit, a quo tam ingentia prælia exantlata ſunt, cuius opera Romanorum imperium in maius adauctum, ob quæ magni cognomen habere meruit, cum à nemine antea eſſet ſuperatus, ſed ab adoleſcentia vſque inuictus fuiſſet, ac beatus. A tertio quippe & vigeſimo vſque ad octauum & quinquageſi-

mum ætatis annum monarchiæ præfuit, summa potentia vsus, & vt opinio fert, ob Cæsaris Zelum populari fauore in principatu positus. Lucius igitur Scipio Pompeij socer, cæterique quicunque illustriores à Pharsalica pugna perfugerant, ad Catonem Corcyram versus abiere, qui ad alterius exercitus curam, trecentarúmque triremium custodiam prætor relictus fuerat. Itaque quicunque ex ipsis clariores extitere, Pompeij copias, classémque inter se partiti sunt. Cassius in Pontum ad Pharnacem profectus est, vt in Cæsarem illum excitaret. Scipio & Cato in Lybiam enauigarunt Vari fiducia, & exercitus qui cum illo adseruabatur, Iuba Numidarum rege pariter cum illis ad bellum conspirante. Pompeius autem primogenitus Pompeij filius, Lauiniúsque cum eo copiarum partem deducentes, in Iberiam sunt profecti: quam adse ascíscentes, exercitum alium ex Iberis, Celtiberis, seruísque in vnum congregarunt, sic vt longe maiore impetu assurgerent. Tantæ adhuc vires ex Pompeij apparatu superfuerant, quas idem infelicitate quadam dereliquerat in fugam versus. Cùm autem qui in Libya conuenerant, Catonem ipsis ducem postularent, Cato consularium præsentia commotus, id munus renuit, qui dignitatis causa eo in loco legati aderant, cùm ipse in vrbe prætor duntaxat extitisset. Lucium

cium itaque Scipionem imperatorem elegere, cum quo magna adhuc copia conspirauere ad bellum. Et hi duo potissimum exercitus æstimatione digni, ex Libya, & Iberia, in Cæsarem vnà vires assumpserunt. Cæsar post adeptam victoriam per duos dies in Pharsalo commoratus est, sacris intendens, exercitúmque è prælio defessum vicissim recreans. Eo in loco Thessalos qui cum ipso depugnauerant, liberos esse iussit: Atheniensibus præterea veniam petentibus facilè concessit, his verbis vsus. Sæpenumero vos vestri culpa ad interitum redactos, maiorum vestrorum gloria saluti reddidit. Tertia die orientem versus castra mouit, fidem Pompeianæ prosecutus fugæ. Cùm ad Hellespontum peruenisset, triremium inopia scaphis exercitum traducere compellitur. Cassius fortuna quadam triremium parte comitatus, adnauiganti obuius fit, cùm ad Pharnacem properaret. Et quanquam triremium numero aduersus paruas rates tutò depugnare posset, Cæsaris tamen felicitate conterritus, cuius fides perspecta erat, vires formidanda, eundem consultò adnauigare ratus, à trireme in scapham porrectis ad eum manibus vltro desilit, veniáque impetrata triremes omnes illi tradidit. Tantum potentia Cæsaris felicitas sibi asciuerat. Non enim ego aliam contemplor rationem, neque opus aliud

excog

excogitare possum in tanta temporis difficultate, tantum illi fortunæ successisse, vt Cassium virum bellicosum octoginta triremibus aduersus nauigantem, ac illi imparato occurrentem adeò terruerit, vt nec ad manus cum eodem accedere sit ausus. Nam eum, qui tam turpiter ex timore se illi dederat, posterius Romæ imperantem neci tradidit. Qua ex re satis constat, longe ampliorem ex fortuna Cæsaris tunc illi timorem affuisse. In hunc modum præter opinionem saluatus Cæsar, superato Hellesponto, Ionijs, & Aeolijs, cæterisque nationibus, Cherronesum magnam incolentibus, quam vno nomine Asiam minorem vocant, per legatos deprecantibus veniam concessit. Audiens præterea Pompeium in Aegyptum pertransisse, Rhodum peruenit, neque vlterius expectato exercitu, qui ad eum per partes accedebat, Cassij & Rhodiorum triremibus assumptis, cum præsentibus duntaxat classem ingressus est, neque illi patefacto itinere circa vesperam cursum mouet, reliquis gubernatoribus, vt classis suæ signum per diem sequerentur admonitis. Gubernanti autem proprio, cum iam à littore longe abesset, Alexandriam versus vela iubet exponere. Sic tribus diebus pelago profectus Alexandriam peruenit. Eo loci ab regijs ministris benigne receptus est, cum rex moram circa Casium

adhuc

adhuc ageret. Ac primum quidem ociositatem quandam ob assistentium sibi paucitatem simulare cœpit. Nam ad eum accedentes perhumane recipiebat, & Vrbem circumnectus, pulchritudinem eius admirari visus, & disputantibus philosophis in multitudine præsens astitit. Quibus ex rebus gratiam apud Alexandrinos, veluti à negotijs omnibus solutus, sibi comparauit. Adsistente verò exercitu, Photinum quidem & Achillam ob ea quæ in Pompeium perpetrauerant, morte mulctauit. Theodotum demum fugientem Cassius cum in Asiam venisset, cruce suspendit. Tumultu ob hanc rem inter Alexandrinos orto, cum regium exercitum in illum concitassent, pluribus prælijs circa regiam, & in maris littore certatum est. Quo in loco cum in mare desiliisset, & in profundo aliquandiu enatasset, Alexandrini vestem ab eo ademptam, in trophæi modum erexere. Postremò iuxta Nilum cum rege certamen iniit, in quo victoria superior euasit. Inter hæc per nouem menses commoratus, tandem Cleopatram fratris loco Aegypti regnum iussit obtinere. Per Nilum quoque quadringentis nauibus deuectus, quò regionem perlustraret oculis, cùm Cleopatra simul adijt, multáque alia vt illi obsequeretur effecit. Verùm hæc

sing

singula vt gesta sunt, diligentius eo libro referuntur, qui de Aegyptijs inscribitur à nobis. Caput Pompeij ad se delatum minimè intueri voluit, verùm sepeliri statim iussit. Templum quoque perexiguum ante vrbem condidit, quod indignationis sacrum appellauit, & quod ætate mea Traiano imperatore Iudæorum gentes in Aegypto debellante, ab Iudæis ipsis ad opportunitatem belli disiectum est. Tam magna in Alexandria operatus Cæsar, per Syriam in Pharnacem copias mouit. Is quippe iam multa peregerat, & quasdam Romanorum prouincias sibi asciuerat, & cum Domitio Cæsaris pretore depugnans, splendide victoriam adeptus fuerat. Qua ex re maximè elatus, Amysum vrbem in Ponto sitam, & Romanorum fauentem partibus, in seruitutem redegerat, pueris quoque eorum manus abscindi iusserat. Adueniente deinde Cæsare, pauore, ac pœnitentia ductus, cùm per ducenta stadia longe abesset, legatos pro pace ad eum misit, qui coronam deferrent auream, filiam quoque eius ob inscitiam in matrimonium illi traderent. Cæsar intellectis his quæ afferebantur, cùm exercitu progressus est, & ipse in primis anteire properauit, legatos verbis detinens, donec ad Pharnacis castra peruenisset.

set. Et hoc solum inquiens: An pœnas adhuc dabit hic patris interfector? equum ascendit, & confestim à prima voce Pharnacem in fugam vertit: plures quoque cum equitibus qui ad mille primo impetu ad eum venerant, occidit. Qua ex causa illum exclamasse ferunt: O beate Pompei similibus post Mithridatem huius patrem occurrens hostibus, & ob id magnus habitus, & magnus appellatus: post pugnam deinde hac Romam præmisit, Veni, vidi, vici. Pharnaces in Bosphori regnum quondam à Pompeio sibi traditum libens abscessit. Cæsar nulla ad ocium intermissa mora, tot bellis ipsum circumstrepentibus, in Asiam peruenit: & in transitu vrbibus quæ tributis oppressæ fuerant, ius administrauit, quemadmodum à nobis in Asiaticis rebus perscriptum est. Sentiens deinde seditionem Romæ coortam esse, & Antonium equitum præfectum, commeatum cum exercitu omni ex parte præcludere, Romam regreditur: quò cum venisset, omnis ciuilis seditio extincta est. Verùm militum altera in eum insurrexit, qui nec ipsi Pharsalico bello promissa capientes, neque ex lege vlterius in bello permanentes, ad patriam redire properabant. Nam quædam illis infinita in Pharsalo, & alia etiam infinita

cùm in Libya bellum perfectum esset, pollicitus olim fuerat: tunc autem ad illos misit vnicuique mille drachmas persolui iubens. Hi verò non polliceri eum potius quàm exoluere statim admonebant: parúmque abfuit, quin Priscum Sallustium ad eos missum his de rebus interficerent, nisi quòd idem fuga elapsus est. Quibus perceptis Cæsar legionem aliam militum, qui vrbem sub Antonio seruabant, domui suæ, vrbisque egressibus iussit præsidere, veritus ne milites ad rapinas se conferrent. Ipse trepidantibus cunctis, & vt militum insultum præcaueret admonentibus, longe audacior ad eos dissidentes in campum Martium profectus est, ita vt priusquam loqueretur, in tribunali sit conspectus. Illi cum tumultu inermes ad eum accurrere, & vt mos est inopine adueniente eo, imperatorem venerati sunt. Iubente deinde illo vt si quid de muneribus loqui vellent, in conspectu suo dicerent: nihil ausi ex pauore siluerunt. Cùm autem moderatius à militia dimitti omnes conclamarent, sperantes eundem ob exercitus indigentiam sub munerum spe ad reliquos hostes deducturum esse, de communi opinione nihil veritus, dimitto vos, inquit. Stupentibus ipsis, multo magis subsecuto silentio, in hunc modum fari cœpit. Dabo

vobis

vobis omnia quæ pollicitus sum, cum de cæteris triumphum agam. Quo insperato responso moti, cum idipsum læte audirent, verecundia etiam oppressi sunt. Ratio quoque cum Zelo simul incidit, quasi eorum imperatorē hostium in medio relicturi essent, aliiq; ipsorum loco triumphum habituri. Lucra insuper, quæ in Libya longe maiora consecuturos se sperarent, amissuri, & vicissim Cæsaris & inimicorum eius futuri hostes. Qua ex re ampliore adhuc timore ex dubitatione conticebant, sperantes Cæsarem quicquam illis daturū esse, ac simul ob necessitatē, quam in præsenti haberet, pœnitentiam acturum, at ille ex aduerso loqui desiit. Amicis deinde, vt aliud quippiam ad eos loqueretur suadentibus, & ne tam breui superboq; responso plura militibus celaret admonentibus, loqui exorsus, ciues militum loco habere se dixit, quod discedentium à militia, & priuatam vitam subeuntium signum erat. Illi pœnitentia ducti, & vlterius non ferētes, exclamare, ac precari, & vt ad militiā assumerentur exposcere. Recusante & id Cæsare, & à tribunali simul descendente, milites multo acrius instare, & vt permaneret orare. & qui deliquissent, pœna affici debere postulabant. Modicum igitur quid commoratus, neque discedens, neque regrediens, dubitationem simulare cœpit. Mox reuersus, nemi-

nem ex ipsis se punire velle dixit, angi tamen admodum, ac dolere legionem decimam, quam in honore semper habuisset, huiusmodi tumultus praestitisse causam. Hanc igitur solam ab exercitu meo, inquit, eximo. dabo autem quaecunque vobis pollicitus sum, cum ex Libya rediero. dabo insuper agros cum bella omnia confecta fuerint, non quemadmodum Sylla, à caeteris eripiens quos illi haberent, & sellatos cum his qui accepissent, in vnum habitare faciens, & adinuicem hostes eos statuens, verum populi agros inter vos distribuens, & ex me ipso necessaria simul adhibens. Plausu & collaudatione ab omnibus elatis, decima legio moerore tabescebat, Caesarem solum erga se implacabilem esse intuens, se' que ab illo sortiri deposcebat, & partem ex ea morte mulctari. Caesar nihil cum illa contendere ausus, cum indigeret adhuc, cautius demum poenitentia deductam sibi conciliauit: indéque in Libyam ad bellum se proripuit. A Rhegio itaque vrbe in pelagus delatus, à Missenia tandem Lilybaeum deuectus est. Ibi Catonem belli apparatum cum classe & peditum parte in Vtica seruare intelligens, trecentis Romanorum additis, qui se belli consultores fecerant, & Senatum seipsos nuncupabant, Imperatorem verò eorum Lucium Scipionem constitutum esse, praestantiores

ex ip

ex ipsis in Adrumeto moram ducere, Scipionem versus classem mouit. Quem cum ad Iubam profectum offendisset, contra Scipionis exercitum aciem instruit, quasi opportune hostes Imperatore absente prælio inuasurus. Labienus ex aduerso ac Petreius Scipionis duces illi occurrunt, & ex Cæsaris militibus plures intercipiunt. Fugientes quoque per contemptum insequi cœperunt, donec Labienum equus per ilia confossus humi deiecit. Verum illum clypeatorum manus ab hostibus eripuit. Petreius abunde eorum periculo perspecto, & quæcunque libuisset, facile obtinere potens, bellum intermisit, eos qui circunsteterant, his verbis increpans, Ne Scipionem imperatorem nostrum victoria fraudemus. Quod opus Cæsareæ fortunæ pars altera videtur extitisse, hostibus, vt apparuit, victoriam adeptis, qui tam inopine pugnam dissoluissent. Ipsum autem Cæsarem eo in prælio in suos insurgentem à fuga cohibuisse aiunt, & quendam ex ipsis aquilam ferentem, quæ præcipuum in bello signum fuit, sua manu inuadentem, à fuga ad primos compulisse, donec Petreius retrogressus est, & Cæsar ipse facilius suos reuocauit. Et hic belli primi à Cæsare gesti in Libya finis fuit. Non multo pòst cum Scipio octo peditum legionibus instructus, equitibus viginti millibus, quorum maior pars Li

bycorum fuit adhuc scutatis plurimis, & elephantis circa triginta, aduentare diceretur, & cum eo Iuba rex, qui pedites alios ad triginta millium numerum, Numidas equites ad viginti millium, lanceatores quoque multos, & elephantos sexaginta alios secum duceret, Romanorum exercitus cœpit trepidare, militesq; inter se tumultum concitarunt eorum causa quæ iampridem experti fuerant, & hoc ob opinionem multitudinis, ac virtutis, maxime insurgentium Numidarum equitum, tum ob elephantorum bellum aduersus constitutum. Boccho deinde altero Maurusiorum rege, Cirtam, quæ Iubæ regia fuerat, intercipiente, Iuba intellecta re ad propria cum exercitu reuersus est, triginta duntaxat elephantis Scipioni derelictis. Qua ex re Cæsaris exercitus adeò exhilaratus est, vt quinta legio elephantis se opponi postularit, eáque in primis victoriam adepta sit: & ex hoc nunc etiam ipsi legioni elephanti vexillis inscribuntur. Tandem longa cum labore in omni eius belli parte pugna, multimoda conuersione facta, Cæsar vix tandem in vesperam victoria potitus est. Et Scipionis exercitus demum superatus, nulla victoriæ intermißione nec in nocte quidem facta, quoad omnia profligata sunt. pauci hostium vt potuere in fugam abeunt, Scipio cæteris omnibus Afranio permißis

missis, per mare duodecim cataphractis nauibus elapsus est. In hunc modum exercitus octoginta millibus militum ad prælium instructus, et iampridem expertus, & ex prima pugna in spem maximam elatus, hoc secundo prælio penitus dissipatus est. Cæsaris gloria felicitate belli insuperabilis à cunctis habita, nihil victis virtuti eius tribuentibus, sed propria errata Cæsaris felicitati adscribentibus. Visum est enim id bellum ducum imperitia in hanc cladem decidisse, minime sustinentibus ipsis quousque vt in exteris indigeret Cæsar, neque primam victoriam ad finem vsque deducentibus, verum se statim ipsos dissoluentibus, cum iam Cæsar esset profligatus. His Vticæ relatis circa tertiam fermè diem, & Cæsare subito admouente copias, fuga omnium insecuta est: quorum neminem retinuit Cato, sed naues illustrioribus eorum tradidit, ipse quietus in vrbe perstitit. Vticensibus etiam pro illis inprimis deprecari pollicentibus, subridens Cato, non conciliatione sibi cum Cæsare opus esse respondit, & id ipsum Cæsarem optime intelligere. Publicatis insuper his quæ recondita apud illum fuerant, singulis Vticensium primoribus inscribens atque dispartiens, circa vesperam à balneo ad cœnam transijt. Discumbens porrò cõuiuatus est eo more, quo à Pompeij nece consueuerat, nihil solita con-

uersationis omittens, neque plura aut panciora conuiuio inferens. Cum astantibus etiam de his qui enauigauerant, sermonem protulit, rogans an prospero vteretur vento, & quanto interuallo longe essent abituri priusquam ad lucem accessisset Cæsar. Postremo in cubiculum delatus, cæteros omnes, filio excepto, à se dimisit, quem solito arctius amplexus est. Post hæc ensem lecto assidere solitum minime intuens, exclamare cœpit, se hostibus ab domesticis inermem prodi. Quemadmodum enim, inquit, necessarijs vti possum; si per noctem contra me insurgat quisquam? Amicis autem illum adhortantibus, & se nihil in eum machinari profitentibus, verum vt sine ense quiescere vellet suadentibus, apertius hæc inquit. Non enim mihi mori cupienti, ense opus est: facillime quidem vel veste spiritum licet opprimere, vel caput parieti vltro impingere, vel in collum præcipitare meipsum vt peream, vel retento spiritu obire mortem. Multaque alia elocutus, vt ensem perferrent exorauit. Quo allato, Platonis librum, qui de anima inscribitur, ab illis poscens legere perseuerauit. Cum à lectione desijsset, qui portis præsidebant, quieti indulgere monuit. Ipse autem se sub pectore impresso ense vulnerauit. Effluentibus itaque visceribus, cum strepitus insecutus esset, qui ad portas morabantur subi-

to accurrunt. Medici quoque viscera adhuc illæsa reducere, & vulnus colligare tentabant. Ille reassumpto spiritu, dissimulare iterum, ac seipsum increpans, quòd minus alte vulnus impressisset, gratias illis veluti salutis suæ authoribus vltro reddere, demum se quiete indigere dixit. Illi arepto ense discessere, & quasi quieturo præclusere portas. Cato dormientis similitudine prælata, obligationes Vulneris silens ipse manibus diripuit ambabus, & suturas corporis infregit, feræ in morem. Vulnus præterea & ventrem vnguibus digitisque lacerauit, visceráque disiecit, quoad tandem extinctus est, annum iam quinquagesimum ætatis agens. Mentem suam ex huiusmodi indicio aperuit omnium mortalium ferè singularis, Iustum & honestum; & quod bonum dicitur, non moribus magis quàm rationis magnanimitate diffiniri. Martia illi vxor Philippi filia à principio fuit, qua maximè oblectatus est filios'que ex ea genuit. deinde Hortensio amico habendam tradidit, veteri consuetudine, cum ille filiorum cupidus, nusquam mulieri fœcundæ conuenisset, hanc posterius ex eo prægnantem domum reduxit, quasi illa indigeret. Talis Cato fuisse scribitur: quem Vticenses splendide intulere sepulchro. Cæsar illum gloriæ suæ inuidisse retulit. Cicerone de ipsius laudibus librum per-

scribente, qui Cato appellatur: Cæsar ex aduerso Anticatonem in calumniam eius edidit. Iuba & Petreius perceptis his quæ gesta fuerant, cum nec fugam aut salutem vlterius sperare possent, inedia vulneribus' que se adinuicem tandem confecere. Cæsar Iubæ regnum Romanis sub tributo contulit, cui Crispus Sallustius pro prætore præfuit Vticensibus, Catonisq; filio veniam concessit. Pompeij filiam cum duobus ex ea natis Vticæ deprehensam, Pompeio dimisit incolumem. Ex trecentis verò illis qui Senatus formam præferebant, quoscunque repertos neci tradidit. L. Scipio, qui eo in bello imperator fuit, hyemem in mari agens, hostilibus nauibus à casu obuius, peregregie se gessit, donec superata eius classe seipsum interemit spõte' que in mare præcipitem dedit. Hic igitur Cæsaris in Libya belli finis fuit. Ipse Romam reuersus, quatuòr interpositis diebus peregit triumphos. De Gallicis primum, in quo plurimas & maximas duxit nationes, & quæcunque alia deficientia adeptus fuerat. Ponticum contra Pharnacem, Libycum in Libycos, qui Scipioni adhæserant. Inter hos Iuba, Iubæ filius infans adhuc afferebatur. attulit & cuiusdam circa Nilum naumachiæ triumphum Aegyptium, Gallorum & Pharnacis in medio. Quæ verò ad Romanos pertinebant, veluti in-

ter

ter ciues gesta, neque sibi admodum honesta, & Romanis insuper turpia infausta que videbantur, triumpho per imagines inscripsit, eorum que passiones pariter expressit. Viros quoque similitudinibus variis scriptis que repræsentauit, Pompeij imagine excepta. Huius solum deferri & ostendi vetuit, cum populum erga illum beneuolentia affectum adhuc esse intelligeret. Populus igitur domesticis in malis, quanquam timore oppressus, suspirio tamen mœrorem prodidit, potissimum cum L. Scipionem imperatorem suum à seipso sub pectore traiectum, & in mare collabentem, & Petreium se inedia ferro que conficientem intueretur, & Catonem feræ in modum viscera dilacerantem sua. Achilæ necem, & Photini, gaudio prosecuti sunt omnes, & in Pharnacis fuga risum emisere. Pecuniarum in triumphis summam delatam ferunt sexagintaquinque talentorum millium. Coronas ex auro duas & viginti, ac octingentas supra duo millia, quæ quatuor supra decem & quadringentarum amplius viginti que millium librarum pondus excellerent. Ex quibus statim post triumphum, quæcunque exercitui pollicitus fuerat, amplıore adhuc pecunia exoluit. Militi drachmas quinque mille Atticas, turmæ ductori bis totidem, tribunis militum, equitibus que in duplo

plo maius, ad hæc singulis ex populo minam Vnam Atticam. Spectacula quoque multifariam edidit, equorum, & musici pedestrisq; certaminis, Virorum mille ad totidem certannium, & equestres pugnas ducentorum pariter, & alium ex peditibus, equis'que præludium subinde immiscens, elephantorum Viginti bellum Vtrinque locatorum. Naualem præterea pugnam remigum quater millium, mille bellatoribus Vtraque ex parte insidentibus Erexit & Veneri genitrici templum, Vt prius ad Pharsalum Vouerat bellum initurus. Atrium quoque templo circunduxit, quod Romanorum forum esse Voluit, non rerum quidem Venalium, sed eorum, qui ad iura simul conuenirent, quemadmodum apud Persas aut quærentibus aut explicantibus iura cernuntur. Cleopatra perillustrem deæ imaginem templo contulit: quæ à nobis eo loco adhuc Visitur. Cum census populi describeretur, Vix dimidium turbæ, quæ ante bellum fuerat, inuentum est. in tantum huiusmodi contentio exhausit Vrbem. Ipse iam quarto functus consulatu, in Iberiam contra iuniorem Pompeium profectus est. hoc quippe residuum, nec ab eo contemnendum supererat ciuile bellum. Quicunque etenim optimi ex Libya perfugerant, hunc in locum conuenere, & exercitus ex Libya: ducibusq; in Pharsalo super-

pera

peratis, in vnum se contulerat. Ex Iberis verò & Celtiberis nationibus audacissimis, bello consuetis, & ex seruis praeterea multitudo ingens ad Pompeium venerat, & iam quartum annum in his cõtentionibus exegerãt, animoq; ad pugnandũ parato cum desperatione quoq; ferebatur, qua minime cõsisus Pompeius pugnam subire formidabat. Verũ accedente Caesare, belli discrimẽ inire statuit, quanquã dissuadẽtibus illi senioribus, qui ad Pharsalũ, & in Libya Caesarem experti, tempore fameq; veluti exteris in locis conterendum potius esse suadebant. Caesar autem è Roma septem & viginti diebus ad eos venit, grauissimo exercitu longissimum emensus iter. Timor igitur, qualis haud antea exercitum eius inuasit ob multitudinem & experientiam, desperationémque hostium. ob quae Caesar tardius milites in aciem educebat. Id animaduertens Pompeius propius accessit, ob pauorem minimè eos faciens. Quod dedecus permoleste ferens Caesar, copias prope Cordubam in aciem eduxit, insigne, vt prius, Venerem illis anteponens: Pompeius contrà Pietatem. Incumbente Caesare, cum exercitus pauore correptus trepidaret, pauori quoque desidia admixta esset, Caesar porrectis ad caelum manibus, deos omnes inuocare, & ne vnico praelio multa & splendida eius gesta deturparent, capit deprecari.

cæri. milites quoque discurrens nominatim appellabat. cassidε præterea adempta, vultũ eius inspicere cogebat. Illi verò nec hoc quidem modo à timore cessauere, donec Cæsar vnius clypeo arrepto, duces circunsidentes in hunc modum affatus est: Erit hic mihi vitæ finis, vobis autem rei militaris dies vltima. Quibus dictis ex acie procurrens sic hostes propulit, vt per decem pedum spatium loco cederent, ducentáque ad illum tela iacerentur, quorum partem euitaret, partem clypeo exciperet. Ea ex causa cæteri accurrentes ante illum constiterunt, & exercitus omnis impetu euectus per vniuersam diem depugnauit, nunc impellens, nunc repulsus, victus victórq; per partes, quousque in vesperam tandem victoria potitus est: vt Cæsarem dixisse ferant: plerunque pro victoria, tunc autem pro anima solum decertasse. Cæde ingenti edita, fugáque à Pompeianis in Cordubam subinde facta, Cæsar ne fugientes hostes denuo ad prælium redire possent, militibus vt vrbem vallo cingerent imponit. Illi defessis corporibus ob bellum gestum, interemptorum arma inuicem deferrre incipiunt, & telis in terram fixis sustinentes, super ipsa morati sunt. Sequenti die ciuitas ab illis capitur. ex Pompeij ducibus Scapula erecta pyra semet iniecit flammis. Vari & Labieni, ac aliorum illustrium capita ad Cæsarem delata sunt.

Pom

Pompeius cladis initio cum centum & quinquaginta equitibus ad Cartheas aufugit, quo in loco classem obtinebat, & velutis primatus naues latens, lectica ablatus est. Cum autem & hos de salute desperantes intueretur, veritus ne ab illis traderetur hostibus, fuga denuo initæ scapham ingressus est. pede casu à funibus implicito, dum funem gladio secare nititur, pedis plantam gladio abscidit. eo modo ad locum quendam naue delatus curabatur. Cum denuo quæreretur ab hostibus, per iter profundum, dumisque obsitum fuga elabitur: sentibus vulnus stimulantibus, sub arbore tandem fessus constitit. Deprehensus itaque ab his qui illum inquirebant, non ignaue sese protegens interfectus est. Caput ad Cæsarem delatum, eius mandato sepulturæ traditum. sic bellum vno impetu præter cunctorum opinionē confectum est. reliquos ab his fugientes Pompeij frater adolescentior in vnum congregabat, & ipse Pompeius appellatus. Sextus prænomine. Verum idem Latitans & fugiens dietim prædabatur. Cæsar Romam regressus, ciuilibus confectis bellis omnibus, formidabilem se vniuersis, ac verēdum præstitit, & qualis ante eum nemo fuerat. Ea ex causa honores omnes, qui supra homines excogitari possunt, nulla mensura illi præbiti, in sacris scilicet, ludis, monumentis, in templis, locisque

publi-

publicis, per tribus, Vniuersásque nationes, & reges qui nomini Romano amicitia aliqua afficerentur. Figuræ multiformes eius statuis inscriptæ, quarum nonnullis corona ex quercu addita veluti seruatori patriæ, quibus olim ciuem clypeo tegentes ornabantur. Appellatus est & pater patriæ, & Dictator in omnem vitam electus, consúlque ad decennium, corpus eius sacrum & intemeratum habitum. Ius ab aureo solio eburneóque dicebat, & triumphalibus indutus ornamentis continue sacra faciebat. Vrbem per singulos annos diebus in quibus acie vicisset, sacratam statuerunt, sacerdotésque ad quinquennium, votáque publica pro eodem haberi solita, dignitates ad hæc constitutæ, quæ iureiurando nihil his quæ à Cæsare confecta essent, aduersari velle confirmarent. Ad honorem quoque stirpis eius, Quintilem mensem Iulium appellari placuit. Templa illi plurima veluti deo publicis decretis statuta sunt, & commune ipsi Clementiæque in vnum condiderunt. sic enim vt dominum illum venerati, vt propitius sibi foret, deprecati sunt. Fuere & qui regem dici suaderent: donec his perceptis, seuera obiurgatione ab huiusmodi nomine continere iußit, veluti nefandum abhorrens, maiorúmque suorum execratione detestandum. Cohortes militares, quarum opera se ab hostibus tutatus

tus esset, custodia dissoluit, & popularibus duntaxat ministris comitatus, in publicum processit. In hunc modum ante rostra agenti, atque iudicanti, decretum honorum omnium Senatus ipse praeeuntibus consulibus, ornatu miro & ordine illi detulit. Caesar hilarè susceptis ipsis, neutiquam accedentibus atq; manentibus assurgere sustinuit: Verum stimulantibus ad regiae appellationis nomen, assensum re ipsa praestitit. Caeteras dignitates, consulatu per decennium excepto, sibi assumens, consules in futurum se & Antonium magistrum equitum eius declarauit: Lepido imperans, ut interim pro Antonio magistratum gereret, qui Iberiae praepositus, amicorum gratia illi praeerat. Exules omnes reuocauit, nisi quis ad intolerabiles fuga peruenisset. Inimicis veniam concessit. & plerisque qui illum oppugnauerant, saepenumero magistratus annuos contulit, & ad prouinciarum curam aut exercituum emisit. Quibus ex rebus adductus populus, democratiam se illi concessurum confisus est, quemadmodum Sylla pari modo potentia usus praestitisset. Caeterum in hoc quàm maxime videtur aberrasse. imaginem quippe eius quidam ex adulatorum numero ex verbo ad effectum regni repraesentans, lauro tenui peralba inserta coronauit. Hunc tribuni Maryllus Caesetiusq; carceri inclusere, simulantes

tes & in hoc Cæsari rem gratam agere, quē ad regni mentionem continuo subirasci consueuerat. quod ille patienter perferre visus. Alijs circa portas aliquando gradientem salutantibus vt regem, cum populus ad vocem ingemisceret, percallide in hunc modum respondisse dicitur, se Cæsarem esse, non regem: quasi ad nomen eius aberrassent. Cum Maryllus eos qui principium huic rei præstitissent, subinde deprehendisset, & à ministris in iudicium deduci iuberet, Cæsar non vlterius ferendum ratus, de Maryllo in Senatu grauiter conquestus est, veluti astute in eum insidias struente ob tyrannidis calumniam: dignum quoque morte esse censuit, vel à magistratu saltem & Senatu submouendum, quòd potissimum illi calumniam inflixit, quasi huiusmodi nomen affectaret, qui ad experimentum vsque progressus tyrannidem inclusam gereret. Siue enim occasio eundem puniendi, Regij nominis appellatione prætensa est, siue quòd tribunorum potestatem veteri sacramento atque lege sacram inuiolatámque censeret, iram certe peringentem extulit, qui reliquum eius magistratus tempus perferre nequiuisset. Quod & ipse intelligens, pœnitentia adductus cum hoc solum nullo belli initio in ipsa pace intolerabile grauéque iudicaret, amicis dixisse fertur, cum illum diligentius præcauere admonui

monui

monuissent. Inimicis aduersum inquirentibus, occasionem se abunde praestitisse. Adhortantibus denuo illis, ut custodiam corporis Ibericis cohortibus exhibere vellet: Nihil assidua custodia infelicius esse inquit, & in perpetuo timore commorantibus. Neque propterea adipiscendi regni experimenta cessauere. nam eodem Lupercos in foro contemplante ante rostra in throno aureo, Antonius in consulatu collega eius, cum nudus unctúsque decurreret, ut celebritatis illius sacerdotibus mos olim fuit, ad rostra delatus, Caesaris capiti diadema intulit. Quamobrem cum à paucis plausus redderetur, plures autem ingemiscerent, Caesar diadema subitò reiecit: quod Antonius iterum illi apposuit. Reijciente iterum Caesare, & id munus abnuente, populus ad eorum contentionem silens perstitit, suspensus quoque finem & euentum morabatur. Caesare diadema omnino respuente, magno clamore laetitiam prodidit. Caesaremque summis laudibus omnes extulere. Ille igitur siue desperans, siue frustra labori innixus, & experimentum tandem euitans aut calumniam, aut ciuilibus quibusdam hostibus ultro cedens, siue valetudini curam adhibens, epilepsiae scilicet, & caduco morbo, qui plerunque inter otium illi acciderat, ingentem in Parthos Getasq; expeditionem meditatus est.

Getis quidem, vt insolentioribus, & pugnæ cupidis, & propinquis sibi nationibus bellum parans: Parthis verò, vt Crassi vlciscere- tur iniuriam, quem præter fœdus bello inua- sissent. Exercitum igitur sex & decem legio- num peditum, equitum decem millium, qui Ionium transmitteret, præire iussit. Sermo in- terim alius ex Sibyllinis monitis vulgatus est, non antè Parthos Romanis pariturος, quàm rex ad eorum bellum mitteretur. Qua ex cau- sa nonnulli in medium afferre ausi, vt dicta- torem prius, sic nunc imperatorem Cæsarem esse vocitandum, & quocunque alio nomine reges appellantur, omnésque nationes Roma- nis subditas nullum alium apppellare regem. Ille id ipsum abhorrere simulans, omnino ad egressum suum properabat, cum iam inui- dia in vrbe laboraret. Cæterum per quatri- duum antequam ad Parthos profecturus es- set, ab æmulis in Senatu occisus est, siue ob felicitatis zelum ac potentiæ, cuius iam ad summum videbatur peruenisse: siue, vt ab illis assertum est, patriæ desiderio & chari- tate ducerentur. iam enim abundè notum erat, etsi Parthos non vicisset, haud ambi- guum tamen Romanorum futurum regem. Hac igitur ratione ductos arbitror in eum as- sumpsisse impetum, nomine duntaxat inter se dissidentes, opere verò dictatorem eum & re-

gem

gem intuentes. Insurrexere autem in eum duo potissimum viri Marcus Brutus Capio cognomine, Bruti illius qui à Sylla interfectus fuit, filius, & bello apud Pharsalum gesto à Caesare profugerat: & Caius Cassius qui triremes circa Hellespontum in potestate eius dederat. Hi quippe ambo Pompeij partes olim secuti, & ab ipso Caesare in amicorum numero habiti fuerant. Decimus etiam Brutus, & Albinus, omnes apud Caesarem honoris & fidei causa venerati, quibúsque res magnas idem credidisset, & in Libya ad bellum proficiscens, exercituum suorum curam demandasset. nam Celtas supra Alpes Decimo regendos dederat, qui verò intra Alpes essent, Bruto. Cum igitur Brutus & Cassius inuicem de pratura vrbis dissiderent, siue aliarum dignitatum, siue pratura ipsius causa, aut simulationis potius inter se contenderent, ne in cateris vnà conuenire viderentur, Caesar verbis eos deliniens, ad amicos ita dixisse fertur, Iusta Cassium exposcere, Bruto tamen indulgendum fore. tanta omni in re beneuolentia & honore erga illum vsus est, vt à quibusdam Caesaris filius existimatus sit, cum Seruiliam Catonis sororem, Bruti matrem, eo tempore quo Brutus natus est, ardentissime adamasset. Itaque ad Pharsalum victoria potitus, magna solicitudine ducibus impo-

stitisse dicitur, ut Brutum quoad liceret incolumem praestarent. Verùm ille siue ingratus, siue culpa matris inscius, siue Caesari minus fidens, erubescens'ue, siue libertatem pluris faciens, scelus, patriámque praeferret, siue ex Bruti prisci stirpe genitus, qui reges expulit, & à populo conuitijs ad id opus irritatus. Nam multa Bruti prioris statuae, & ipsius tribunali inscripta clàm reperta sunt, in hunc ferè modum. Brute munera accipis: Brute mortuus es: utinam Brute uiueres. Quàm indignam sortitus es Brute prolem. Neque ab illo profectò es genitus: pluráque huiusmodi iuuenem incenderunt, ad hoc certè facinus ueluti maiorum authoritate dignum deflexit animum. Increbrescente itaque regis fama, & consilio inter eos de hac re tum primùm affuturo, Cassius dextra Bruto praebita, Quid in consilio facturi, inquit, ô Brute? an ut Caesaris adulatores decet, sententiam de rege proponemus? Minimè huic consilio adesse uelim, respondit Brutus. Elatus his uerbis Cassius: quid si nos, inquit, ut praetores aduocarint? quid agemus Brute optime? Patriae, inquit, usque ad mortem opem afferemus. Quibus dictis complexus eum Cassius, Quis te, inquit, non optimus sequetur ita sentientem? An artifices & caupones tribunal tuum inscribere magis autumas,

quàm

quàm Romanorum quisque optimos. qui à cæteris prætoribus equorum duntaxat spectacula, aut ferarum, à te autem libertatem, tanquam maiorum tuorum insigne opus exigunt? Hæc igitur iampridem meditati, tunc quidem palàm inter se protulere: ac primum quidem amicos proprios, dein Cæsaris ipsius attentare ausi, quos in vtranque partem audaciores nouerant. Ex suis potissimum fratres duos Cecilium, & Bucolianum, & vltra hos Rubrium, Rigam, Q. Ligarium, Marcum Spurium, Seruilium Galbam, Sextium Nasonem, Pontium Aquilam: hos quippe ex domesticis asciuerant. Ex amicis verò Cæsaris, Decimum, de quo præscripsimus, Caium Cascam, Trebonium præterea, & Attilium Cimbrum, Minutium, Basillúmque. Cùm abunde ipsis promissum videretur, nec pluribus communicandum esse vlterius, inuicem conspirauere omnes, nullo iureiurando aut sacrificio adhibito: neque tamen quisquam ex ipsis se immutauit, aut fidem prodidit: tempus duntaxat & locum requirebant. Attulit autem vel maximè commoditatem tempus, cùm Cæsar die quarta ad exercitum esset profecturus: sed custodia militum ipsum circunstante, locum in Senatu prius elegere, rati Senatores, etsi conspirationem minimè intelligerent, inspecta re promptissime

ſimè manus ad opus allaturos, quemadmodum in Romulum, cum ex rege tyrannus effectus eſſet, eueniſſe ſatis conſtat. Sic iſti pariformiter accidere, cum in Senatu fieret, non ab inſultu exiſtimare homines, ſed ab Vniuerſa ciuitate perpetratum eſſe, & Veluti commune facinus: nullum periculum à Cæſaris militibus aſſerri poſſe, Verùm laudem ipſis, non ignorantibus quantum negocij aggreſſi eſſent, permanere. His rationibus permoti omnes, Senatum pro loco ſibi deſtinant. de modo autem inter eos dubitatum eſt. Nonnulli quipe Antonium Cæſaris collegam in conſulatu, & amicum eius præpotentem, militibus quoque quàm notiſſimum, cum eodem interficiendum eſſe cenſebant. Quibus aduerſatus Brutus: in Cæſarem, inquit, Velut in regem inſurgentes, tyrannicidarum habituros famam: in amicos Verò eius non ſecus ac Pompeianæ ſeditionis duces, hoſtium cenſeri loco. Ad quæ potiſſimum adhibentes animum, futuram Senatus Vnionem expectabãt. Cæſar pridie quàm Senatum ingrederetur, Lepido magiſtro Equitum cœnæ adhibito, Decimum Brutum, Albinúmque pariter induxerat. Sermone deinde inter calices apppoſito, quod mortis iucundius haberetur genus: alijs alia diuerſé ſentientibus, ipſe immeditatum cunctis antetulerat. In hunc modum de ſeipſo Vaticinatus

tus est. & hic quae postridie passurus esset, illusisse visus. Noctu postmodum defesso corpore cum accubuisset, Calpurnia eius vxor per quietem existimasse visa est eundem sanguine plurimo madentem, ob idque è domo exire prohibebat. Sacrificanti etiam vt plurimum signa apparuere perhorrenda: quamobrem Antonium, qui Senatum dissolueret emittere curabat. Assistente autem Decimo, ac illum adhortante ne suspicionis infamiam subire vellet, sed praesens ipse ad locum proficiscens, Senatum sponte emitteret, lectica in Senatum delatus est. Spectacula tunc quidem in Pompeij theatro agitabantur, & Senatus in proximis aedibus conuocabatur solitus & ad spectacula huiusmodi accedere. Brutus interim summo mane in porticu, quae ante theatrum sita erat, exigentibus ab eo veluti praetori ius administrabat. Intelligentes itaque coniurati de Caesaris sacris, & Senatus intermissione: omnino quid agerēt addubitabant. Quidam igitur ad eos sic se habentes profectus, vnius ex coniuratis cui Casca nomen fuit, apprehensa manu: Tu me, inquit, amicum latere voluisti? Brutus autem omnia retulit. Cum Casca ob conscientiam trepidare coepisset, subridens ille, à quo, inquit, has pecunias, quibus aedilitatem emeres, tibi cō parasti? quo audito Casca timere desijt. Ipsos autem Brutum & Cassium simul colloquentes

quidam ex Senatoribus Puplius Lena verbis aggressus, Dij vobis quæ cogitatis felicitent, inquit: verùm celeritate opus est. Quibus auditis conturbati ambo, ex stupore siluerunt. Cùm Cæsar in Senatum deferretur, quidam ex familiaribus coniuratione percepta, vt quæ didicerat, illi annunciaret, ad Calfurniam accessit, hoc solum inquiens, instante re magna Cæsarem à Senatu redeuntem opperiri velle: cùm omnia quæ in eum parabantur, haud abũde intellexisset. Et alius in Gnido hospes illi notus, Artemidorus nomine, ad Senatum accurrens nuperrimè eum interfectum reperit. Ab alio etiam insidiarum libellus in Senatum properanti traditus, qui subinde in defuncti manibus repertus est. Antequam è lectica egrederetur, Lena qui cum Cassio paulò antè sermonem habuit, Cæsari obuius, quædam instantius eloquebatur. Eius rei aspectus, ac dilatio, adeo eos conterruit, vt se vicissim intuentes, prius quàm deprehenderetur facinus, aggredi velle properarent. Verùm cum sermone in longum producto, Lenam potius deprecantem pro aliquo, suadentémque, quàm aliquid annunciantem suspicarentur, perstiterunt. Deinde cum Cæsaris vltro genua amplectentem viderent, iterum assumpsere animos. Mos fuit principibus Senatum ingredientibus, statim ab ingressu sacra facere. Denuo itaque Cæsari

id agenti, victimarum prima corde caruisse visa, vel vt alij referunt, caput visceribus in primis defuit. Arusspice per id signum mortem portendi referente, subridens Cæsar, id ipsum in Iberia cum Pompeio depugnanti euenisse sibi retulit. Respondente arusspice non mediocre tūc eum adijsse periculum. & nunc inquit propitius nobis aderit. iterúmq; immolare monuit. Cùm nec eodem modo litare posset, consilij tarditatem erubescens, & ab hostibus veluti amicis adhortatus, contemptis sacrificijs ingressus est, hoc, inquiens, necesse est, quod necesse est euenire Cæsari. Coniurati interea Trebonium qui Antonium ante fores moraretur reliquere. Cæsarem verò in throno considentem, amicorum in morem circunstetere omnes pugionibus instructi. Et primùm quidem Attilius Cimber in conspectu positus, fratris sui reditum qui tum exul erat, supplex precabatur. Contradicente Cæsare, & omnino renuente: Cimber vestem eius veluti precaturus denuò apprehendit, exertoq; pugione collum perculit, voce elata, Quid immoramini ô amici? Casca caput eius inuadens, primus ferrū gutturi infixit, ac ferè pectus ex ictu aperuit. Tunc verò Cæsar Cimbri veste fortius apprehensa, correpta etiam ipsius manu, à throno decurrit, & conuersus Cascam magna vi propulit. Sic se igitur habentis, ac latus in conuersione simul

 deteg

detegentis, alius transfixit altius. Caßius pugionem in vultum adegit. Brutus femur vulnerauit. Bucolianus inter scapulas impreßit ictum: adeo vt Caesar ferae in modum ira elatus, vnumquemque eorum à se auerteret. Post Bruti plagam, veluti desperatis rebus, veste se circundedit, quò honestius caderet. Cecidit autem in conspectu Pompeij statuae. Illi in cadentis dedecus, tres & viginti impressere plagas, plerique etiam se mutuo impellentes aduersis percussere ictibus. Expleto ab ipsis tam ingenti scelere, & loco sacro, & in hominem pariter sacrum intemeratúmque, subito fuga per Senatum, vniuersámque vrbem fieri coepta, nonnulli Senatorum in tumultu vulnerati sunt, alij interempti. Plurima etiam ciuium exterorúmque caedes edita, nulla meditatione, sed vt in tumultu ciuitatis per inuadentium ignorantiam solet fieri. Gladiatores quippe summo mane instructi armis, ad spectacula edenda è theatro in Senatum per septa decurrere: theatrum quoque ex strepitu cum timore & fuga dissolutum: venalia direpta omnia, fores occlusae, à tectis parata praesidia. Antonius ad proprias aedes reuersus est, rebus Caesaris consilium afferre meditatus. Lepidus verò praefectus Equitum, cum in foro persistens, quid actum esset intelligeret, ad insulam quae intra fluuium sita est accurrens (ibi enim militum

legio

legio consederat) in campum legionem adduxit, vt ad Antonij mandata paratam retineret. Antonio quippe adhaeserat vtpote Caesaris amico, & consuli in primis existenti. Ipsis igitur inter se conuenientibus visum est Caesaris iniuriam quoquo modo vlcisci. Senatum autem cùm interfectoribus vnà conuenturũ magnopere timebant. Quid fieret itaque intenti prospectabãt. Circa Caesarem milites ferè nulli affuerant: non enim custodibus illis vtebatur, principatus officium duntaxat inerat. Plerique porrò magistratus, ciuium & exterorũ multitudo, non mediocris seruorum turba qui se in libertatem vendicantes, ad domos proprias abscesserant. Ex his tres solum cum eo commorati, corpus feretro imponentes, nullo ornatu domum detulerunt: & eius quidem qui paulò antè terra marique imperabat. Interfectores Caesaris nonnulla in Senatu dicere conati, auscultante nemine vestes clypeorum in morem sinistris annectentes pugiones quoq; cruore illitos palàm deferentes, regem se ac tyrannum occidisse clamitabant. Ex his quidam pileum in hasta praeferebat libertatis signum, vniuersosque ad ciuilitatem patriam vocabant. Brutus quae veteres in reges peregissent, illis memorabat. Accurrere itaque ad eos plerique ensibus instructi, qui eius operis minimè participes, se tamen affuisse simulabant. Lentulus

scilicet

ſcilicet Spinter, Faonius, & Acuinus, Dolabella inſuper, & Murcus, & Petiſcus: hi gloriæ nullam partem conſecuti, ſupplicij & reorum cauſas ſubiere. Populo ad eos minimè accurrente, addubitare & vereri admodum cœpere. Senatus nempe à principio ob inſcitiam tumultúmque diffugerat. Confiſi itaque his vt amicis, & cognatis, & tyrannidem inſuper odio habentibus, populum contrà verebantur. Multos quoque ex Cæſaris militibus in vrbe commorantes & qui tunc fortè præſentes aderant, quoſdam quòd à militaribus ſoluti oneribus inter ſuffragia diſtributi eſſent. Alios quod ad expeditionem præparati, Cæſarem ad exercitum euntem ſecuturi forent: Lepidi inſuper aſpectu, militúmque ſub eo exiſtentium timore ducebantur. Antonij ad hæc conſulis, ne Senatus loco populum ad ſe traheret, aliquidque cum ipſo crudele moliretur. Hæc igitur animo voluentes, cum gladiatoribus in Capitolium vnà peruenerunt. Conſultantibus quid optimum factu eſſet, mercedem populo conferre viſum. Nam quibuſdam, quæ geſta fuerant, laudare incipientibus, reliquos ſecuturos ſperabant, libertatis cauſa, & Reipub. deſiderio pellectos, cum populum ex Romanis quàm ſynceriſsimum eſſe exiſtimarent, quemadmodum Bruti illius Priſci ætate fuerat, qui reges expulit. Nec ſatis animaduertebant duo hæc adinui

cem contraria, qui libertatis simul & mercedis cupidos sibi utiles arbitrarentur esse. quorum alterum facillimum erat, Repub. iampridem deprauata. Permista iam quidem multitudo ex aduenis emersit, & libertinus par illis habetur ciuis, & seruus herilem quodammodo præfert imaginẽ, senatoribus exceptis, quibus alia vestis quàm quæ seruis cõmunis est. Annona insuper, quæ Romæ solummodo pauperibus impenditur, desidem æquè, & pauperem, industriúmue Italorum in vrbem conuocat. nec turba eorum qui à militia soluti sunt, viritim prisco more per patrias diuiditur. Sic enim iniusta propulsabantur bella. Verùm communiter ad suffragia iniqua alienæ vrbis, alienarum domorum properabant homines. & in sacris locis templisque residebant sub vno signo, vno præside suæ ciuitatis, quæ præsentia illis erant, veluti erogationem quandam reputantes, beneuoli vbi mercedem adesse noscerent. Quamobrem non difficulter admodum ex tot talibúsque viris multitudo ingens fori in medio circa Cassium statim coit: qui licet mercede ducerentur, quæ gesta erant, neutiquam laudare audebant, Cæsaris gloriam, & aliorum qui ab eo futuri erant, formidantes. Cæterùm vt in communi commodo pacem conclamabant, & plerunque primores ad eam hortabantur. Id enim interfectorum figmentum

fuer

fuerat, salutem suam per hunc modum meditantium, cùm pax non nisi delictorum obliuione indicta, sperari posset. His ita se habentibus, primus Cinna, qui prætor erat, & Cæsari cognatione deuinctus, in conspectum venit, inopinéque in medium progressus, vestem militarem, qua erat indutus, exuit, quasi à tyranno præbitam despiceret: & Cæsarem tyrannum cœpit conclamare, & qui eum occidissent, tyranni interfectores esse: & quæ acta essent, in maius collaudare, quòd maiorum suorum virtutem forent imitati. Viros eos è Capitolio vt benefactores euocandos, & honoribus meritis afficiendos esse: sic Cinna locutus est. At verò qui plebem ipsis permistam, non adeo synceram esse cognouissent, non vtique eos viros euocare satagebant, nec aliud amplius, quàm pacem conclamabant. Dolabella etiam adolescens, & insignis nomine, & qui sub Cæsare in reliquum anni tempus consulatum gesturus videbatur, cum Cæsar vrbe excessisset, & consularem vestem sibi induerat, & consulatus signa circuntulerat, eum qui talia sibi concessisset, secundus accusabat, & his qui in illum conspirassent ignoscendum esse: se manu sola inuitum abfuisse prædicabat. Fuere qui dicerent, eundem natalem vrbis ea die statuendum censuisse. Ad quæ mercede ducti in primis exultabant, veluti prætore & consule ipsorum indulg

dulgentia in Vrbe constitutis. Cassium quoque & Brutum è templo deposcebant. Illi Dolabella maximè confisi, eundem & prudentem, & iuuenem, & praeterea consulem Antonij conatibus aduersaturum existimabant. Descendere tandem ad eos soli Cassius & Marcus Brutus, manus adhuc sanguine foedatas praeferentes. Intulerant enim in Caesarem hi plagas adinuicem certantes. Cum in mediū stetissent, nihil miserandum aut abiectum vterque eorū locutus est sed vt in rebus honestis solet fieri, se mutuo laudarunt, Vrbem beatam appellantes, & plurimum Decimo attribuentes. qui gladiatores in tempore illis praestitisset. Deinde populum adhortari pergunt, vt paria suis maioribus experiri vellet qui reges non ex vi imperantes, vt Caesar egerat, sed in pace sub legibus degentes pepulissent. Ad haec Sextum Pompeium, magni filium, eius qui pro Democratia in Caesarem mouisset arma, esse reuocandum, cùm aduersus Caesaris duces in Iberia adhuc perferret bellum. Tribunos plebis Caesetium & Maryllum, qui regnum Caesari abstulissent, eligendos esse. Haec Brutus & Cassius palàm elocuti, Capitolium denuo ascendunt: non enim praesentibus satis fidebant. Sed cùm domesticis eorum ac cognatis, quamprimum ad templum ire licuisset, legatos elegere, qui pro ipsis ad Lepidum proficiscerentur &

Ant

Antonium, conciliationis & libertatis prouidendæ causa, & vt patriæ ignoscerent, quæ, nisi inter se omnes conuenirent, magnorum malorum discrimen esset aditura. Hæc quippe legati exorare iussi, quod actum erat, nequaquā extollentes, cum de Cæsaris amicis minimè confiderent, verùm id ipsum perferre suadentes, misericordia eorum quæ gesta fuerant, non alicuius odio, sed patriæ potius charitate, & amore, ac vrbis pietate, iam odijs exhaustæ assiduis, cum futura seditio reliquos bonos videretur erreptura. Non enim esse æquum si qua priuatim odia inter eos extitissent, ea in publicam conferre perniciem: quinimo multo magis in rebus publicis singulares inimicitias esse eliminandas. Antonius autem & Lepidus Cæsarem vlcisci, vt prius diximus, in animo habebant: siue amicitiæ causa, siue fœderum, siue dominandi potius cupiditate: ac subinde cogitantes omnia ipsis faciliora esse tot & talibus è medio sublatis viris, cognatos tamen & amicos eorum formidabant. Reliquum porrò Senatum ad eos conuersum, ac Decimum præsertim à Cæsare finitimis Celtarum populis præesse iussum, qui exercitus magnos contineret. Quibus ex causis, quàm tutissimum visum est, futurorum præstolari euentum: ac subinde meditari, quo pacto Decimi copias assiduis laboribus attritas sibi assumeret. Hæc machina-

tus

bus Antonius, legatis, ita reddidit. Ob priuatas inimicitias nihil attētabimus. Verum ob eius causa, & eorum quæ Cæsari iureiurando polliciti omnes sumus, custodes fore eius corporis, aut quippiam perpesso adesse vltores: optimum id erit iusiurandum, scelus vindicare, & cum paucioribus innocuam potius vitam agere, quàm omnibus execrationibus esse obnoxios. Verùm hæc nos, quibus sic videtur, vobiscum in consilio scrutabimur, & id vtile vrbi facinus credemus esse, quod communi omnium cōsensu erit approbatum. Sic Antonius apertè locutus est. Illi relata gratia discedunt, in spe firma ponentes omnia. Senatum certè in cunctis obsecuturum illis esse confidebant. Antonius interea magistratibus nocte vrbem custodire imperat, quemadmodum per diem ex interuallo in medio locatis. Conspiciebantur itaq; per vniuersam vrbem ignes, quorum gratia nocte tota coniuratorum amici ad Senatorum domus decurrebant, eosq; ad patriæ salutem ac suam hortabantur. Ex aduerso, eorum qui ex sorte electi fuerant, duces ferebantur, palàm comminantes, nisi illis promissa etiam vltro data seruarētur. Et iam ciuium pars syncerior fiduciam acceperat, paucitate eorū qui quicquam agerent inspecta, & ad Cæsaris memoriā vnà ferebatur, animosq; erexerat. Eadem nocte Cæsaris pecunias cum imperij codi

cillis in Antonij domum detulere: siue Cæsaris vxore id iubente, quæ à minus tutis in securiorem Antonij domum se contulerat, siue Antonij mandato. His peractis, decretum noctè perlectum est, Antonium sequenti die in Telluris templo haud longe ab ipsius domo Senatum habiturū. non enim in consilium, quod Capitolio subiectū fuit, accedere audebat, gladiatoribus apud cōiuratos commorantibus: nec exercitum vrbi inferre, ne tumultum concitaret, quem Lepidus subinde intulit. Appropinquante die quidam ex Senatoribus in Telluris templum conuenere, & Cinna pretor vestem adhuc exutus militarem, quam pridie veluti à tyranno prębitam reiecerat, vnà venit. Hunc quidam ex Cæsaris militibus ira conciti, quòd primus quanquam Cæsaris affinis, maledicta in eum coniecisset, ægrè perferentes, lapidibus insecuti sunt, & ad domū quandā fugientem comitati, igne adhibitò succendere tentabant, nisi quòd à Lepido exercitum ductante sunt prohibiti. Id confidentiæ in primis signū Cæsaris rebus videtur affuisse, & quòd mercede ductis coniuratisq; incuteret timorem. In Senatu verò perexigua quædam syncerorū manus aderat, violentorū quoq; & querulorum. Plures enim vario apparatu ad coniuratos se contulerant, & primū fide dignos seipsos existimantes, cum illis vnà adesse, & commorari. &

ri, & à reis ad optimos transire lætabantur. Quod ab Antonio neutiquā prohibitum fuit, satis fiso eos minimè venturos esse, quemadmodum non venere quidem. Senatus scrutatione proposita, quidam quòd ab illis audacius admodum tentatum fuerat, laudabant: viros eos tyranni interfectores, & meritis honoribus donandos prædicabant. Quidā honores dandos abnuebant, recusantibus ipsis, nec ob id, quæ egissent, fecisse profitentibus: satis esse illos vt benefactores collaudare. Alij laudationē eam omittendam esse, solum illis ignoscendum iudicabant. Nonnulli circa huiusmodi subdole se habebant, satis animaduertentes si à Senatu à principio admissi essent, ad reliqua postmodum faciliorem illis affuturum aditum. Erāt & qui cæteris synceriores hoc opus vt nefandum abhorrerent. Quòd autem ab illustrium domibus salus præstarētur, nequaquā prohibebant, querebantur tamē si eos vt benefactores honoribus excolerent. Plerique è contrario dicebant non cōuenire, quibus salutē præstitissent, inuidere vt tuti esse possent. Cū verò quispiam dixisset, eorum laudem Cæsari calumniam afferre, neutiquam concedēdum putauerunt, vt defunctus viuis præferretur. Alio constanter admodum dicente, ex duobus alterum eligendum esse, aut Cæsarem scilicet tyrannum profiteri, aut hos viros ex misericordia saluos facere:

cere: Hoc solum reliqui admittentes, sortes ad hæc tradendas postularunt, vt de Cæsaris iureiurando inter se scrutarentur, sententiam quam syncerissimè ab illis ferri posse, nihil ad sortes necessitate latas intuentibus, neque vt prius de se ipsis solicitis, atque verentibus, defuncto Cæsare, sub quo nihil sponte egissent Pompeio exempto rebus humanis, ac post Pompeium infinitis alijs. Antonius eos contemplatus cum insidias astrueret, in sermonum materiam haud inopem, & quæ ambiguitatem auferret, eos incidisse videns, quod animo conceperat, domestico quodam pauore, ac solicitudine illis aperit, & Senatorum multitudine conspecta, qui partim ad vrbanos magistratus atque sacerdotia, partim ad prouinciarum exercitum've præfecturas, à Cæsare in futurum creati fuerant, quasi & ipse in expeditionem ad quinquennium esset abiturus: silentio per tubicinem indicto, consulari potestate sic effatus est. Qui sortes de Cæsare denuo emittendas censent, eos hæc intelligere necesse est: Ipso scilicet imperante, & præside iustè electo, omnia ab eodem facta, & præbita, illæsa permanere. sin violentia & tyrannide grassatum asserant, corpus extra vrbem insepultum abijciendum esse, eiúsque gesta omnia pro nihilo habenda. Est autem, vt conijector, quæcunque per omnem terram mariáque
prou

prouehuntur, nobis vendicare, & multa eorum nolentibus etiam nobis obtinere: quod post modicum ostendam. Quod autem ad nos solum pertinet, quoniam de nobis solis id ipsum est. Vobis ante omnia proponam, ut in re perfacili, difficiliorum imaginem possitis cernere. Nos quippe ferè omnes partim sub Cæsare magistratum gessimus, partim adhuc gerimus vltra illos designati, partim in futurum gerere electi sumus. Ad quinquennium quippe, ut scitis, & vrbani vobis magistratus, & anniuersarij ad prouinciarum aut exercituum curam distributi sunt. an hos sponte estis omissuri? hoc enim in potestate vestra est. hæc igitur vos in primis dijudicare censeo, deinde reliqua perspicere. Ita Antonius ingens, non pro Cæsare, verùm pro se, ipsis incendium exuscitans, loqui desijt. Illi subitò voce elata nullas alias sortes deposcentes in medium prosiliunt: nihil prius à populo, quàm vt ipsis rata permanerent quæ concessa fuerant, expostulant, quibus que vel ætatis imbecillitas, aut aliud quippiam in electione nocuisset, indulgerent. Horum in numero Dolabella ascribi videbatur, cui minimè licere existimabant, cum quintum supra vigesimum ætatis annum duntaxat ageret, vnica ex lege concessum sibi inire consulatum. Subita igitur eorum quæ pridie inter agenda dixerat, immutatio ab

illo facta est, eodem conuitijs multos incessente, qui coniuratis honores afferre decreuissent, ducésque suos accusassent, quò condecentem percussoribus salutem quærerent. Alij porrò Dolabellam, cæterósque ad spem magnam incitabant, gratiam ob id à populo sperantes, si magistratus statim declararet, non ex præsidentium immutatione Vlla, sed Vt legaliorem creationem fore ostenderet quæ à monarcha ipso esset edita, & quæ ornamentum quoddam ipsis in monarchia & democratia pariter afferret. Dum hæc illi loquerentur, quidam ex prætoribus Vestes in contradicentium deceptionem Vltro exuunt, Vt demum cum cæteris illas assumentes, iustiore impetu efferri Viderentur, neque creationis huiusmodi fuisse duces. Sic procedentibus rebus, Antonius Lepidúsque è Senatu simul exeunt: & statim nonnulli à longe accurrentes eos Vocitabant. Cum ab alto conspecti essent, & Vociferantium quies Vix tandem subsecuta foret, quidam ex illis siue sua sponte, siue ab alijs inductus, ne similia patiantur, præcauere eos admonet. Quo dicto Antonius, exuta Veste, thoracem, quo erat indutus, aperuit. aspicientes deinde Verbis irritans, neminem sine armis, ac ne consules inquit tutos esse posse. Acclamantibus Vtraque ex parte plurimis ad id facinus accurrendum esse: mul-

&c contrà ad pacem prouocantibus, his qui de pace loquebantur, ita respondit: De hac igitur perscrutemur qualis futura sit, & factâ quemadmodum seruari possit. Inscrutabilis quippe eius est securitas, quoniam neque Cæsari sacramenta quidem profuerunt, neque execrationes. Ad illos verò qui exire eum suadebant, subinde conuersus, consilium eorum commendauit, quasi sacratiora, & magis pia praeligerent. Et ipse, inquit, in aciem vos educerem, primus verbis intonans, nisi quòd consul sum, cui dictorum magis quàm iustitiæ cura imminet, qui enim intus sunt, ita nobis suadent. In hunc modum Cæsar, quos hostes ex ciuibus ceperat, ob vrbis vtilitatem saluare studens, ab illis interfectus est. Hæc Antonio sensim machinante, qui factis opem afferre suadebant, Lepidum in auxilium simul prouocant, Lepido verò loqui incipiente, qui longius aberant, vt in forum descenderet, eum hortabantur, vt omnibus æquè vox eius nota esset. Quamobrem & ipse subitò processit, cæteris plebem ad se conuertere: & ad rostra delatus, suspirare flereq; in multorum prospectu cœpit, deinde sic orsus est. Hoc in loco heri cum Cæsare vnà affui. eodem in loco vicissim defuncti necem cogor inquirere. quid igitur à me vultis? Acclamantibus multis, vt Cæsaris necem vlciscere-

retur, contra mercede conductis reclamantibus, vt pacem vrbi impenderet, Hoc, inquit, consulemus: sed qualem pacem dicitis, & quibus firmatam sacramentis? Nos quidem per patrios omnes deos iureiurando Cæsari polliciti sumus, deinde fefellimus, qui iuratorum optimi esse dicimur, deinde ad eos qui vltionem postulabant, se conuertens, Cæsar, inquit, à vobis ademptus est sanctus re ipsa, & colendus vir. Vrbem'ne, & cæteros lædere verebimur? Hæc itaque primores è vobis perscrutentur, si pluribus videtur. Exclamantibus iterum illis, solus perscrutator, Sic solo, inquit, & optimum mihi etiam adest iusiurandum & soli quidem. Cæterum nec mihi, nec vobis, solis hoc velle sufficiet, aut solis contradicere. Hæc & huiusmodi machinantem, qui mercede ducebantur, liberalem intuentes, laudare incipiunt, & ad sacerdotium Cæsaris ineundum adhortantur. Quo audito non nihil exhilaratus est: & hoc, inquit, posterius mihi memineritis, nam indignus esse videor. Magis adhuc confidentia, ob sacerdotium de pace assumentibus his qui mercede ducebantur: & instantius vrgentibus: hoc impium & iniquum est, inquit, faciam tamen quæ volueritis. Et his dictis in Senatum reuersus est, in quo Dolabella per omne tempus consulatus causa turpissime institerat. Antonius

tonium quæ in populo fierent opperiens, cũ risu eum intuebatur. Diuerse quippe sentiebant, vt abunde ex aspectu licebat intueri, nec aliquid in populo fermentius actum apparebat. Coniuratos itaq; ex necessitate saluare instituit, necessitatem occulens, quasi in re difficili ex gratia eos præseruaret. Quæ igitur à Cæsare facta erant, consilio firmare studens, & cõsulta perficere, silentio à tubicine iterũ indicto, sic orsus est. Ego quippe ô viri de ciuium facinore consulẽtibus in vnum vobis nihil locutus sum. his autẽ qui de Cæsaris forte ex aduerso pro illis depascebant, vnicum ex operibus Cæsaris antepositus vsq; nunc, quod vobis non irrationabiliter tumultum attulit. Si enim magistratus deposuerimus, facile confitebimur tot & tales viros indigne eos assumpsisse. quæ igitur minus audistis, perscrutemini nunc, & numero collegite vrbes, nationes, reges, Dynastas, & quæcunq; vt sic dixerim ab oriente in occidentem Cæsar nobis virtute ac potentia subegit, legibus, clemẽtia & benignitate firmauit. Horum nonnulla vos sinere necesse est his qui ea sibi vẽdicarunt, ni omnia bellis dissidijsq; adimplere vultis, qui patriæ maximè ægrotanti ob facinora nuper gesta, salutem afferre cupitis. Et hæc quidem quæ à difficillimis & tremendis rebus longe absunt, omittemus. Illa verò, quæ non solum vobis propinqua, verum do-

mestica per Italiam omnẽ sunt, referam, eorum qui victoriæ præmia sumpserũt, quorũ multitudo ingens est in armis, sub eodem ordine à Cæsare instituta, & multa vicißim in vrbe armatorũ millia: quid eos acturos existimatis, si quæ accepere, aut quæ ex ciuitatibus prouinciisq; auferre satagunt, illis abstuleritis? Hæc quidem nox præterita per imaginem vobis anteposuit. deprecantibus quippe vobis pro his qui deliquerant, illi ex aduerso comminantes accurrere. Corpus Cæsaris attractum, ac fœdatum, insepultum quoque abiectum. Hæc enim ex legibus in tyrannos fieri solent. Circunspicite nunc, & cogitate, qui cum eo militabant. Celtarum & Britannorum, quæ accepere, stabilia ne sibi fore existiment, illo qui concesserat, sic turpißime affecto? Quid populum ipsum facturum, quid Italos omnes creditis? Quantam in vos concitaturos esse inuidiam deorum hominumq;, si imperiũ vestrum ab oceano vsque ad ignotas gentes propagatum fœdaueritis? Non enim causa & reprehẽsione minus carueritis ob huiusmodi inconstantiam vestram, quàm hi qui consulem in consilio, sacrum hominem sacro in loco, conuocato Senatu, in conspectu deorum occidentes, honore dignos arbitrantur. indignum verò illum haberi volunt, qui etiam apud hostes ob virtutem est dignißimus. Ab his igitur vt fœ-

dißimis, nec in nobis existentibus, abstinere Vos omnino cupio. Sententiam autem affero, Vt ea quæ per Cæsarem facta & consulta sunt, stabilia permaneant. Delinquentes Verò laudibus extollere neutiquam dignũ puto. Nõ enim sanctum, non iustum, aut consonans id quidem est, si quæ à Cæsare acta sunt, Velimus cõfirmari. At si ex misericordia eos saluare cupitis, affinium & amicorum causa, idq́; ad eorum gratiam illi ipsi habituri sunt, minime reprehendo. Hæc cum increpatione, & impetu quodam grauitatis disserente Antonio, decretum statim silentibus omnibus, & id approbantibus perlectum est, Nullas in morte Cæsaris controuersiarum causas habendas esse: quæcunque ab eo facta essent, & consulta, permanere. Ad Vtilitatem porrò Vrbis, & eorum qui salui futuri essent, firmitatem, id à necessarijs eorum extortum est, Vt hoc etiam adderetur, non ob iustitiam magis quàm ob Vtilitatem ea fore conseruãda, quod ab Antonio concessum est. Dum hæc ab illis decernuntur, quicunq; sortientium duces aderant, proprium pro ipsis decretum cum communi adijciendum postulant, Vt quæ sorte collata & data fuerant, immota permanerẽt. quod nec prohibuit Antonius, senatus trepidatione infecta. itaq́; id etiam concessum est. Secutum est & aliud huic simile, Senatoribus ad domos properantibus. Cæsar nempe apud

Lucium Pisonem testamentum deposuerat. Nonnulli igitur Senatum à consilio redeuntem intuentes suadere illi properant, neque testamentum publicandum, neq; corpus publice humandum esse, ne quid noui tumultus in Vrbe fieret. Senatoribus minime assentientibus, ipsimet publicare velle dixerunt, vt quod communi consensu factum esset, populo minus virium afferre posset: tyrrannidem rursus designantes. Ad quæ quàmmaxime exclamans Piso, consules Senatum adhuc præsentem conuocare admonet, deinde ita fatur. Qui tyrannum vnum interemisse gloriantur, plures nobis pro vno effecti sunt tyrāni, qui à me sacrorum principem sepeliri prohibent, & testamentum efferenti minitantur, & substātiam eius vt tyranni inter se partiri cupiunt, & vltra hæc quæ ab illo publice facta & decreta sunt, rata esse statuerunt: quæ verò à seipso derelsquit, minime valere asserūt. Quis iste? non Brutus certe, aut Caßius, sed qui illos ad hoc impulere facinus. Sepulcri igitur vos domini eritis, testamenti ego, Nec eum qui fidei meæ commendauit, prius falli sinam, quàm quispiam spiritum mihi adimat. Tumultu & indignatoine inter omnes subito coortis, & maxime ab his qui se aliquid ex testamento adepturos cogitabant, visum est testamentum ipsum in medium afferre, & communi impēsa

corpus

corpus sepelire: & super his consilium dissolutum est. Brutus interim & Cassius perceptis his quae gesta fuerant, ad multitudinem misere, ut ad eos in capitolium veniret. Accurrentibus statim plurimis, Brutus sic exorsus est. In hunc locum vobiscum conuenimus ô ciues, qui heri in foro simul veneramus, non tanquam ad templum fugientes, cum nihil deliquerimus, neque tanquam ad praerupta quaedam, cum res proprias curae vestrae mandauerimus. Caeterũ Cinnae clade quae indignissime & crudelissime affectus est, ad id compulsi sumus. Sensimus quae ab hostibus pro iureiurando obijciuntur nobis, & ob id securitatem nullam pacis afferentibus. Quae igitur ad ea respondere velimus, vobis referemus ô ciues, cum quibus & alia quae ad popularem statum pertinebant, consuluimus. Postquam è Gallia Caesar contra patriam hostilibus armis profectus est, & Pompeius in primis popularis inter vos, ea passus est, quae omnes norunt, & post eum multitudo alia bonorum ciuium, qui in Libya & Iberia bello ceciderunt, haud imprudenter illum veriti, qui tyrannidem iam firmam possideret, praeteritorum obliuionem à nobis exigenti facilè concessimus, eámque iureiurando confirmauimus. Verũ cum à nobis idem ex sacramento exegerit, non praesentia solum patienter ferre, sed in futurum quoq; seruos esse

velles

velle: quid egerunt, qui contra nos calumnias moliri student? Ego quippe Romanos eos, qui vere Romani sunt, mortem sæpius electuros reor, quàm vltroneam iureiurando subire seruitutem. Sin hucusque nihil ad seruitutem molitus est Cæsar, nos peierasse confitemur vtique. Sin verò neque magistratus in vrbe, neque prouinciarum præfecturas, & exercituum, neque sacerdotia, sortilegiáue, aut honores alios vobis contulit, neque de quoquam prius consuluit Senatus, neq; populus quicquam confirmauit, quin in omnibus Cæsar ex mandato adesse vellet, neq; malis satiari vnquam potuit, sed Syllæ similis effectus est, quanquam ille de inimicis vltus, Rempublicam vobis reddidit: hic autem ad aliam expeditionē profecturus, ad quinquennium suffragia vobis sustulit: qualem huiusmodi libertatem dicemus esse, cuius nec spes hucusque affulsit? Quid populo præsidentes Cæsetius quidem & Maryllus? nonne sacro muneri, intemeratóque præfecti, cum contumelia repulsi sunt, & lex vna maiorum, & iusiurādum? neque causam inquirere Tribunis adhuc existentibus licuit? At Cæsar eos nulla dicta causa expulit. Vtri igitur in sacros deliquere? An Cæsar ipse sacer, & intemeratus, cui ista non sponte, sed vi coacti facere concessimus, pro quo priusquam in patriam rediret armatus, tot ac tales, & bonos quidem ciues
neca

tecti dedimus? Tribunorum quippe magistratum, num sacrum, intemeratumque patres nostri in populari regimine nulla necessitate declarari esse voluerunt? idque iureiurando perpetuo fore confirmarunt? ad quem redditus imperij rationesque deferunt. Quis nobis inuitis ærarium aperuit? Quis intactos & inuiolabiles pecuniarũ thesauros rapuit, & alteri tribuno prohibenti necem est comminatus? Sed quale iusiurandum ad seruandã pacem iam tutum erit? inquiunt? Si quidem nemo tyrannus sit, nullo sacramento necesse est, neque patribus nostris vllo tempore opus fuit. Si vero alius tyrannus esse cupit, nihil fidũ à Romanis, aut iusiurandũ vllum expectat. Hæc enim in periculo adhuc constituti ipsi dicimus, & pro patria continue dicemus. Nam cum stabili adhuc dignitate frueremur apud Cæsarem, patriam honori nostro præposuimus. Calumnientur igitur & in sortitionibus irritantes vos. Iam quidam ex incolentibus & incolatum habituris hic adestis. Annuite mihi, & significate vos adesse. Annuentibus plurimis, Eia, inquit, ò viri, sic in alijs facite simul accedentes. Oportet quippe vos, quæ conuenientia sunt perferentes atque facientes, à patria vicissim, à qua præmissi estis, æqua præmia suscipere. Vos populus Romanus Cæsari contra Britannos Celtasque concessit. æquũ est igitur vos strenue agentes, honorum & vtilitatum

tatum esse participes. At ille vos sacramentis anteueniens, quanquam inuitos, contra patriam armauit, & in optimos ciues, in Libyam pariter dubitantes ire compulit. Si enim hæc duntaxat effecissetis, forsitan & pro his lataremini præmia ab illo petere. Sed cum nullus liuor, nullum tempus aut humana obliuio, quæ in Celtas & Britannos per vos facta sunt extinctura videatur, pro his præmia exposcere æquum ducimus, quæ priscis militibus à populo dari consueuerant, qui domesticis & immaculatis viris nunquam tellurem eripere sustinuit, neque alijs aliena distribuit, neque victoria potitus, æquum retributionis opus ob hostium delicta arbitratus est, vniuersos agros sibi vendicare. Cæterum partem illis abstulit, eósque milites iussit incolere, veluti deuictorũ custodes hostium. Et plerunque non sufficientibus agris qui sub hasta acquisiti fuerant, ex communi partem diuisit, aut aliam illis pretio coëmit. sic populus à cura vacuos incolatum vos habere voluit. Sylla verò & Cæsar, qui in patriam cum armis veluti hostilem irruerunt super ipsam custodibus satellitibusque indigentes, neque vos per prouincias diuisere villas, neque tellurem vobis compararunt, nec bonorum quæ in publicum relata fuerant, partem contulerunt, neque honores his quibus adempti fuerant, ad eorum solamẽ reddiderunt, cum multa ex

ta ex ærario, multa ex his quæ in publicum venerant, haberent. Verum Italia nihil delinquenti, aut quippiam inique agenti, lege belli, ac prædatoria lege, agros, domos, sepulcra, templa abstulere, quæ ne alienigenis quidem hostibus ipsi tolleremus, sed decimam illis fructuum imposuimus. Sic vobis quæ nostrarum sunt gentium partiti sunt, eorum videlicet, qui vos supra Celtas Cæsaris militiæ coniunxerunt, præmiserúntque, & multa ex victoria vobis exceptarunt prouenire. Vos autem sub signis militari ordine confertos collocarunt, neque pacem assequi potentes, neque intrepide degentes, eorum causa, qui è proprijs expulsi fuerant. Nanque errabundus, & quæcunque sibi vendicans, vos in multis obseruato tempore custodes habere meditatus est. sic enim tyranni in primis cupiunt. non autem tellurem vos assumere, quam aliunde præbere potuit, sed vt in hostes continue insidiantes, custodes vos fidos & stabiles haberet, ac vicissim principatus ab eo oppressi, & similia vobiscum iniuste perferentis. Beneuolentia nempe tyrannorum ad satellites ex iniuriarum illatione fit, timoréque perferendi; & hanc quidem ó dij immortales cohabitationem vocant, in qua gemitus eiusdem nationis hominum, & insultus ad eos qui nihil egeret, perpetrantur! Verum illi nunc

quidem consultò nationi nostræ inimicos vos pro sua vtilitate reddidere. Nos autem, quos nunc vrbi præsidentes, ex misericordia saluare velle asserunt, eandem tellurem vobis in perpetuum firmauimus, firmamúsque, & testem horum deum facimus, & habetis & habebitis quæ accepistis, neque vobis quisquam eripiet. Non Brutus, non Cassius, non omnes qui pro vestra libertate periculum adiuimus. Quod vnicum in hac re querela dignum est, Sanemus nosipsos. Id enim conciliationem ad omnes vobis similes nationes afferet, & iucundum erit obsequentibus, quibus honorem ablatæ telluris ex publico reddere intendimus, & ex primis quidem conferre vectigalibus, vt non solum ex sorte vobis præbita certa teneatis, verum sine inuidia incolere possitis. Hæc disserente Bruto, audientes omnes, & inter se vnà conferentes, vt iustissima comprobarunt, & hos viros intrepidos, & populi præsertim amicissimos admirati, summa beneuolentia complexi sunt, & in sequentem diem eorum operam nauare pollicentur. Cum illuxisset, consules multitudinem ad concionem conuocant, & quæ illis videantur, intelligunt. In his Cicero vir disertissimus, de discordiarum obliuione laudationem peringentem retulit. Ita omnes exultantes, Brutum Cassiúmque è templo auocant. Illi obsi

obsides interim sibi mitti poscunt: quibus Antonij & Lepidi filij præmissi sunt. Quamprimum Brutus & Cassius in conspectum venere, adeò plausus ingens, & vociferatio exorta est, vt consulibus nonnulla dicere cupientibus, nemo assisteret, sed eos quamprimum inter se conciliari amplectiq; iuberent. Quod ab illis factum est: statímque Consulibus animus hebetari visus, sine timore, sine inuidia, vt viros illos in Republica diuersa ab ipsis sentientes conspexere. Interea Cæsaris testamentum tabulis quibusdam affertur: quod multitudo recitari iussit. In eo Octauius sororis suæ nepos adoptiuus filius inuentus est. Populo horti transTyberini præbiti, singulis Romanorum ciuibus qui in vrbe aderant, quinque & octoginta drachmæ Atticæ collatæ. Qua ex causa populus ad iram subito concitatus est, cum, tyranni calumnia seductus, viri patriæ suæ amicissimi testamentum intueretur. Miserandum porrò vel in primis id visum est, cum Decimum Brutum ex eius percussoribus, inter secundos hæredes scriptum cognouisset. Consuetudo nempe Romanorum in testamentis fuit primis hæredibus secundos addere, vt si primi hæreditatem non adijssent, nanciscerentur vltimi. Ob id non mediocriter cunctorum animi turbati sunt, dirum ac nefandum existimantes,

tes, Decimum in Cæsarem Vltrò conspirasse, qui ab illo filius esset nominatus. Pisone deinde Cæsaris corpus in forum deferente, turba ingens ad custodiam eius cum armis aduolat, corpúsque magna Vociferatione, & insigni pompa in rostris collocant. Subito itaque eiulatus & suspiria audiri, arma ab his qui deferebant, concuti cœpere, nec multo post obliuionis secuta pœnitentia. Antonius sic se habentes contemplatus, neutiquam occasionem negligendam ratus, laudes Cæsaris dicere exorsus, Vt consulem consulis, amicum amici, cognatum sibi cognati decet (erat enim Cæsari iam sanguine coniunctus) ita retulit. Non dignum arbitror ô ciues tanti Viri commendationem in funere eius à me potius, qui Vnicus sum, quàm ab Vniuersa patria esse referendam. Quæcunque enim Virtuti Cæsaris, quem nos pariter amauimus, senatus, & post ipsum populus Viueti adhuc ex decreto contulit, Vestram, & non Antonij Vocem esse existimans referam. Et hæc Vultu mæsto grauiq; recensuit. Voce deinde singula indicans, & in his diutius insistens, maxime in quibus ex decreto eum consecrarant, cùm diuinum scilicet, & intemeratum patrem patriæ, & benefactorem, Vel præsidentem, & qualem neminem Vnquam appellassent in omnibus; Antonius Vultum manúmque ad Cæsaris corpus inferens,

ser-

sermonis impetu facinus aperuit. Ad singulos etiam oratione breui inuiens, misericordia indignationeq; repleta, Hoc, inquit, decretum patris patriæ. hoc pietatis testimonium, hic sanctus & intemeratus, & illæsibilis vir, & ad quem aliquis perfugeret, non autem ab eo diffugeret quisquam. Verùm ille vobis sacer & immaculatus interemptus est, non tyranni in morem per vim honores capiens, quos nec vnquam postulauit: illiberrimi quippe nos, qui hæc indignis & minimè poscentibus impendimus. Verùm vos pro nobis respondete, quare non illiberi? O fideles ciues, qui tali honore defunctum estis prosecuti: & his dictis, iusiurandum iterum recensuit Nos Cæsarem & Cæsaris corpus totis viribus custodire pollicemur, si quis insidiabitur: Extorrem esse, si quis opem non attulerit, decernimus. In hoc maxime vocem manúmque Capitolium versus erigens: Ego, Iupiter patriæ, cæterique dij, inquit opem afferre paratus sum, quemadmodum iureiurādo sum pollicitus, cùm collegis meis, quæ cognita sunt inferre libeat, & inferri deprecor. Tumultu igitur à Senatu super hoc maxime, quod in eum publice dicebatur, elato paulisper se refrigerans Antonius, & ad se rediēs iterum fari cœpit. Videntur, inquit, ô ciues, quæ gesta sunt, non hominum manu, sed dæmonum potius opera esse facta, & quod

 adest

adest, magis quàm quod factum est, decet perscrutari, cum maius periculum nobis allatura videantur quæ futura, quàm quæ sunt præsentia, ne ad pristinas seditiones reuertamur, & quicquid generosi in vrbe residet, conteratur denuo. Præmittamus igitur eum tanquam sacrum in beatorum numerum, (elitum illi hymnum & fletum decantantes. Hæc referens vestem à pectore quasi lymphaticus quidam abscidit, seque ea accingens, manuum dexteritate lectum sub tentorio posuit: nunc abscondens, nonnunquam detegens, vt deum cælestem primum versibus cecinit, & ad fidem ex deo geniti manus protendit, concita voce bella, pugnas, victorias, gentésque quas idem patriæ subegerat, edisserens, spolia præterea quæ detulerat summa admiratione recensens, & continue exclamans: Hic solus inuictus contra omnes qui cum eo congressi sunt. Tu solus patriæ per trecentos annos turpiter afflictæ attulisti opem, & feras gentes, quæ solæ in Romam venerant, & incendium vrbi solæ intulerant, ad genua tibi subiecisti. Multa alia demum deprecatus, vocem ex splendida vertit in flebilem, & vt amicum indignissima perpessum deflere cæpit, ac lamentari, palámq; exoptare pro Cæsare animam propriam commutare posse; dein vehementissime conuersus in lacrymas, Cæsaris corpus nudum

protu

*protulit. vestem pilo impositam ostentans pla-
gis laceratam undique, & imperatoris sui san-
guine fœdatam. Ad quæ populus veluti lugu-
bri in turba lamentatus, ex luctu in iram com-
motus est. Cum verò ad hos fictus & alij vi-
cissim ritu patrio cum cantu referrentur, volu-
ptate ductus opera eius denuò, eadémque re-
censebat, potissimum in his in quibus Cæsar æ-
rumnas proprias deflere videbatur, aut qui-
bus ex hostibus beneficus fuisset nominatim
prædicabat. vel cum de percussoribus eius velu-
ti admirans querebatur: Men' servasse, ut
essent qui me perderent? Ad ea populus qua-
si in re admiranda angebatur maxime, omnes
scilicet in cædem eius coniurasse, qui ex Pom-
peiana seditione, Decimo excepto, in potesta-
tem eius venerant, & pro supplicijs ad ma-
gistratus, nationúmque præfecturas & exer-
cituum elati fuerant. Decimum præterea ab
eo dignum habitum, ut filius institueretur, ac
hæres. Sic furente turba, cùm ad manus sese
accingeret, quidam ex Cæsaris lecto imagi-
nem eius extulit cera fabricatam: nam corpus
supinum in lecto residens haud ab ullo cerni po-
terat. Imago autem ex machina undequaque
vertebatur, & tres supra viginti plagas per
universum corpus, vultúmque ostendebat, fe-
rino ritu impressas, atque patentes. Hanc
igitur imaginem ut lugubrem intuens vulgus,*

dolorem vlterius ferre non potuit, verum in vnum statim coniurauit, ac locum in quo Cæsar ab æmulis interemptus fuerat, circundedit, ignéque combußit, & percussores longe fugientes insecutus est, adeóque intemperanter ex ira & dolore commotus est, vt tribunum Cinnam, ex nominis parilitate deceptus, cùm prætor qui in Cæsarem orauerat, Cinna diceretur, eundem esse existimans, non expectato iudicio, crudelißime necauerit, contrucidaueritque, vt nulla pars sepulcro potuerit inferri: ignem quoque ad cremandas percussorum domos comportarit. Verùm resistentibus strenue illis, vicinisque rogantibus, ab incendio temperatum est, quanquam populo arma in sequentem diem afferre comminanti. Qua ex causa percussores se occultantes, ex vrbe diffugere. Populus ad Cæsaris corpus denuò reuersus, in Capitolium deferre, veluti rem commendatione dignam, & cùm dijs tumulare pariter contendit. Aduersantibus demum sacerdotibus, in forum retulit, quo in loco vetera Romanorum regum visebantur monumenta. Et ligna sedésque & quæcunque in foro parata aderant, aliáque huiusmodi intulere omnes, ac pompam vicißim abundantem inferentes, nõnulli coronas à seipsis, & donaria multa iniecere flammæ, & per noctem circa pyram consistere: quo in loco primum ara erecta est, nunc

temp

templum Cæsaris ipsius resulet, quod diuinis condignum celebrauere honoribus. Etenim hæres, & filius Octauius. Cæsaris nomine assumpto, & per vestigia illius Rempublicam disponens, principatum qui nunc etiam permanet, ab illo radices assumentem, maiorem in modum auxit: & vt parentem summis prosequeretur honoribus, parem dijs immortalibus haberi voluit. A quo primo nunc etiam Romani cuicunque huic imperio assistenti, nisi tyrannus, aut indignus sit, huiusmodi honores cum è vita cesserit, solent impartiri: qui prius illis præsidentes, ne regis quidem appellatione dignos censuere. Sic C. Cæsar extinctus est in die quam Idus Martias appellant, & quam vates non euasurum eum esse prædixerat, quanquam ille irridens circa auroram aduenisse idus diceret, vatésque interitus nondum præterisse responderet. His igitur talibus, & à tanto vate præmonitus indicijs, signisque alijs, quæ à nobis præmissa sunt, irrisis, progressus interijt, annum sextum supra quinquagesimum ætatis agens, vir ad omnia felix, ac beatus, & qui præclara multa gesserat, Alexandro ferè ad omnia consimilis. Ambo quippe ambitiosissimi omnium fuere, ac bellicosissimi, & ad quæcunque concupita ineunda citatissimi, ad pericula impetuosi, corporis etiam contempto-

res proprij, neque militari disciplina magis freti, quàm audacia & fortuna. Quorum alter per inaquosa plurima ad Hammonem æstatis temporibus profectus est, & Pamphylium sinum enauigato mari feliciter excurrit, & pelagus fortuna continente transmisit, & in itinere instante hyeme per importuosum mare ad Indos vsque penetrauit, & in oppugnatione oppidi per scalam primus ascendit, & in hostes è muro prosiluit solus, tribus supra decem vulneribus corpore exceptis: & inuictus semper existens, singulo ferme, aut duplici opere vnumquodque bellum superauit, multa Europæ barbara sibi vendicans, Græcos porrò manu vicit, bellicosissimam gentem, & libertatis cupidam, nec vlli prius quàm Philippo, per ornatum ad belli præsidentiam, modicum quid parere assuetam. Asiam ferme totam, vt sic dixerim, excurrit: sic vt Alexandri fortunam ad potentiam ex regionibus quas adeptus est, metiri possimus, qui cum reliquum orbis animo conciperet, extinctus est. Cæsari autem Ionium mare hyeme media patuit, & nauigationi eius tranquillum se præstitit. Hesperium etiam oceanum supra Britannos idem enauigauit, & cum nondum eorum promontoria esset expertus, cedentes gubernatores naues appropinquare iussit. Ipse verò per

alios

alios fluctus, solus parua rate, nocte per Vim profectus, gubernatori Vt Vela Ventis traderet imposuit, & Vt maiorem in Cæsaris fortunæ, quàm in mari spem apponeret, edixit. Intra hostes sæpenumero prosiluit solus trepidantibus cæteris, & trecenties ipse in Celtas aciem instruxit, donec quadringentas nationes in potestatem sibi subdidit, sic Romanis formidabiles, Vt sacerdotum seniorúmque lege de immunitate belli edita ascriptum sit, nisi Celticum instaret bellum: incumbente eo, sacerdotes senioresque in armis esse oportere. Cæsar circa Alexandriam depugnans, & in ponte solus derelictus, & oppressus Vndique, Vestem purpuream abiecit, & in mare desiluit, & ab hostibus perquisitus, in profundum enatauit, diu latens, solam ex interuallo respirationem hauriens, donec amicæ appropinquante naui manus extulit, & seipsum ostentans saluatus est. Ciuilibus autem in bellis, Vel propter timorem, Vt dicere solebat, Vel propter dominandi libidinem illapsus, ducibus in bello optimis Vsus est: exercitibus præterea multis & magnis, non barbarorum modo, sed Romanorum occurrens, qui Virtute & felicitate perstiterant, omnes superauit, Vnico prælio, aut duobus ad summum expertus hostes: neque tamen in omnibus exercitus inuicto quemad-

mod

modum Alexander est vsus. Nam & apud Celtas fœde deuicti Cotta & Titurius prætores eius, magnam sustinuere cladem. Et in Iberia Petreius & Afranius, obsessorum in modum, milites eius concluserunt, & in Dyrrhachio & Libya aperte fugam meditati sunt & in Iberia iterum Pompeium iuuenem extimuerunt. Cæsar quidem ipse interritus semper fuit, & in fine cuiusque prælij inuictus habitus. Romanorum potentiam terra marique ab occidente ad Euphratem vsque pertinentem per vim pariter clementiámque subegit: multo quippe Sylla constantior, multóque continentior. Regem enim seipsum nolentibus ostendit, etsi appellatione eius abstinuerit. Cùm bella alia animo conciperet, vicißim & ipse extinctus est. Affuit ambobus exercituum quoque similitudo: promptißimi quippe vtrique affuere, ac beneuoli, & in prælijs feritate simillimi, inobedientes sæpenumero suis imperatoribus, & ob aßiduos labores ad seditionem proni, quos defunctos deplorauere desiderauerúnque quammaxime, & deorum honoribus dignos censuere. Vterque etiam corporis robore & pulchritudine præcelluit. Vtrique à Ioue genus. Ille quidem ab Aeaco & Hercule, hic ab Anchise & Venere duxit originem. Contentiosi aduersùs iritantes ambo, ad conciliandum verò perfaciles, & in captiuos

pariter clementes habiti, vltra clementiam benefici quoque, neque aliud quàm vincere affectantes. Hæc igitur in hunc modum congrua, & si dispari vterque potentia ad principatum accesserit. Ille enim ex regno iam adaucto à Philippo, atque exercito, hic ex priuato ordine, nobili tamen & illustri, pecuniarum destitutus copia, ad gloriam emersit. Signorum porrò, quæ pereximia illis euenere, vterque contemptor, & vatibus eorum finem prædicentibus neuter succensuit. Signa vtrisque sæpenumero paria, & idem amborum exitus. Vtrique etenim bis infelicia affuere prognostica, in quibus ambo à principio dubium subiere periculum. Nam Alexander inter Oxydraces, super hostilem ante Macedones prouectus murum, confractis scalis in summo destitutus, ob audaciam ad hostes interius prosiluit: quo in loco errabundus, pectus primum, deinde collum superiori ex parte grauiter sauciatus, cùm iam concideret, Macedonibus portas ex timore prosternentibus saluatus est. Cæsar verò in Iberia, cum exercitus pauore trepidaret in iuniorem Pompeium sumpturus arma, & pugnam inire vereretur, in medium prosilijt, & ducentis supra clypeum exceptis telis, tandiu perstitit, quoad ab exercitu accurrente, & verecundia timoréque correpto tutatus est. Sic ipsis prima quidem pro-

gno

gnostica periculum attulere mortis, secunda verò mortem consummarunt. Pythagoras quondam vates Alexandrum, Apollodorum Ephestionémque metuentem, sacrificio rite peracto, ne metueret admonuit, statim quippe ambos è medio abituros. Defuncto deinde Ephestione, veritus Apollodorus ne quis insidias regi strueret, vaticinium illi prodidit. Ad quod subridens rex, Pythagoram interrogauit, quid id signum portenderet. Cùm ille vltima significare diceret, denuò arridens, Apollodorum ex beneuolentia, vatem verò ex confidentia laudauit. Cæsari vicissim cum ad vltimum in Senatum accessisset, vt à nobis pauloante dictum est, eadem obuenere signa, ad quæ ille irridens, similia sibi in Iberia euenisse dixit. Respondente vate, & tunc quidem ipsum in periculo fuisse. Et nunc quidem, inquit, propitium nobis aderit: aliquídque ad fiduciam adijciens, denuò sacra fecit, donec retardantibus eum sacrificiis, subiratus Senatum ingressus est, ibique interficitur. Simile & Alexandro contigit: cùm ex Indis in Babylonem cum exercitu rediret, & iam proximus vrbi esset, Chaldæi admonuere vt ab ingressu se in præsenti contineret. Illo verò Iambum proferente, Quoniam optimus vates is est qui bene meditatur: secundo monuere Chaldæi, ne in occidentem se conuertens

tens, cum exercitu ingredi vellet, caeterùm ad orientem conuerso aspectu circumeundo vrbem caperet: quibus illum annuisse ferunt, & vrbem circumire statuisse. sed ab interiacente palude prohibitum, cum ira contempsisse eos, & in occidentem conuerso aspectu introisse vrbem. Egressum deinde, & per Euphratem & Pollacota flumen nauigantem, quod Euphratem suscipiens, in paludes stagnaque diffunditur, & Assyriam tellurem ferè nauigabilem vbique reddit. cùm flu iū muro sepire destinasset, ob idque nauigaret, Chaldaeorum verba irrisisse aiunt, quòd Babyloniam saluus ingressus esset. & egressus nauigaret. Caeterùm euenit, vt cùm in vrbem redisset, moreretur. Simili contemptione & Caesar videtur vsus. Vate quippè diem mortis illi praedicente, quòd Martias idus non euaderet, cùm dies illuxisset, vatem irridens, Idus adesse dixit: & in his similiter extinctus est. Pari modo prognostica quisque sua cōtempsisse dicitur, nec tamen vatibus haec ipsa referentibus succensuisse, & ambos nihilominus sub vatū praedictione decessisse memorant. Fuere praeterea ad virtutis disciplinam, & patrij, & Graeci, & exteri simul sermonis studiosi ambo. Alexander quidem inter Indos potissimum Brachmanas, qui doctissimi habentur apud eos, quemadmodum apud Persas Magi, eorum

sapient

ſapientiam perſcrutatus eſt: Cæſar vero Aegyptiorum ingenia, cùm Aegyptum peragrans Cleopatram regno præficeret, diligenter tentare ſtuduit. Quorum cauſa pleraque inter Romanos prudentiſſime direxit, & anni curſum nullo ordine fluentem ob intercalares menſes, (ad Lunæ quippe curſum metiri eum ſoliti) ad Solis conuertit motum, vt Aegyptijs mos fuit. Contigit etiam ambobus neminem ex conſpirantibus in eos euaſiſſe, ſed eorum ſtirpi condignas impendiſſe pœnas, quemadmodum & Alexandro, qui Philippum occidere: quod Cæſari viciſſim vt contigit, in ſequentibus referemus libris.

APPIANI ALEXANDRINI DE CIVIL. ROM. BELLIS LIBER III.

CAIVS *igitur Cæſar plurimi apud Romanos in imperio dignus habitus, in hunc modum ab hoſtibus interfectus eſt, & à populo ſepultus. Quas autem percuſſores eius, & inprimis clariſſimi, pœnas dederint, liber iſte & inſequens viciſſim explicant, qui ciuilia Romanorũ bella deinceps,*

ab illis gesta complectuntur. Senatus quidem Antonium ob Caesaris funus suspectum habebat, quòd eius causa populus ad tumultum cõcitatus, discordiarum obliuionẽ ex decreto statutam contempsisset, & ad percussorum domos cum igne decurrisset. quam suspicionem idem Vnico opere in Repub. edito, ad beneuolentiam conuertit. Erat Amatius quidam prioris Marij falso filius, qui parentis causa populo fuerat acceptus. Is igitur ob hanc simulationem cum Caesaris affinis crederetur, eius interitum permolestè ferens, aram ante pyram cõstituerat, collectaq; in Vnum audaciorum manu, ijs qui effugerant, tremendum se praestiterat. Horum nonnulli Vrbe cesserant. Qui Verò sub Caesare prouinciarum curam sibi assumpserant, ad eas se contulerant. Decimus quidẽ Brutus ad finitimam Italiae Celtarum gentem, Trebonius in Asiam quae circa Ioniam sita est: Tullius Cimber in Bithyniam: Cassius Verò & Marcus Brutus, quibus Senatus plurimũ fauebat, & ipsi sub Caesare ad prouinciarum regimen in sequẽti anno electi dicebãtur, Vt Syria Cassius Brutus Macedonia praeesset. Sed cum Vrbani pratores adhuc essent, ex necessitate sub mandato tenebantur: sortilegiisq; adulabantur maximè, & alijs quoscunq; suspicabantur suffragia ad se Vendicantes Venundare, lege prohibente ne cui intra Vigesimum annum prouin-

cia administratio conferri posset. Cum his Amatius vnà conferre & insidiari dicebatur. Hac igitur ratione motus Antonius, veluti consul in eos inuectus, Amatium cepit, interfecitq́; nullo iudicio exhibito, audacter admodum. Quod opus tanquã arduum iniquumq́; Senatus admiratus est, percepta tamen vtilitate dissimulanter tulit, satis conscius sine huiusmodi audacia, quæ ad Brutum pertinebãt & Cassium, neutiquam in tuto collocari potuisse. Cæterũ Amatij milites, & reliquus ad hos populus, Amatij desiderio, ac eorum quæ gesta fuerant dolore correpti, quoniam quammaximè Antonius ob illum populo acceptus ferebatur, eo modo se sperni conquerentes, magnis clamoribus forum occupant, Antonium calumnijs insequuntur. magistratibus quoque persuadent, vt Amatij loco aram collustrantes, super ipsam Cæsari quamprimum sacra faciant. Et pulsi deinde è foro à militibus qui ab Antonio præmissi fuerant, maiori adhuc indignatione voces emittebant, nonnulli Cæsaris imagines interempti proferebant. Verùm cum quidam illis prædixisset, locum in quo Cæsaris imagines fierent, demonstrare velle: statim insequuntur, hisq́; perspectis ignem iniecerunt, quoad ab alijs ab Antonio missis quidam resistentes interfecti sunt, alij deprehensi ex seruorum numero cruci delegantur. Qui vero ex

liberis

liberis in unum aderant, ex edito quodam loco præcipites truduntur: eoq; modo tumultus in populo sedatur. Verum insigne odium ex magna populi beneuolentia in Antonium subitò exarsit. Qua ex re Senatus exhilaratus est, quasi nemo ex his qui circa Brutum fuerant, amplius trepidare posset. Cum autem Sextum Pompeium magni Pompeij filiũ, qui ab omnibus ferè diligebatur, Antonius ex Iberia acciri suaderet, quo in loco aduersus Cæsaris prætores bellum gereret, illique pro paternis bonis in publicum collatis, vicies & quinquagies decem millia drachmarum Atticarum impendi, maris quoque præsidem institui debere, quemadmodum & parens eius olim extitisset, rebusq; ingruentibus, Romanorum classe, vbicunque ea esset, vti posse, Senatus singula admiratus facilè concesßit, Antoniumq; per vniuersam diem laudibus immensis extulit. Non enim quisquam Magno popularior aut acceptior illis fuisse videbatur: quamobrem desiderabatur ab omnibus. Casßius porrò & Brutus, qui ex Pompeiana factione esse dicebantur, & tunc quidem in honore habiti, salutem indubiam adipisci putabantur: & eorum quæ peregissent, intentum obtinere. popularem insuper statũ ad optatum duxisse exitum sorte eorum iam in tuto collocata. Ob quæ Cicero continua oratione Antonium palam

commendauit. Senatus ob vulgi insidias illum miseratus, vt custodiam corpori adhiberet, & ex militibus peregrinisq́; idoneos sibi deligeret indulsit. At is siue ad salutem hæc omnia referret, siue fortunam veluti arridentem complecti cuperet, aßiduè custodias sibi deligebat. Et iam ad sex millia, non ex armatorum numero, quos facilè in neceßitatibus & alibi habere putabatur, sed ex turmarum ducibus electos sibi asciuerat, præcipuos in armis, & bellicarum rerum experientia doctißimos, ad hæc porrò notißimos ex militia quam sub Cæsare geßissent. Ex his ordinum principes summo ornatu dietim eligebat, eósque magno in honore penes se habebat illustrium quoq; consiliorum participes vnà deducebat. Senatus cum multitudinem eorum, & electionem suspectam haberet, Antonio consuluit, vt custodiam huiusmodi inuidiæ plurimum obnoxiam dissolueret, & ad sufficientem numerum ac debitum referret, quod illi facere est pollicitus, cum primùm populi tumultus quieuisset. Sed cum stabilia fore decreuisset quæ Cæsar constituerat, eáque in commentariis à Cæsare relata penes se haberet, Cæsaris item scribam Faberium nomine in omnibus fidum atque obsequentem retineret, propterea quòd ex vrbe proficiscens Cæsar, hæc omnia apud Antonium deposuerat, in quibus multa ad mul

multorum gratiam conscripta erant. quæ Vrbibus, Dynastis, & eorum præsidijs dono impenderat: ad singulos ea depescentes scribebat Antonius. hi verò ex huiusmodi gratia deuincti Antonio fauebant. In hunc modum plures in Senatum introduxerat, reliquis ex Senatorio ordine obsequentibus, ne custodia eius viderentur inuidere. Dum hæc ab Antonio Faberióque agitantur, Brutus & Cassius nihil à populo aut exercitibus tutum intuentes, non ob Amatij insidias se ab vllius scelere immunes arbitrati, non Antonij dissimulationem ac varietatem, qui exercitum parasset, vlterius ferentes, non populi statum illo opere firmari posse cogitantes, verum ob id ipsum Antonium suspectum habentes, Decimo confisi, qui tres in lateribus legiones paratas retinebat, ad Trebonium in Asiam, ad Tullium verò in Bithyniam clanculum misere, vt pecunias secreto cumularent, exercitum insuper pararent. Properabant autem vt earum prouinciarum quas à Cæsare accepissent, compotes fierent. Indecens enim videbatur, nondum transacto tempore, Præturam quam in vrbe gererent, omittere, quæ suspicionem ineundi dominatus gentium afferre posset: malebantq́ue ob necessitatem medio tempore priuatim degere, quàm in vrbe esse prætores,

cum nec timore carerent, neque conuenientia his quæ pro patria egissent, exequi liceret. Sic se habentibus rebus, Senatus cognita eorum voluntate, vt de frumento Vrbi inuehendo ab omnibus terrarum partibus curam sumerent, illis imperat, quoad prouinciarum ab illis sumendarum aduenisset tempus. Id enim meditabatur, ne Brutus aut Cassius ex Vrbe viderentur effugere. Tanta illorum Senatui cura & verecundia inerat, cum eorum causa percussores reliquos in tutelam suam suscepisset. Bruto deinde & Cassio Vrbe egressis, Antonius potestate adauctus, & iam monarchicus existens, præfecturas nationum, & exercitus sibi vendicabat, Syriamq́; in primis habere cupiebat. Sed cum se suspectum esse animaduerteret, maiori tamen suspicione detineri putabat si prouinciam illam postulasset. Nam Senatus Dolabellam consulem alterum secretò contrà ipsum sibi asciuerat, quem continuè Antonio aduersum cognouisset. Dolabellam igitur iuuenem & ambitiosum intuens Antonius, Syriam Cassij loco, ac exercitum in Parthos præparatum petere suasit, non à Senatu quidem, quod fieri minimè putabat, sed à populo prolata lege: qua de re lætatus ipse legem protulit. Increpante deinde illum Senatu, quod à Cæsare decreta dissoluere

soluere tentaret: bellum contra Parthos sub Cæsare statutum, minimè immutatum esse ait: Caßium Syriæ administratione dignum habitum, qui Cæsaris acta in primis oppugnaret, sortes præterea plurimis impenderet, qui vigesimum ætatis annum nondum attigissent: se maximè erubescere, cum Dolabella esset, si ad Syriæ administrationem Caßio minus haberetur dignus. Ob hæc Senatus Tribunum quendam Asprinam nomine, in creatione pro duobus significantem iussit illudere, sperans Antonium ad id quippiam illaturum esse, consulem existentem, ac signorum sacerdotem, & iam discordem cum Dolabella habitum. Antonius sortitione facta, cum Asprina duo significare retulisset, id'que nefastum esse diceret (quippe mos fuit alios subinde eligere) iratis Asprinæ mendacio, tribus de Dolabella sententiam iußit efferre. In hunc modum Dolabella Syriæ præficitur, & belli contra Parthos prætor designatur, ac exercitus vniuersi circa Macedoniam à Cæsare collecti, & tunc quidem Dolabellæ Antonius suffragari instituit. His in populo peractis, Antonius Macedoniam à Senatu sibi postulauit, arbitratus post Syriam Dolabellæ traditam, minimè Senatum pro Macedonia sibi aduersaturum esse, potißimum cum prætore esset desti-

 tuta

tutæ. Eam igitur licet inuitus Antonio concessit, admiratione ductus, quemadmodum exercitum in ea existentem Dolabellæ esset traditurus, quem tamen Dolabellam ante Antonium habere lætabatur. In tempore verò, qui pro Cassio & Bruto aderant, alias prouincias sibi dari earum loco deposcebant. Cyrenem igitur ac Cretam illis tradidere: vt alijs visum est, vtranq; Cassio, Bithyniam verò Bruto concessere. Quæ igitur agitabantur, huiusmodi fuisse constat. Octauius autem Caij Cæsaris sororis nepos, princeps Equitum per annum apud eum fuerat, ex quo Cæsar hunc honorem ad amicos eius deferens, plerunque ad annum illis conseruauerat. Is cum adolescens adhuc esset, in Apolloniam supra Ionium, vt literis erudiretur, & militiæ simul instrueretur, à Cæsare præmissus fuit, & vt in hostes profecturus ibi moraretur. Eo in loco Equitum turmæ ex Macedonia aduentantes exercitabantur: copiarum insuper prætores quidam quasi ad Cæsaris affinem atque cognatum sæpe commeabant. Ob id à plurimis cognitus, exercitus quoque beneuolentiam sibi comparauerat, cum omnes ad se venientes summa charitate liberalitateque complecteretur. Sextum igitur iam mensem in Apollonia degenti, circa vesperam annunciatur, Cæsarem in Senatu ab amicissimis

suis,

suis, & apud ipsum maximè potentibus interfectum esse. At cum de reliquis nihil referretur, timor atque ignorantia eum inuasere, Vtrum commune, aut Senatus, vel eorum qui peregerant, id esset opus, & an pluribus causam tribuissent, vel cuius id esset, & an multitudo cum illis conspirasset. Pro quibus amici eidem talia ab Vrbe pramisere: Laudare eos, Vt pro custodia sui corporis in Macedoniam ad exercitum transiret, quo in loco commune id opus non esse intelligens, hostibus timorem incuteret, & Casaris necem Vlcisci posset. Et affuere ex ducibus quidam, qui venientem ad se tueri pollicerentur. Mater verò & Philippus eius Vitricus, è Roma scripsere, ne se quippiam extolleret, ne'ue confideret, memor eorum qua Casar post deuictos hostes ab amicissimis eius pertulisset: priuatas conditiones, veluti periculorum magis expertes, in prasenti eligendas esse: Romam Vt ad eos properaret suadere, à quibus custodiretur. His adductus Octauius, ob inscitiam eorum qua post Casaris necem gesta fuerant, complexis exercituum primoribus, Ionium enauigauit, neutiquam ad Brundusium accedens. Nam cum exercitui, qui illic aderat, minimè confideret, cuncta pracauebat, & ad aliam non longe à Brundusio extra iter

sitam Vrbem appulit, cui Lupium nomen est. In hanc itaque delatus moram protrahebat, ibidemq́ de Cæsaris nece, tumultúque populi. ac testamenti publicatione, eorum'Ve quæ decreta fuerant, diligenter ad eum scripta deferuntur: ex quibus adhuc magis admonebatur, Cæsaris præcauere hostes, cum filius eius atque hæres esset nominatus. dehortabaturq́ ab his hæreditatem adire. At ille Cæsaris Vltionem non assumere erubescens, Brundusium accessit, præmissis tamen qui diligenter explorarent ne quis ex Cæsaris percussoribus in insidijs lateret. Sed cum eo in loco exercitus Veluti Cæsaris filio obuiam prodisset, libénsque suscepisset, lætatus sacra peregit, ac subitò Cæsar appellatus est, Romanorum more, qui adoptiuis filijs, adoptantium nomina solent imponere. quod ille non solum libens assumpsit, Verùm eodem tempore paternum nomen penitus amisit, & pro Octauio Octauij filio, Cæsaris filium se, ac Cæsarem dici maluit: qua appellatione Vsque in finem Vsus est: ac subitò ad ipsum omni ex parte Veluti ad Cæsaris filium, multitudo hominum affluxit. ex quibus alij Cæsaris amicitia ducebantur, alij quòd liberti aut serui Cæsaris fuissent, nonnulli quòd milites cum illis extitissent: ac eorum quidem arma & apparatus, aut pecunias in Macedoniam ferentes,

tes, quidam res alias, & aliarum prouinciarum redditus Brundusium attulerant. Ille igitur & gentium multitudine ad eum confluentium, & Caesaris gloria, & omnium in eum beneuolentia confisus, Romam versus iter arripit, conuenienti stipatus turba, & quae torrentis in morem dietim augeretur. Aperte igitur in Senatum vindicaturus, ob gentium multitudinem, & ob id insidias magis veritus, nuperrime gentibus sibi notis ferè omnibus stipatus accedebat. Verùm aliarum vrbium non aeque fauor illi aderat. Caesaris tantum milites, & qui per sortes diuisi fuerant, ex colonijs adolescentis beneuolentia confluxerant. Hi Caesarem deplorare, Antonium calumnijs insectari coeperãt, quòd se è tanto vulgi odio minimè eximeret. Si quis praeiret, se Caesarẽ vlcisci velle praedicabant. Quos Caesar laudibus ornatos, & in praesenti quiescere iussos, à se dimisit. Ad Terracinam deinde delato, qui locus per trecenta stadia distat à Roma, nunciatum est quemadmodum Brutus & Cassius, sublatis ipsis à consulibus Macedonia & Syria, & ad eorum solamen modicis quibusdam praebitis. Cyrenẽ Cretamq́; suscepissent, exules quidam restituti forent, Pompeius reuocatus, & ex Caesaris codicibus nonnulli in Senatum acciti, & alia plura subinde gesta. Cum in vrbem itaque venisset, mater denuo, & Philippus, &

quicun

quicunq; necessarij eius aderant, senatus alienationem à Cæsare verendam arbitrabantur: Decretum præterea, ne de Cæsaris nece quæstio haberetur. Antonij ad hæc potestatem, & suspicionem in eum formidabant, qui neque ad aduentum Cæsaris filij obuiam prodisset, neque aliquem ad eum præmisisset, quæ omnia sedate idem perferens, æquũ esse inquit, se ad Antonium prius, tanquam iuuenem ad ætate prouectum, priuatum ad consulem accedere debere: Senatum quæ conuenientia forent procurare, decretum locum habuisse, nemine Cæsaris hostes persequẽte. Sin aliquis persequi confideret, populum auxilio affuturum, Senatum verò vt in lege, deos, vt in iustitia causæ eius, & Antonium vicißim allaturos opem. Si verò sortem eius adoptionémque spreuisset, primum erga Cæsarem delinquere, populum etiam proprijs defraudare commodis. In fine demum professus est, non solum subire periculum pro hac re honestum esse, verum etiam obire mortẽ: quandoquidem præ omnibus electus ad tam magna, Cæsaris loco dignus habitus, indignus videretur eo qui ad pericula omnia semper fuisset promptißimus. Achillis demum verbis, quibus ille ad Thetidem vsus dicitur, in matrem conuersus, inquit, Sed prius opto mori si non fas est mihi viuo Vlcisci sortem chari morientis amici. Et hæc referens, Achillis

ex omni

ex omnibus immortalem laudem id verbum attulisse ait, sibi verò hoc opus potissimum allaturum esse. Non enim Cæsarem amicum, sed patrem: non commilitonem, sed imperatorem: non lege belli procumbentem, sed in Senatu impiè necatum. Pro quibus mater ex timore in lætitiam conuersa, complexa eum dicitur: & solum Cæsare dignum affirmasse. Compresso deinde sermone, ad ea quæ meditaretur, faustè feliciterque accelerare iussit. arte tamen potius & tolerantia quàm aperta audacia vti persuasit. Quod ille collaudans, ita se facturum esse respondit. ac vespere quidem subitò ad amicos destinat, & vt mane in foro cum multitudine adesse velint, vnunquenque conuocat. Eo in loco cum Caium Antonium Marci Antonij fratrem, qui præturam gerebat in vrbe, obuium forte habuisset, se Cæsaris adoptionem suscepisse ait. Mos quippe Romanis fuit, adoptiuos testimonium exhibere prætoribus, quo publicè descripto, subitò ex foro ad Antonium consulem alterum euadit. Ille Pompeianis in hortis, à Cæsare dono quondam sibi traditis, tunc quidem versabatur. Mora igitur in longum acta circa fores, Cæsar Antonij alienationem per hæc ipsa facilè deprehendit. Cum ingressus esset, colloquia inter eos primùm & blanditiæ conuenientes affuere. Cum verò de his quæ oppor-

tuna fuerant, differendum esset, Cæsar in hunc modum locutus est. Ego, pater Antoni, patrem quidem te mihi esse beneficia Cæsaris in te collata testantur, & tua in illum gratia eorum omnium quæ pro illo operatus es: equidem partem laudo, & gratias tibi vicissim pro his debere fateor: partem accuso, & summa confidentia, in quibus me dolor adigit, expromam. Cum interficeretur Cæsar, minimè affuisti, percussoribus eius te ad portas destinantibus, quoniam vel illum saluum præstitisses, vel cum illo vnà concidisses: quorum alterutrum futurum esset, honestè tamen non affuisti. Statuentibus nonnullis eisdem honores vt in tyrannum sæuientibus, audacissimè restitisti, cuius rei gratias tibi scio deberi quamamplissimas. Cæterum si viros illos vt te perimerent, consilium iniisse intelligis, non vt nos putamus, vltorem Cæsaris futurum, sed vt ipsi aiunt, tyrannidis eius successorem, non vtique tyranni occisores esse poterunt, quin & homicidæ simul sint. Quamobrem itaque in Capitolium confugere? an veluti ad templum, vt peccatores supplices? aut vt in arcem hostes? Vnde igitur ipsis actorum obliuio, & cædis innocentia? vtrum à Senatu, aut à populo, aut ab eo qui sub illis interfectus est? Nam te inter plures inspicere id oportuit, cum consul sis. Verùm alterutra consulente te, principa-

tum

tus eos absoluit vindicante te tam insigne facinus, & errantes vnà perdocente. Veniæ tamen obsides ex proprijs ad percussores in Capitolium misisti. Esto & hæc à corruptis per vim à te extorta esse. At cum perlecto testamento, & commendatione, vt æquum fuit, in funere à te acta, populus iam Cæsaris memoria firmatus, ignem in percussores detulisset, & vicinorum causa illis pepercisset, armáque in sequentem diem esset comminatus, cur auxilium non attulisti? vel vt dux cum igne aut armis accurristi? vel percussoribus mulctam inscripsisti? si mulcta opus est ei qui per se deferre potest, & Cæsaris amicus est, & consul, & Antonius. Sed Amatius ex mandato interfectus est ob principatus potestatem, percussores quomodo effugere siuisti? & ad prouinciarum administrationes nonnullos se trãsferre? quas iniustè possident, eo qui concesserat, ab illis interfecto. Syriam quidem, & Macedoniam, consules rite decernentes, tu scilicet ac Dolabellæ constitutis rebus, ab illis abstulistis. pro quibus gratias vobis agerem, ni statim Cyrenem & Cretam ex decreto illis dedissetis, & fugitiuas statuissetis prouincias. Continuè aduersum me satellites habetis, & Decimum Celtas proximos tenentem videre negligitis, & hunc cum alijs dominum sub patre meo effectum. Sed hæc Senatum cognouisse

dicet

dicet quispiam. Tu tamen ex decreto confirmasti. & in Senatu præsedisti, quo in loco potissimum congregatus est, vt per te contradiceret. Actorum obliuionem illis concedere, salutem dare est, quod gratificantium videtur solum. cæterum prouincias ex decreto iterũ præbere, & præmia conferre, Cæsari iniuriam inferentium, & sententiam tuam abolentium dicetur esse. Ex quo igitur me passio ad hoc impulit, vltra id quod moderatio ætatis meæ, & verecundia erga te postulare visa est, dicam liberius, vt ad amicum Cæsaris, & plurimum apud illum honoris potestatisque assecutum, & fortassis futurum adoptiuum, si te ex Herculeo Aeneadem fieri malle cognouisset. Hæc enim res dubitationem illi attulit plurimam de successore cogitanti. In futurum itaque Antoni, si qua deorum immortalium, si qua tibi Cæsaris reuerentia inest, quippiam ex his quæ facta sunt velis immutare, potes enim si velis. Sin autem ad reliqua, saltem in percussores cum populo amicisque paternis opem afferas. At si virorum, aut Senatus reuerentia te detinet, in his quæ necessaria mihi sunt, ne te aggraues. Scis enim quantum oneris domi mihi incumbat ad impensam, quam pater populo iussit exponi, quæ solicitudo amicorum adsit, ne retardans ingratus videar, néue qui in colonijs distributi sunt me opperientes, diutius in vrbe
cogan

cogantur permanere. Quæcunque igitur in morte Cæsaris confestim apud te tanquam in tutum redacta sunt ob domus periculum, donaria eius, & apparatum omnem nos habere sinito, & quæcunque alia à nobis velis assumi. Ad distributionem verò aurum illud perinsigne quod ad bellorum vsum Cæsar cumulauerat, abunde fuerit, si vsque ad trecenta millia nummum mihi impenderis. Residua distributionis eius, & si hoc confidere odiosum sit à te fortasse, aut per te ex publicis mutuò sumpserim pecunijs, quoad reliquam substantiam venundare concesseris. Hæc loquente Cæsare, Antonius ex confidentia eius & audacia, quam præter opinionem & ætatem illi adesse viderat, obstupuit. Conturbatus igitur huiusmodi sermonibus non quantum honestati congruebat, potissimum ex pecuniarum repetitione, insolentius in hunc modum illi responsum reddidit. Si quidem ò puer cum hæreditate & cognomine imperium tibi Cæsar reliquisset, æquum fortasse foret te publicarum rerum rationem poscere, & me polliceri. Verùm Romani principatum nulli ex hæreditate tradidere, neque regibus: quibus eiectis, iureiurando sanxerunt neminem vlterius velle suscipere: quòd præcipue patri tuo obijcientes percussores eius, ob id eum interemisse asserunt, regnantem, non autem imperantem amplius.

u Mihi

Mihi quidem neq; responso circa publica opus est, similiq; ratione te releuo, ne gratias pro his debere mihi asseras. Quicquid enim id est, non tui gratia, sed populi Romani factum est, Vno opere duntaxat excepto, quod praecipuum & maximum omnium in tuam & Caesaris beneuolentiam effectum dixerim. Si enim ego mihimet intrepidus, & nulla motus inuidia, honores percussoribus & tyrannicidis decretos contempsissem, tyrannus habitus fuisset Caesar, cui neq; gloria quicquam, neq; honoris, aut actorum stabilitas Vlla affuisset: non decreta, non haeredem, non substantiam Vllam esset consecutus: non corpus sepulcro dignum habitum, ne priuato quidem. Leges quippe tyrannorum corpora insepulta iubent abijci, memoriam omnem aboleri, & si quid peculij illis adest, in commune redigi. Quae singula ipse Veritus, pro Caesare pugnaui, Vt immortali gloria & publico potiretur funere, non expers periculi atque inuidiae, quae ab hominibus promptissimis & caede grassantibus mihi incubuit, & Vt intellexisse potes, in me conspirantibus, ad Senatum patris tui imperium iam grauiter ferentem, Verum ob haec sponte me periculis obieci, & quodcunque pati prius praelegi, quam insepultum Caesarem & infamia foedatum intueri, optimum Virorum qui sub illo fuere, & in multis felicissimum, & prae-

conni

omnibus honore dignißimum à me habitum. His igitur proprijs periculis meis, quæ Cæsaris præsentia tibi sunt illustria, omnia accepisti, genus, nomen, dignitatem, substantiam: pro quibus iustius fuisset te mihi gratias agere, quàm quæ ad Senatus sedationem derelicta sunt, vel in retributionem eorum quæ à me gesta fuerunt, vel ad alias opportunitates ac rationes distributa reprehendere, maximè cum iunior sis, ego ætate provectior. Et hæc pro ijs quæ dixisti, abunde sint. Insinuasti præterea me principatum appetisse, quem nunquam concupiui quanquam non indignum arbitreris, & dolere existimas non consecutum fuisse Cæsaris adoptionem, professus genus Herculis mihi sufficere. Pro necessitatibus autem tuis, in quibus ais ex publico mutuari velle, satis crederem te ironia vti, nisi persuasum haberem, te adhuc ignorare publica omnia à parẽte tuo inania esse derelicta. ex quo ad imperium accessit: cum ad eum ærarij loco deferrentur, & subinde in substantia eius reperta sint, quamprimum illa inquirere decreuimus. hoc minimè impium in Cæsarem fuerit, defunctum iam humanis rebus, nec attestantem id esse impium, etsi rationes viuus exegerit. Cum autem priuatorum plurimi de vnaquaque eius facultate tecum decertabunt, satis intelliges, non sine controuersia te eam

possidere. Pecuniarum verò, quas ad me translatas esse asseris, neque copia ea est, quam existimas, neque nunc quidem penes me est. cum omnes in magistratibus ac potentijs, Dolabella & fratribus meis duntaxat exceptis, veluti tyrãni distributæ sint, & per me translatæ ad eorum gratiam, quæ à Cæsare decretæ fuerant: & tu reliqua tecum feres, si rite sapis: indignantibus populi loco potius impendens. illi populum ad colonias remittent, si rite sentient. Populus quippe, vt tu Græcis imbutus disciplinis optimè scis, instabilis est, vt in mari vnda fluctuans, hæc aduenit, illa reuertitur. Simili ratione populus è nobis ambitiosiores ad summum eleuans, ad ima demum abijcit. Horum plurimis indignatus Cæsar, cum ad contumeliam referri crederet, abscessit, patrem nomine sæpe inuocans: ac confestim omnem substantiam venui subiecit, quantam ex hæreditate fuerat adeptus, populum in auxilium eius ex hac liberalitate conuertere festinans, Antonij odio in eum iam palàm perspecto & cognito, Senatu præterea publicarum pecuniarum inquisitionem ex decreto statuente. nam plerique nouum Cæsarem vereri cœperant, ob paternam militum & populi in eum beneuolentiam: facultatibus insuper plurimis illi adsistẽtibus, quas in largitionibus, & populi ambitione conferret,

ferret, neutiquam eundem in priuatorum numero mansurum cogitabant, neque cum Antonio societatem initurum Cæsarem, nouum virum diuitijs & gloria abundantem, verùm inter se pariter certaturos fore, quis ad Cæsaris imperium celerius esset euasurus. Quidam ex his voluptatem capiebant, quasi huiusmodi viris sibijpsis impedimento futuris, & opibus Cæsaris, & pecuniarum inquisitione dissolutis, ærarium summa opulentia repletum iri videretur. nam multa ex publicis penes Cæsarem posse reperiri. Instante verò spectaculo, quod pro Bruto prætore Caius Antonius Antonij frater esset præbiturus: inter alia quæ ad præturam absentis Bruti curiosè disposita sunt ab eo, apparatus abunde affuit, ac donariorum copia, spes quoque affulsit, populum spectaculo placatum Brutum reuocaturum esse, Verum Cæsar alia ex parte populo sublandiens, omne quod ex venditione cumulauerat argentum, continuò ambitiosis, per partes diuidebat, vt præuenientibus impenderent. Porrò per oppida deuectus publicè proclamari iusserat, qui minimo venundarent, cum ob causas, quòd dubia & incerta adhuc essent, tum propter Cæsaris studium quo omnem populum ad beneuolentiam eius conuerterat ac pietatem, quòd indignè hæc

pati videretur. Cùm autem ad ipsius hæreditatem ac facultates proprias quæcunque apud Octauium patrem, aut alicubi sibi adesset, & matris vniuersa, & Philippi vendidisset, & à Pedio & Pinario hæreditatis partem requisisset, singillatim omnia vendere proposuit, tanquam Cæsaris substantiam: hisque non abunde sufficientibus ob effusiones, populus non tam à Caio Cæsare, sed ab ipso largitionem fieri existimans, ex indulgentia cœpit misereri, & admirari similia agentem, & in hunc modum contendentem. Iam enim clarum erat, non multo pòst eundem Antonij contumeliam despecturum esse, quod in Bruti spectaculis splendidè editis intueri licuit. Nam mercenarijs quibusdam acclamantibus Brutum & Cassium reuocandos esse, cum residuum theatri ob pietatem assentiri videretur, accurrere plurimi qui spectacula compescerent, donec postulationem eorum penitus extinguerent. Brutus verò & Cassius cum eorum spes à Cæsare in spectaculis effusas intelligerent: in Syriam & Macedoniam, veluti ipsis ante Antonium Dolabellámque decretas, per vim proficisci statuunt. Quibus intellectis, Dolabella confestim in Syriam, & ex ea in Asiam, quasi pecunias his in locis coacturus accelerat. Antonius verò in futurum potentia sibi necesse esse existimans, exercitum qui in Macedonia fuerat,

viri

virtute præcipuum, magnitudine copiarum amplissimum (sex quippe legiones inerant, & alia multitudo sagittariorum ac leuis armaturæ ex- rcitatorúmque cum illo adiuncta, equitatus plurimus apparatus præterea iuxta exercitum insignis, & qui Dolabellam secuturus videbatur, in Syriā & ad Parthos sese conferentem, cùm Cæsar in Parthos eo vsurus diceretur) ad se quamprimum transferre statuit, & vbi quammaxime ad Ionij transitum esset propinquus, in Italiam traducere. Interea subitò fama aduolat Getas cognito Cæsaris interitu Macedoniam ingressos depopulari. Quamobrem Antonius exercitum à Senatu petijt veluti in Getas expeditionem paraturus. Nam in ipsos ante Parthos à Cæsare institutus fuerat, vt in Parthos sensim profecturus. Senatus rumore percepto, qui scrutarentur emisit. Antonius timorem suspicionémq; ob hæc emanatam dissoluere festinans, decreto sanxit, se nulla ex causa profecturum si dictator crearetur, neque decreturum se aut assumpturum vllo modo dictaturam, si illi præberetur: si quid horum quis spernentem videret, ab obuio quoque velle trucidari. Ac per hunc modum audientes maximè deliniens, & his qui Dolabellæ fauebant, per largitionem sibi ascitis, exercitus in Macedonia existentis prætor & imperator constituitur. Qui cum

ea quæ concupiſſet, foret adeptus, Caium fratrem magna celeritate vt decretum ferret, ad exercitum emittit. Exploratores interim rumoris præmiſſi reuertuntur, Getásque in Macedonia nequaquam ſe vidiſſe referunt. Addidere tamen, ſiue vere, ſiue ab Antonio perdocti, trepidare omnes ne Getarum copia aduentantes Macedoniam excurrerent. Hæc dum Romæ geruntur, Caßius Brutúsque exercitus & pecunias quotidie parabant. Trebonius Aſiæ præfectus, ciuitates muro ſepiebat, & venientem ad ſe Dolabellam Pergamo & Smyrna non admiſerat: ſolum commeatum veluti conſuli extra mœnia parauerat. Aggrediente eodem cum ira vrbes, nihilque perficiente, Trebonius in Epheſo ſuſcipi mandauit, & ad Epheſum euntem quoſdam ex interuallo ſubſequi iußit. Hi nocte ingruente Dolabellam recedentem intuentes, nec vlterius quicquam ſuſpicati, paucos ex ſuis, qui illum ſequerentur, reliquere: ipſi verò ad Smyrnam rediere. Dolabella eos qui derelicti fuerant, per inſidias adeptus interfecit omnes, & nocte adhuc inſtante Smyrnam verſus greſſum mouet, quam incuſtoditam offendens per ſcalas occupat. Trebonius in lecto à militibus deprehenſus, ſe ad Dolabellam deduci ſupplicat, ſponte ſe illos eſſe ſecuturum. Huic turmæ ductor eum intuens: Eia tu ſequere, inquit, caput

put

put interim nobis derelinquens: non enim te, sed caput tuum afferre nobis iniunctum est: quo dicto caput illi subito abscidit. Orta luce Dolabella Trebonij caput pratorio in solio, quo iudicare solitus erat, iussit affigi. Exercitus ira commotus, & supplex turba omnis ob necem Caesaris, cuius Trebonius particeps fuisse dicebatur, eo quòd defuncto eo Antonium Senatus ad fores Vrbis tenuisset, in reliquum corpus eius crudeliter excanduit. Caput sphera in morem instrato lapide, cùm risu admuicem diu prouolutum, donec contritum, effusumque est. Et hic primus ex percussorum numero huiusmodi pœnas dedisse dicitur. Antonius interea exercitum ex Macedonia in Italiam transferre meditatus, omni alia occasione destitutus, à Senatu petijt, vt Celtarum prouinciam intra Alpes residentem, quam Decimus Brutus detinebat Macedonia loco sibi ascriberet: & mente repetens, Caesarem ex Celtis prodeuntem, Pompeium superasse, quasi exercitum non in Italiam, sed in Celtas postularet, Senatus Celtarum gentem veliti arcem in se praparari metuens, conturbari cœpit, & insidias eius tum primum intelligere: & iam Macedoniam illi tribuisse pœnitebat. Priuatim itaque potentiores ad Decimum pramittit, & vt prouinciam firmiter teneat hortatur: exercitum

alium ac pecunias parare suadet, vt venienti Antonio possit obsistere: adeo enim eum verebantur, & odio habebant. Antonius contrà Senatus loco Celtas à populo ex lege petere instituit, quemadmodum Cæsarem prouinciam eam in primis obtinuisse meminerat, & Syriam Dolabellam occupasse. Ad Senatus verò trepidationem, exercitum qui in Macedonia erat, Brundusium Caium fratrem per Ionium transferre admonet: & hic quidem quæ Antonius expeteret, facturus videbatur. Forte spectacula instabant, quæ Critonius ædilis exhibiturus erat. Inter quæ Cæsar aureum solium & coronam auream patri præparauerat, quemadmodum illi in theatris omnibus apponere decreuerant. Conquerente itaque Critonio neutiquam admissurum esse se vt Cæsar ad impensas eius coleretur, Cæsar eum ad Antonium tanquam ad consulem confestim attrahit: Antonio verò dicente ad Senatum esse deferendum, subiratus Cæsar, ego solium hoc, inquit, quoad decretum tuum extiterit, apponam. Ad quæ conturbatus Antonius, vt apponeret inhibuit. Vetuitque subinde in spectaculis, quod indecentius visum est, quæ Cæsar ipse fecerat, apponi, repetitis à patre in Venerem genitricem, cui & templum pater in foro, & forum vlterius addiderat. Tunc igitur vehemens

odium,

odium, & apertè quidem ab omnibus in Antonium exarsit, quasi non solum cum Cæsare præsente contenderet, verùm in priorem ingratè contumelijs insurgeret. Ipse autem Cæsar multitudine veluti custodia stipatus, populum, & qui sub patre beneficia acceperant, vel sub illo militauerant, circumibat, inuidioséque deprecabatur, ne se talia ac tanta sustinentem viro desplicerent, verùm Cæsari eorum imperatori atque benefactori contra Antonium auxilium afferrent, tuerentur seipsos, quibus nihil tutum eorum quæ à Cæsare habuissent, futurum esset, nisi quæ ab illo decreta fuerant, stabilia firmáque manerent. Ad omnia præterea vrbis loca editiora conscendens, in Antonium clamabat his verbis: Cæsari propter me ne irascaris, ne'ue iniuriam inferas Antoni benefactori tuo, & in maximis tibi affecto. Mihi quantumuis iniuriam infer, & facultatum eius compesce rapinam, quoad ciues distributionem debitam sint consecuti. Reliqua omnia tibi habeto. abunde etenim mihi fuerit, quanquam indigenti, si paternam assequar gloriam, & distributionem populo sinas impendi. Quibus ex verbis iam in Antonium emissæ voces palàm innotuerant. Comminante verò illo acerbissimè, & minis in publicum elatis, adhuc magis omnes accurreb

currebant. Quamobrem militiæ primores, qui ad Antonij custodiam delecti fuerant, ac sub Cæsare primo militauerant, ab Antonio summo in honore habiti, vt ab iniuria abstineret hortabantur, eorum intuitu, ac suiipsius, qui sub Cæsare vnà meruisset, tótque ingentia commoda ab eo suscepisset. Quæ mente repetens Antonius, cum vera fateretur, & deferentes ad eum erubesceret, & Cæsare ad fauorem populi ob Celticas res promerendum indigeret, tandem acquiescere cœpit, & ea confiteri quasi præter mentem eius gesta essent, verùm ob adolescentis animum tam superbè elati acta recenseret, qui nihil pudoris aut reuerentiæ erga duces & quidem antiquiores habuisset, cuius causa solito magis reprehensione in eum esset vsus: cæterùm eorum gratia, qui hæc deposcerent, ab ira temperare velle, & ad pristinam eius naturam consuetudinémque redire, si & ille ab huiusmodi insolentia desisteret. Hæc duces læto animo audientes, in vnum ambos coniunxere, & inter se conquestos in amicitiam reduxere denuò: ac statim lex de Celtis perscripta est, Senatu abhorrente, & iam præmeditante, si eum consuleret Antonius, prohibere velle: sin absque Senatus consulto ad populum deferret, Tribunos contra vt illi prohiberent, opponere. Fuere insuper qui gentem illam omnino liberam à

pratore iudicarent, adeo Celtas sibi propinquos formidabant. Antonius contrà palàm proclamabat, si eam prouinciam Decimo permitterent, qui Cæsarem interemisset, sibi verò minimè confiderent, qui prouinciam eam acquirentem, & ad genua eius prosternentem neutiquam occidisset, apertè iam omnia in omnes effundens, quasi Cæsaris necem exoptassent. Cùm comitiorum adesset dies, Senatus tribuum multitudinem ad concionem acciri cogitabat. Illi verò nocte adhuc instante, circa forum tabernaculis appositis speculatoriam conuocant cohortem à signo prodeuntem: qua ex re conturbata popularis concio, Antonio ob Cæsarem fauere instituit, circa tabernacula assidentem atque deprecantem. Verebatur etenim permaximè ne Decimus prouincia opportunissima, & exercitui in ea existenti imperaret, qui patris percussor extitisset, & ob id ad Antonij gratiam cùm eo conciliati vnà venerat: nam & ipse aliquid ab Antonio vicissim suscipere sperabat. Corruptis autem ab Antonio ob pecunias Tribunis, & subinde conticentibus, lex promulgatur, & exercitus ad Antonium præstita condecenti causa per Ionium accedit. Defuncto deinde quodam ex Tribunis, in creatione alterius Cæsar Flaminio plurimum fauit: qua ex causa ratus populus eundem tribuit

bunitiam affectare dignitatem, sed ob adolescentiam minimè petere, in comitijs Tribunum declarare instituit. Verùm Senatus incremento eius inuidens, timore correptus est, ne si Tribunus crearetur, percussores patris ad populum in iudicium vocaret. Antonius amicitiam cum Cæsare in primis conturbatam haud multifaciens, siue ad Senatus gratiam, siue ad leniendos animos ob legem recens in Celtas editam, siue profectionis causa id esset meditatus, veluti consul decretum edidit, Nemini Cæsarem præter legem insurgere debere, nec ex seipso potentiæ magnitudine vti posse. Quæ cum Cæsari ingrata essent, & in populum huiusmodi scriptio indigna videretur, multitudo subirasci cœpit, & in suffragijs contentione vti statuit, ita vt trepidaret Antonius, ac decretum abolendum cæteris Tribunis tanquam sufficientibus omitteret. Cæsar ex aduerso vt apertè circunuentus, plures ad colonias à patre deductas ire iubet, & quæ patiatur, nota facere, ac cuiusque mentem scrutari imperat. Misit & ad Antonij exercitum nonnullos commeatum deferentes, qui cæteris sese immiscerent, & hortantibus in primis se concrederent, in turba quoque libellos clanculum eijcerent. Hic igitur in his versabatur. Ordinum interim primores ab Antonio temporis commoditate percepta, in hunc modum

modum fari incipiunt. Nos quidem Antoni, & quicunque alij tecum cum Caesare meruimus, & imperium illi simul constituimus, & in hanc vsque diem ad illius obsequia vitam duximus: pari odio & insidijs percussores eius in nos vti, & Senatum illis obsequentem esse non ambigimus: Populo verò eos expellente, fiduciam assumpsimus cùm Caesarem non omnino amicis destitutum, aut obliuioni traditum, aut gratia carentem cerneremus. Securitatem tamen omnem in futurum in te vno collocauimus, vtpote Caesaris amico, & post illum prae cunctis ad militiam edocto, & nunc nobis imperante, idoneóque ad omnia quammaxime. Insurgentibus autem nobis inimicis, & audacter in Syriam Macedoniámque grassantibus, pecunias porrò & exercitum in nos colligentibus, ac Senatu Decimum contra te praeparante, & te curas omnes in Caesaris nomini dissensione consumente, non inepte formidamus, ne in futurum, quale nullum in praesenti affuit, haec inter vos dissensio bellum afferat, & facultatem inimicis contra nos quae voluerint agendi, facilè concedat. Quae omnia cum ipse animaduertas, te precamur, vt pro tua in Caesarem gratia, & nostri charitate, qui nihil querela dignum in te egimus, & vltra haec vtilitatis tuae causa, quoad licet, & Caesari duntaxat abunde sit, in per-

cussor

cussores depugnanti opem praestes. Quae res te ab omni cura vacuum in imperio constituet, & nos pro te & nobis ipsis trepidantes, in tutum collocabit. His à primoribus ordinum relatis, Antonius in hunc modum reddidit: Quanta beneuolentia & studio erga Caesarem semper fuerim, cùm ad omnes eius necessitates in periculis prae caeteris me obiecerim, clare cognouistis, qui vnà militantes his quae gesta sunt, praesentes affuistis. Quantum verò & ipse charitatis ac promptitudinis erga me vsque in finem conseruarit, non necesse mihi arbitror testari. Haec enim vtraque intuentes eius percussores, me cum illo interficere meditati sunt, quasi me superstite neutiquam quae animo conceperant, in tuto collocari crederent. Quod si quis eos ab hac sententia deterrere conatus est, non beneuolentia aut cura salutis meae id egit, sed honestatè potius, ne multis inimicos suos insectari voluisse, non autem tyrannum occidisse viderentur. Quis igitur me Caesarem amplius negligere existimat, benefactorem meum? & hostes prae illo in honore habiturum esse? & necem illis sponte indulgere, qui mihi insidiantur, quemadmodum hic nouus Caesar opinatur? Vnde igitur ipsis necis obliuio, & prouinciarum cura? Haec enim mihi pro Senatu obijcere conatur: quemadmodum id euener

euenerit, audite. Cæsare inopine interfecto in Senatu, timor omnes inuaserat, potissimum tamen me, ob Cæsaris amicitiam, & facti huius ignorantiam, non enim coniurationem intellexeram, nec quod ad eam conspirarent, audieram. Populus quippe tumultum concitarat, percussores cum gladiatoribus capitolium ingressi ianuas occluserant: Senatus cum illis aderat, vt nunc etiam versatur clarius, & honores percussoribus veluti tyrannicidis instituerat. Quod si tyrannus habitus fuisset Cæsar, nobis quoque indilate fuisset pereundum, veluti tyranni amicis. Sic mihi à tumultu, cura & timore præpedito, ratio nulla aderat. Impossibile quippe non timere. Id animo scrutantes, facilè cernetis. Vna quidem ex parte audacia incredibili opus erat, ex altera dissimulatione mirabili. Hoc igitur ex omnibus primum erat, reliqua deinde congruebant, honores scilicet his viris decretos abolere. Quod ex meipso facere instituens, Senatui & percussoribus me opposui, & fortissime operatus sum, audacia fretus eximia, periculo me solum obijciens, & nos Cæsaris amicos in tuto esse existimans, si idem minime tyrannus haberetur. Simili itaque pauore & hostes & Senatum detinente, ne si tyrannus non haberetur Cæsar, homicidij causa & ipsi tenerētur, & ob id contendentibus cedere visum est, &

 obliuio

obliuionem necis honorum loco illis contribuere, vt quantum necesse mihi esset ab illis sume rem. Et hæc sunt quanta & qualia, neque cognomen Cæsaris aboleri sinere, quo vno maxime delectatus sum, neq; substantiam eius in publicum deferri, neq; adoptionem, qua nunc potissime iste exultat, dissolui permittere, neq; decreta eius in irritum euadere, corpus sepelire regiè, & honores iampridē illi deditos immortalitati consecrare, & omnia denique ab illo facta, illæsa conseruare, filiumq; eius, & nos vna, amicos, pretores, militesq; in salute tuta cōsistere, & in gloriosa vita pro turpi commendari. Hæc ne uobis minima, aut parua pro necis obliuione à senatu exegisse videor? aut Senatum sine obliuione daturum fuisse arbitramini? Quam syncere illis tradere pro his rebus condignum arbitror, & cum veritate percussorum animis ignoscere ob Cæsaris immortalem gloriam, & nostri salutem, ac tutelam. Quæ tamen non ea voluntate sum executus: sed vt causam in cōtrarium euerterem, ex quo Senatū in ijs quæ vtilia primū fuerant induxi, & vt percussores in quiete consisterent adhortatus sum, & obliuionem non decreto, aut statuto (non enim licuit) sed insigni populi ambitione dissolui, Cæsaris corpus sepulcri occasione in forum efferens, & vulnerum eius multitudinem detegens. Vestem præterea sanguine

guine madentem, & laceram ostentans, ac Virtutem eius beneuolentiamq́; ad populū miseranda oratione in mediū recēsens defleńsq́; Vt occisum deum insuper appellans. Hæc omnia mea opera & Verba sunt, quibus irritatus populus, assumpto igne, cum obitione ad percussorum domos se conuertit, eosq́; ex Vrbe tandem expulit. Et hæc quemadmodum aduersante Senatu, & grauiter ferēte acta sint, confestim ipse ostendit. nam me ambitus primum accusauit, percussoribus prouincias habere concessit. Bruto & Cassio Syriam scilicet & Macedoniam, quæ magnis exercitibus repletæ fuerant: & ne ante statutum tempus accelerare Viderentur occasionem frumenti in Vrbem conuehendi eis detulit. Quamobrem maior adhuc me pauor tenuit, cum nullum priuatum exercitum haberem, & contra tot armatos ipsi inermes procederemus. Collega ad hæc suspectus mihi aderat, & discors continue. nam Cæsari insidias struxisse ferebatur, & in die necis Vt in Vrbe adesset statuisse. Quibus ex rebus Vehementer addubitans, & hostes exarmare festinans, & ab illis ad arma nos transferre, Amatium occidi. Pompeium reuocandum esse cēsui, Vt his adductus Senatus denuo se ad me conuerteret. Nec propterea illi confisus, Dolabellæ Syriam petere suasi, non à Senatu, sed à populo prolata lege: petentiq́; operam & opem

præstiti, vt percussoribus ex amico hostis fieret: & Senatoribus turpe videretur post Dolabellæ concessionem pro Macedonia mihi obsistere. non enim aliter prouinciam eam mihi tradidissent, neque vlterius exercitum in ea existentem concessissent, ni prius Dolabellæ eum permisissent, veluti in Syriã & Parthos profecturo: neque vicissim Cassio & Bruto Macedoniã & Syriam eripuissent, si nullas alias prouincias ad securitatem eorũ præbuissent. Necesse quidem erat pro illis alias tradere: Sed quales pro quibus dederint, cogitate, exercitu vacuas, Cyrenem scilicet & Cretam, quas hostes veluti inutiles eis futuras contempserũt: & in eas quas abstulimus per vim ingredi conantur. In hunc modum exercitus ab hostibus ad Dolabellam translatus est, artibus & machinationibus, & aliarum prouinciarũ traditionibus. sic enim nullis apparentibus armis, legibus operari necesse fuit. His igitur gestis, & hostibus exercitum alium congregantibus, opus mihi erat exercitu, & copijs in Macedonia existentibus: nec in hoc occasionem vllam præuidebam. Interim fama percrebruit, Getas Macedoniam ingressos depopulari. Diffidente Senatu, & exploratores ad hæc præmittente, de dictatoris magistratu sententiam attuli, non licere mihi poscere, aut decreto constituere, aut oblatum magistratum mihi assumere. Qua ex re max:

re maxime allecti, exercitum mihi concessere. ac tunc quidem me primum hostibus parem esse credidi, non his manifestis & cognitis, vt hic Cæsar arbitratur: verum alijs pluribus ac longe potentioribus, & adhuc minime apparentibus. Quibus à me perfectis alius ex percussoribus in lateribus adhuc hærebat, Decimus Brutus, prouinciam nactus opportunam, & copijs ingentibus refertam. quem ego audaciorem contemplatus, Celtas ab eo eripui, Senatus honestate adhibita, cum Macedoniam tradere velle pollicerer exercitu nudam, atque destitutam. Cæterum conquerente Senatu, & insidias iam palā metuente: (scitis enim quot & quanta à multis Decimo perscripta sint, qui consules etiam in me concitare properabant) ego audacius adhuc prouinciam eam Senatus loco à populo per legem petere disposui, exercitum à Macedonia Brundusium adducens, quasi eo ad opportunitates vsuros: quo dijs iuuātibus vtemur, vt necessitates aduocabunt. Sic ex magno timore nos pridem detinēte ad securitatem pertransiuimus, & audaciam in hostes maximā quibus deficientibus, desijt etiam multorum ad eos studium. Considerate igitur quanta illis adsit pœnitentia eorum quæ decreuere, quantus labor mihi affuerit Celtas alij traditos adimere: scitis quæ Decimo scribentes, & quanta vt consules in me

concitarent suadentes, pro Celtis contra me decreuere. Verum cum dijs patrijs, & pia mente, & à nobis recte factis, quorum gratia victoriã Cæsar est adeptus, illi succurremus, corporibus vnà assistentes & animis afferentes opem. Hæc à me gesta commilitones adhuc secreta esse volueram: quemadmodum autẽ acta sint, vobis retuli, quos ego & opere & verbo in omnibus participes esse volui. Alijs igitur è vobis si quis ignorarit, dicitote, Cæsare excepto, qui ad omnia erga nos est ingratissimus.

Hæc referente Antonio, primoribus exercitus clare innotuit, eundẽ omnia ex vehementi in percussores odio in Senatu peregisse, decreuereq́ cum Cæsare iterum eum conciliare. Persuasis itaq́ ambobus, denuo in Capitolio vnà conuenere. Non multo post Antonius nonnullos ex custodibus corporis sui ad amicos attrahit veluti ministros à Cæsare in eum per insidias instructos, siue calumniæ causa id ageret, siue re ipsa adductus siue à Cæsare ad exercitum eius præmissos cognouisset. & id facinus ad aggressionem corporis sui meditatum referens, subito in populo tumultum concitauit, ita vt indignatio simul sequeretur. Pauci quippe, quibus ratio maior inerat, id opus Cæsari conferre lætabantur: Antonium quidem lædentem facilè superare posse, qui percussoribus tremendus esset. Defuncto verò eo, audacius

in

in omnes illos insurrecturos esse, qui à Senatu inuehrentur. Sic enim prudentiores existimabant. Plerique autem insipientes qualia per singulos dies Cæsar contumelijs & dispendijs affectus pateretur, non ab re calumnias huiusmodi fieri arbitrabantur: neque æquum porrò aut tolerabile existimabant, Antonium consulatu perfruentem, insidijs ab illo peti. Cæsar igitur ad sic se habentes cum ira & furore aduolans, clamabat insidias ab Antonio sibi inferri ob amicitiã, quam in populo habere eum solum existimabat. Amplius Antonij fores percutiens, eadem magnis clamoribus intonabat. deos testes inuocans, execrationes omnes efferens, Vt ad iudicium accederet prouocabat. Nemine Vero prodeunte, ab amicis, inquit, tuis iudicari postulo. & his dictis intra domum progressus est. Prohibitus subinde, iureiurando conqueri cœpit, & qui circa fores erant, insectari, quòd Antonium redargui ab eo prohiberent. Discedens demum in populo testatus est, si quid mali pateretur, ab Antonio sibi dolo infligi. Quibus cum inuidia in publicum elatis, multitudo ingemuit, & quædam illi prioris opinionis pœnitentia accessit. Erant & qui tunc ambigentes, neutiquam fidem Vtrique impenderent. Simulationem alij in his quæ fierent, adesse existimarẽt, & ob ea quæ in templo Vnà statuissent, hæc

x 4 inter

inter se aduersus hostes machinatos esse crederent. Nonnulli Antonium hæc ipsa meditatum fuisse cogitabant ad occasionem custodiæ maioris ineundæ, aut quò Cæsari suffragia adimeret. Cum deinde Cæsari à quibusdã occulte præmissis nũtiatum esset, exercitum qui in Brundusio erat, necnon eos qui in colonias deducti fuerant, ira in Antoniũ efferri, quòd Cæsaris interitum negligeret, ipsos in vindictam paratos esse si quid licuisset, Antonium autem ob hæc Brundusium venisse: veritus Cæsar ne cum exercitu rediens Antonius, eum omni custodia destitutum caperet, pecunijs assumptis in Campaniam processit, ciuitatibus quæ sub patre conditæ olim fuerant, vt militiã secum inirẽt persuadens, vt Celatiam primũ, deinde Silium, quæ vtraq; ex parte Capuæ finitimæ aderant, sibi adiungerent. Sic vnicuiq; drachmas pollicitus quingentas, ad decẽ millia hominum in vnum coegit, neq; sufficienter armis instructa, neque in legiones aut cohortes distributa, sed vt ad corporis custodiam sub vno vexillo allecta. Qui verò in vrbe aderant, Antonium cũ exercitu redeuntem metuentes, cum Cæsar aliò aduentare diceretur, in duplo formidabant. Quidam igitur vt in Antonium insurrecturi, Cæsari se coniunxerant. Nonnulli conciliationes inter eos iampridem in Capitolio factas mente repetentes, hæc

omnia

omnia ad simulationem quandam referebant, & retributionem Antonio potestatis esse, Cæsaris in percussores vltionis existimabant. Sic ipsis trepidantibus Carnutius quidam Tribunus qui Antonio aduersabatur, & ob id Cæsari amicus fuerat, Cæsari occurrit. Cuius perspecta mente populo clarius annuntiat, Cæsarem vt Antonij hostem aduentare, necesse esse ipsis ambigentibus pro Antonij tyrannide, Cæsari se coniungere, cum exercitum alium in præsenti nullum habeat. Hæc effatus, Cæsarem ante vrbem in templo Martis commorantem, quod per quinq; & decem stadia haud longe aberat, ingredi iubet. Cū ingressus esset, in templo Pollucis Castorisq́; cōsedit. Templum verò circundedere milites palam gladijs accincti. primus Carnutius in Antonium fari cœpit. Ille patris sui memoriam cunctis subijcit, & quæ ab Antonio idem patiatur edisserit, qua ex causa coactus fuerit exercitum pro eius custodia in vnum comparare, cum ad omnia patria obsequi & inseruire promptus sit & nūc in Antonium paratus. Hæc loquente eo, & iam concionem dissoluente, exercitus in oppositum pro reconciliatione Antonij & Cæsaris præmissus aduentat, vel ad solam duntaxat Cæsaris custodiam, & in percussores apparatus, Quamobrem indignè ferre visi milites hæc in Antonium dici, qui eorū imperator esset, &

 consul

consul simul existeret. At illi ad eorum domos quasi arma sumpturi demitti postulant. Non enim alijs quàm proprijs armis indigere, quod vere dixisse videbantur. Cæsar interim magna dubitatione afficiebatur, in cõtrarium ac putabat rem euasisse intuens. Sperãs itaque eos suasione potius quàm vi superare posse, occasioni statim cessit, & hos quidem ad sumenda arma, quosdã simpliciter ad propria redire iussit, ac mœrorem cõtegens, reditum laudauit omnibus, nouis quoque donis insigniuit, & adhuc liberalius velle facere est pollicitus, & ad occurrentia, eorum opera in primis vti, veluti paternis amicis, potius quàm militibus sibi obnexijs. Hæc dicens, mille duntaxat, aut ter mille ex decem millibus vt manerent, à cæteris diuisit Dissidentibus autem illis ob numerum, reliqui tunc quidem abiere. Laborum deinde agricolationis memores, vtilitatumque militiæ, pollicitationum ad hæc Cæsaris, & suasionis eius ad quæcunque libuisset, munerum quoque quæ accepissent, in futurumque suscepturos se sperarent, vt populorum inexpertorum mos est, eos pœnitere cœpit, & ex occasione ad honestatem cõuersi, se armis instruxere, & ad eum rediere denuo. Ille nouis pecunijs assumptis, Rauennã & finitima quæque peragrabat. Alijs insuper alios ad militiam adijciens Aretium ire iussit. Antonio interim ex quinque

legio

legionibus, quæ in Macedonia fuerãt, quatuor Brundusium omnino peruenere, & hæ quidem conquerentes quod Cæsaris necem minime vlcisci pergeret, nulla laudatione habita, ad tribunal ire suadent, veluti de ea re quãprimum ad eos orationem habiturus esset. Eam taciturnitatem permolestè ferens Antonius, nequaquam iram cohibere potuit, verum ingratitudinem eorum improbauit, quòd à Parthis, ad quos delecti fuerant, in Italiã acciti essent, nec vllum testimonium charitatis huius reddidissent. Questus est insuper, quòd viros à iuuene proteruo, quem Cæsarem appellant, ad dissensionem eorum missos, ad se non adduxissent, sed ipse eos solus inuenisset. Exercitum verò ad prouinciam ex decreto sibi traditam, Celtarum gentem vberem & beatum ducere, & singulis ibi assistentibus, drachmas centum elargiri statuisse. Eam vocem milites, vt pusilanimem, irridere cœperunt. Cum turbaretur ille, adhuc magis tumultuari & discurrere perseuerabant. Quamobrem exurgens hoc solum iratus protulit, Sub imperio regi cõdiscite. Deinde seditiosiores à Tribuno quodam deposcens (mos enim Romanis in eorum exercitibus olim fuit, sigillatim per numerum quosque describere) lege militari sortitus est, neque decimum quenque, sed partem eorum interfecit, ratus hunc in modum ob

pane

paucitatem eos deterrere. At illi minime conterriti, maiori adhuc odio atq; ira ferebantur. Quæ intuentes qui à Cæsare ad seditionē præmissi fuerant, libellos plurimos in Antonij exercitum emittunt, & pro eius auaritia, crudelitate, ac Cæsaris primi memoria, ad Cæsaris noui opem, dona ac liberalitatem milites inuitant. Eos Antonius summa diligentia perscrutari nixus si quis occuluisset, pœnam comminatus est. Verum cum neminem deprehenderet, maiori adhuc exæstuabat ira, quasi ab exercitu omni tegerētur. Intellectis deinde his quæ in colonijs, ac Romæ à Cæsare dietim fierent, animo cōmotus exercitum denuo his verbis allocutus est. Conturbarer equidē ob ea quæ militari necessitate gesta sunt ô viri, paucis quibusdam plurium loco per legem interfectis, ipsis clare intelligentibus neque crudelem, neq; pusillanimem esse Antonium, nisi quod peccatis & supplicijs iam abunde satiata à me discessit inuidia. Cētum quippe drachmas, non dono vobis tradere (nec enim id Antonij fortunæ congruum) sed veluti primæ inter nos cōgressionis professionem quandam, non donum exhibere volui, ac sic lege patria, & militari, in his, & in cæteris mihi bene fidere superesse vobis. Sic Antonius elocutus est, nihil muneri tamen addidit, ne imperator ab exercitu vinci videretur. illi siue pœnitentia, siue timore ducti,

ducti, id ipsum susceperunt. Ex his ordinum primores, vel seditionis ira, vel alia suspicione motus, permutauit. Reliquos verò, & quæcunque alia ad opportunitates suas transtulit: & exercitum per partes iuxta mare Ariminum properare iussit. Ipse ex omnibus desumpta cohorte militari eorum qui corporibus & obsequio præcellerēt, Romam profectus est, vt exinde Ariminum vicissim graderetur. Ingressus est autem superbe admodum cohortem ante vrbem statuens, & qui circa se fuerant, succinctos ducens, & noctu circa domum ad custodiam armatos continens. Insignia etiam illis tribuit, aderantq; veluti in castris custodia per vices posita. Coacto in vnum Senatu, vt de his quæ Cæsar egerat, ad eū quereretur, ab ingressu statim intelligit, ex quatuor legionibus eam quæ Martia appellabatur, ex itinere ad Cæsarem iuisse. Ipsi porrò ingressum cohibenti, & addubitanti plurimum, denuo annunciatur, legionem eam quæ quarta dicebatur, Martiæ in morem ad Cæsarē vicissim transiuisse. Quibus vehementer territus, Senatū quidem ingressus est, quasi ob alia eum cōuocasset: ac pauca præfatus, subito ad portas transijt, vt ab illis Albam profectus, deficiētes quosq; reuocaret. Reiectus deinde à muris iterū retrocessit, & ad reliquas legiones misit, quingentas drachmas vnicuiq; dare pollicitus. Ipse cum his qui aderant.

rant, Tybur vsque progreditur, apparatum habens his qui in hostes tendunt, consuetum. Iam enim bellum clare imminebat, Decimo Celtas nequaquam deponente. Eo igitur in loco assistenti, Senatus ferè omnis, ac plurimi equitum cum honore accessere, ex populo quoque pars non contemnenda, eúmque iusiurandum à militibus qui aderant sumentem offendentes, & ex his qui pridē cum illo militauerant, multos accurrentes (magnum quippe id erat) sponte & ipsi iusiurandum præstitere, neutiquam fidem & beneuolētiam, quam erga Antonium habuerant, omissuros esse, ita vt nonnulli trepidarent, qui pauloante in concione noui Cæsaris, Antonium calumnijs insecuti fuerant. Sic ille splendide admodum Ariminum præmissus est. quo in loco Celticæ prouinciæ initium adesse noscitur. Fuitque illi exercitus exceptis vouiter delectis legionum trium nuper è Macedonia ad eum profectarum. iam enim illi residuum aduenerat. Commilitabant præterea nonnulli ex veteranis, qui tyronibus in duplo potiores habebantur. Sic Antonio bellicosissimorum virorum legiones quatuor adhæsisse referuntur, & quantum auxiliatorum subsequi consuetum est, custodum præterea corporis, & nouiter electorum illi affuisse constat. Lepidus verò quatuor in Iberia legiones habens, Asinius Pollio duas, & Plancus in altera

Celtarum prouinciæ tres, Antonij partes electuri videbantur. Cæsarem autem duæ similiter legiones delectorum sequebantur, quæ ab Antonio ad ipsum transierant. Tyronum item vna, duæ ex primis cum eo militantibus, nec hæ numero perfectæ, aut armis instructæ omnes, sed ex nouiter delectis suppletæ fuerant. Omnes igitur Albæ in vnum congregãs, ad Senatum misit. Ille verò, vt in re ambigua, iterum ad Antonium deflexit oculos. Ac tum quidam assuere, qui Antonium præponerent, permolestè ferentes quod non ad Senatum, sed ad Cæsarem legiones diuertissent. Simul deinde Cæsarem, eásque laudantes, pollicentur non multo post quid facto opus esset, ex decreto velle statuere, cum primum noui magistratus ad agẽda processissent. Iam enim clarum erat, eorum ope aduersus Antonium vti velle: cúmque exercitu proprio carerent, neque sine autoritate consulum deligere liceret, omnia ad nouos magistratus referre cupere. Cæsari exercitus, secures, virgásque ex ordine paratas, vt Imperatori aduersum militanti, & belli duci præferri suadebat, ipsis sub imperatore continue degere assuetis. Ille honore collaudato, rem ad Senatum deferri admonet. Cúmque ad eum turmatim aduolarent, vltro inhibuit, oratores etiam compescuit, quasi Senatus ea per se esset consulturus, potissimum, inquit,

inquit, cum vestram promptitudinem, hesitationem meam intellexerit. Quibus vix tum facilè repreßis, ducibus præterea suspicionis se insimulari conquerentibus, ita retulit, Senatum non beneuolentia eius, sed Antonij timore in eum inclinaturum esse, exercitus etiam inopia adductum, quoad nos, inquit, Antonium cōfecerimus, & percussores amici & cognati eorum qui in Senatu sunt, vires compararuerint. Quæ ego animaduertens, senatui obsequi optimum existimo, neque simulatione m prius aperire eorum pro quibus imperium nobis sub contumelia aut violentia infamia queat adimere. Obsequentibus certe nobis, fortasse idipsum facile concedet, timore ductus, ne id per vim nobis vindicemus. Talia effatus, legiones duas quæ ab Antonio ad ipsum pertransierant, inuicem certantes contemplatus est spatio inter se distantes, & omnia belli opera, nullo respectu habito, sola excepta nece peragentes. Quo spectaculo lætatus, & huic occasioni perlibenter sese inferens, alias quingentas drachmas vnicuique elargitus est, & siqua belli neceßitas interim ingrueret, victoribus quinque millia est pollicitus. Sic Cæsar munerum liberalitate mercenarios sibi vendicabat. Et hæc quidem in Italia agitabantur. In Celtis verò Decimum Antonius in Macedoniam transire suadebat, vt

populo

populo obsequeretur, & sibi ipsi vicissim parceret. Ille econuerso literas à Senatu perornate sibi scriptas ad eum emittebat, quasi pr populum sibi cedere nō magis honestum foret quàm Antonio per Senatum. Antonio diem præfinitam statuente, qua vt in hostem vti posset, longiorem sibi Decimus definiri petit, ne celerius Senatui hostis fieret. Antonius facile eo superato, cum in campo adhuc esset, ad ciuitates ire properat, à quibus admissus est. Veritus igitur Decimus ne ab omnium prohiberetur introitu, literas à Senatu redditas sibi fingit, quæ illum cum exercitu Romam propere euocent. Eo modo in Italiam conuersus ire pergit. Recipientibus illum cunctis veluti redeuntem vsq; Mutinam progressus est vrbem felicissimam, ac statim portas occludi imperat. Mutinensium omnia ad victum necessaria in medium afferri, iumenta ad currus debita immolari, & sale condiri iubet, ne forte obsidio in longum traheretur: eóque modo Antonium opperiri pergit. Copiæ illi aderant haud contemnendæ, gladiatorum manus ingens, armatorum legiones tres, ex quibus vna nuper militantium & inexercitatorum fuerat, duæ felicissimæ, quæ prius cum eo stipendia meruerant. Antonius cum ira in eum delatus, Mutinæ vrbem muro fossaq; præcinxit, sic vt Decimus obsidione premeretur. Interim Romæ

consules anniuersarij mensis initio creati Hircius & Pansa, Senatum subito ad sacra, & in ipso templo contra Antonium conuocant. Cicero nempe, & amici eius eundem à Senatu hostem iudicari, his potissimum ex causis vehementius vrgebant, quòd Celtarum prouinciam Senatu inuito ad patriæ oppugnationem per vim armis inuasisset, & exercitum in Getas illi ascriptum, in Italiam deduceret. Adijciebatur ad hæc, quòd aliam cum Cæsare dissensionem iniisset palàm in vrbe, tot primoribus exercitus stipatus, & domum veluti arcem quandam armis signisque præmuniês, ad cætera ipsis superbior, quàm annua potestas ferret, videretur. Lucius autem Piso, qui Antonij peregre existentis partes tuebatur, vir inter Romanos apprime insignis, & quicunq; alij ob ipsum, vel propter Antonium, aut propriam sententiam illi adhæserant, Antonium in iudicium vocari deposcebant: Non enim ex patriæ moribus congruere aiebant, hominem inauditum iudicare, neque condecens, eum qui heri consul extitisset, cum laudem mereretur, insequentem diem conuitio persequi. Alij verò, & Cicero in primis, aduersus hæc verbis nitêbantur. Senatores autem, quibus hæc sententia haudquaquam grata fuerat, rem vsq; in noctem produci deposcebant. Illucescente die ob eam causam in Senatum conuenerant: quo in

loco

loco instante Cicerone, eiusq́; sequacibus, Antonius hostis esset iudicatus, nisi quòd Saluius Tribunus rem in sequētem diem differendam censuit. Inter cæteros nempe magistratus, præ omnibus potentissimus ad prohibendum est Tribunus. Quamobrem Ciceroniani omnes contumelijs vehementius in illum inuecti sunt, & populum subinde discurrentes in eum concitabant, Saluium quoque ad illum prouocabant. At is interritus quocūq; in loco præsto aderat, donec à Senatu est prohibitus, verito, ne populum in memoriam Antonij, exercitum in diuersum conturbaret: cum minime ignoraret, virum illum ante accusationem plurimum illustrem extitisse, nec quia populus Celtarum prouinciam illi tradidisset, sed pro percussorum venia & salute succensebat, maxime quod proposita iniuriarum obliuione, populum in eum concitasset. Eam ob causam & ipse Cæsaris opera in illum vtebatur. quæ Cæsar haud ignorans, se Antonium quamprimum oppugnare prædicabat. Hac ratione Senatus Antonio subiratus est. Sortibus itaque propositis, vt primum à Tribuno concessum est, Decimum laudibus prosequendum statuunt, qui è Celtarum prouincia Antonio minime cessisset. Consulibus porrò Hircio & Pansa, Cæsarem vnà militare cum his quas haberet copijs edicunt: statuam illi ex auro apponendam fore, sententiam

inter consulares asserre posse, consulatum petere per decem ante annos, quàm ex lege liceat, indulgent: Legionibus quæ ab Antonio ad eum transiuissent, tantumdem à populo impendi debere, quantum victoribus Cæsar promisisset. & hæc ex decreto statuentes recessere. Cum verò Antonium re ipsa, vt apparuit, hostem iudicatum, ac Tribunum in sequentem diem nihil aduersantem intueri datum est, Antonij mater, & vxor, filiúsque adolescẽtior adhuc, aliíq; necessarij & amici per vniuersam noctem potentiorum domos percurrere, illisque supplicare, per diem verò in Senatum venire, cunctos molestia afficere, & ad eorum pedes cum fletu & eiulatibus se prosternere non cessabant, nigra veste ante fores acclamãtes. Quibus illi exciti ob clamorem, aspectúmq;, ac rei nouitatem tam inopine factam, flecti mitigarique cœpere. Huius rei causa pauefactus Cicero, Senatum in hunc modum allocutus est. Quæ circa Antonium cognoscenda fuerant, Patres conscripti, heri abunde percepta sunt à vobis. Quibus enim hostes eius honorauimus, hisipsis eundem hostem indicauimus. Saluium verò solum impedimentum quoddam obiectum nobis, vel inter omnes omnino prudentiorem iudicare necesse est, vel amicitia commotum vel præsentium potius rerum ignorantia hæc efficere. Ex quo turpissimum nobis indico, si

omnes

omnes Vnico homine, & hoc quidem Saluio indoctiores habeamur: aut Reipublicæ beneuolentia superior nobis sit, quæ præsentium ignorantia maximè laboret. Mihi quidem, consulibus ante ipsum, ac prætoribus, Tribunisque collegis eius fides Videtur adhibenda, cæterisque Senatoribus, qui tot in hoc ordine, & dignitate & numero per ætatem quoque & experientiam longe Saluio Antonium magis norunt. Est enim in iudicijs publicis & causis id plurimum quod iustum est. Verum si denuo causas intelligere necesse est, breuiter expediam, & quæ principaliora sunt, memoriæ subijciam. Defuncto Cæsare pecunias publicas sibi Vendicauit Antonius: Macedoniæ deinde administrationem à nobis sumens, in Celtas sine consensu nostro profectus est: exercitum contra Getas sibi traditum eorum loco in Italiam contra nos inuexit. Hæc Vtraque in nos ad insidias expostulans, cum adipisci non posset, per seipsum nactus est. Cohortem regiam in Brundusio ad custodiā suam delegauit, ita Vt ipsum palàm ferro accincti intra Vrbem circunstarent homines, & noctu sublatis signis custodirent. Eduxit deinde à Brundusio exercitum alium ad omnia promptiorem in Vrbem, cum ad ea aspiraret quæ Cæsar concupisset. Verum à nouo Cæsare cum exercitu alio præuētus, ac timore correptus, ad Celtarū prouinciam se con-

 uertit,

uertit, veluti commodiorem in nos habiturus aditum, quoniam Cæsar eo ex loco & ipse contra nos inuectus, nobis imperauit. Exercitum præterea ad hæc terrefaciens, vt ad omnem iniustitiam & crudelitatem eius adhæreret, forte delectos morte mulctauit, cum nec seditionem excitassent, non custodiam aut ordinem in bello reliquissent: quibus etiã militaris lex sic se habentibus punitionem quandam solet definire. Ex his pauci maximis solũ in periculis, & casibus, necessitatéque visi sunt. Hic autem ad vocem & risum ciues ad mortẽ deduci imperat, mortem inquam non deprehensorum, sed electorum potius. Itaque qui potuere ab eo discesserunt, quos veluti benemeritos hesterna die donis exornauimus. Quibus autem discedere non licuit, hi sunt qui timore ducti cum illo latrocinantur, & hostium in modum prouinciam nostram inuadunt, & exercitũ nostrum ac ducem obsident. Et cui vos, vt in prouincia Celtarum moraretur præscripsistis, eum Antonius exire iubet. Vtrum igitur nos Antonium hostem iudicauimus, an Antonius ipse hostiliter nos aggreditur? & Tribunus noster hæc adhuc videtur ignorare, quoad Decimo deuicto prouincia tam ingens: & nobis finitima, & vltra prouinciã Decimi exercitus contra spes nostras Antonio accesserit. Tunc quidem, vt videtur, Tribunus eum hostẽ iudicabit

cùm

cùm nobis potentior longe extiterit. Hæc cum perorasset Cicero, amici eius tumultu excito, neminem in contrarium dicere sinebant, donec Pisone assurgente, reliquus Senatus eius reuerentia commotus silentium tenuit, vnáque Ciceronis amici siluere. Tunc Piso ita fari orsus est. Lex quidem (Patres conscripti) reum audire admonet. Audite itaque, & pro eo respondentem iudicate. Potentissimum quippe ad perorandum Ciceronem adesse postulo, qui præsente Antonio accusare non audet, absente verò eo crimina non cessat afferre. Ego maxima ex omnibus, & quæ ambigua sunt facile transiliens, breuibus ea falsa esse ostendam. Pecunias Antonium publicas post Cæsaris necem sibi vendicasse dicit: lege furem eum, non hostem decernente, & pœnam illi damni statuente. Cum Brutus Cæsarem interemisset, & in populo de his palàm conquestus esset, quoniam Cæsar pecunias abstulisset publicas, & ærarium nobis inane reliquisset, Antonius paulopost eas inquiri debere statuit, vobis sententiam eius approbantibus, & publicè idipsum proclamari facientibus, præmium quoque his qui indicassent, decimam omnium pollicentibus. Itaque siquis Antonium de his accusare pergit, in duplo easdem vobis persoluemus: & hæc de pecunijs abunde dicta sint. Cæterum

autem prouinciam minime nos Antonio decreuimus, verum populus ex lege sibi contulit, Cicerone assidente, quo more & alia plerunque alijs tradidit, & hanc ipsam prouinciam olim Cæsari concessit. Pars itaque legis habebitur, Antonium prouinciam sibi ascriptam deposcere, ac Decimo non parenti inferre bellum, & exercitum nondum aduersus Getas motum, in Celtis contra eum qui sibi obsistat, inferre. Verùm Cicero Decimum nequaquam hostem esse existimat, qui contra legem armis obluctatur: Antonium verò hostem esse putat, qui pro lege bellum gerat. Sin legem eam damnat, eos vicissim qui legem tulere, condemnet necesse est: qui tamen dehortandi fuerant, non autem contumelijs insectandi: neque prouinciam Decimo committendam esse consulere debuit, quem populus ob Cæsaris necem expulisset: Antonio verò non committendam esse, cui populus eam tradidisset. Non enim bene consulentis est, aduersus populum velle contendere, his maxime temporibus dubijs atque periculosis: neque obliuioni tradere quod ad populum in primis pertinet: amicos, hostésque discernere. Solus quippe ex priscis legibus populus ipse imperator est belli, pacísque tractandæ, quorum nihil populus nobis edixit, aut imposuit, præfecto assistente. Cæterùm nonnullos ex militibus occidit Antonius cum impera

imperator esset, & à nobis ex decreto constitutus. Nullus certè imperator huiusmodi iudicium subijsse noscitur. Non enim Vtile nobis leges putauere, imperatorem militibus in iudicio esse obnoxium: nec insuper æquum fore, si quod in bello constitutum est, id ab Vllo negligatur: ob quæ etiam qui Vicere, nonnunquam interempti sunt: nec in eos qui supplicium sumpsere, quisquam inuectus est: nec in præsenti cognatus quispiam aut necessarius, sed Cicero solum queritur, & necem eorum improbans, honorum loco qui interfectoribus impendi solent, Antonium communem hostem decerni iubet. Antonij Verò quemadmodum exercitus nullo ordine turbatus sit, & imperatorem suum contempserit, satis indicant duæ legiones, quæ ab eo perfugere, quas Vos cum eodem militare decreuistis, nunc præter militarem legem ab eo transfugæ, non ad Vos, sed ad Cæsarem Venere, quòd Cicero simul commendauit, & ex publico mercedem heri dari persuasit, ne Vos id exemplum aliquando conturbaret. Ita Ciceronem ad insaniam propria perduxit inimicitia. Antonium etiam tyrannidis accusat, quòd milites supplicio affecerit, qui continuè insidias meditati sunt: qui Verò exercitum curant, puniri non consueuerunt: nec alium Antonio post Cæsarem principatum Veluti tyrannicum potuit obijcere. Itaque de

singulis hunc in modum interrogare eum libet. Quem veluti tyrannus inauditum occidit Antonius, qui nunc inauditus in periculo constitutus est? quem ciuitate expulit? quem ex nobis condemnauit? Vel adeò in singulos potens non omnibus struxit insidias? Quando hæc ò Cicero fecit Antonius? an cum actorum obliuionem confirmauit? Vel cum neminem nece prosecutus est? Vel cum publicas pecunias inquirendas esse censuit? Vel cum Pompeium, Pompeij illius vestri filium reuocari in patriam, & ex publico substantiam illi solui persuasit? Vel cum fictum illum Marium inuadens, cæteris insidias struentem interemit? & ab omnibus vobis est collaudatus? Hæc solum propter vos minimè reprehendit Cicero? Vel cum de dictatoris magistratu aliquem referre, aut decernere prohibuit? Vel aduersum obnitētes morte mulctandos censuit? Hæc sunt quæ per duos menses in Republica egit Antonius, cum solus post Cæsarem vrbi præfuisset, cum modo percussores populus inquireret, modo vos futurorum cura perurgeret. Quo tempore si iniquus extitisset Antonius nullum commodius ad agendum fuisset habiturus. Verùm nunquam in contrarium imperio vsus est: an non solus tunc imperio præfuit, cum Dolabella in Syriam profectus esset? Num exercitum in vrbe paratum habuit à

vobis

vobis traditum? Num Vrbis custodiam per noctem tenuit? Num eam custodiam ob hostium egit insidias? Num occasionem necis Cæsaris amici eius & benefactoris habuit, ac populo pergrati? Num aliam domum inuenire potuit cum hostium vereretur insidias? quorum neminem occidit, neminem Vrbe expulit, quinimò illis quantum ex honestate licuit indulsit, & prouincias eisdem datas nulla motus inuidia concessit. Hæc maxima P.C. & dubia in Antonium à Cicerone collata crimina perspicite, ex quo ad accusationem diuinationes quoque adiungit, quòd Antonius exercitum in Vrbem fuerit adducturus, sed metu Cæsaris exercitus Vrbem præoccupantis abscesserit. Quomodo igitur, si hoc solum cogitare viri vobis inimici proprium existimandum est, eum qui venerit, & nullo signo dato contra nos castrametatus sit, non putat hostem? Quomodo igitur pertransiuit Antonius? non ad nos accessit? Nunquid triginta millia in armis parata ducens, ter mille extimuit, quos inermes nullo ordine circa se Cæsar habuit? ad Cæsaris conciliationem duntaxat assistentes: qui cum primum bello decernendum esse cognouere, educentem eum reliquerunt. Sin autem cum triginta millibus accedere veritus est, quemadmodum mille comitatus ad nos venit? cum quibus Tybur quot ex nostris misimus? quod nullo adacti

sacram

sacramento, iusiurandum illi obtulimus? Quanta Cicero praeconia in laudem consulatus ab eo gesti consummauit? Quemadmodum ergo Antonius si haec intellexit, pignora, quae Senatus in conspectu constituta sunt, nobis dereliquit? matrem scilicet, & vxorem, & adolescentem filium, qui nunc deflent illacrymantq;, & non ea quae ab Antonio in Republica gesta sunt, sed potentiam inimicorum eius reformidant. Haec apud vos proferenda duxi Patres conscripti, veluti exemplum quoddam Antonij defensionis, Ciceronisque mutationis. Bene intelligentibus autem hanc suasionem in primis afferam, vt neque in populum, neque in Antonium quicquam inique moliri audeant, neque communibus in rebus inimicitias periculáque conferre, aegrotante Republica, & celeriter ijs qui opem afferant indigente, & qui prius potestatem constituant in vrbe, quam qui ab extra sunt, tumultum inferant, quousque in eam insurgentibus abunde liceat obsistere, & quos libuerit iudicare, & quòd à vobis iudicatum fuerit, perficere poßitis. Quomodo igitur haec erunt, dicet quispiam? Si Antonium ad occasionem aut gratiam populi Celticam sinemus habere prouinciam, Decimum cum tribus quas habet legionibus huc euocabimus, & venientẽ in Macedoniam mittemus, legiones retinentes, & duas quae ab Antonio recessere, pariter

nobis

nobis vendicabimus, quemadmodum dicit Cicero, & has à Cæsare in vrbem accersemus. Sic quinque legionibus nobis assistentibus, cui visum fuerit ex decreto confirmabimus, ad nullius hominis spes inhiantes. Et hæc à me sine inuidia aut ambitione audientibus dicta sunt. Pro his verò qui inconsiderate ac temere ob domesticas inimicitias aut contentiones in nos tumultum excitant, iudices deprecor, vt neq; celeres nimis sint, neque præcipites in viros magnos, & exercituum duces præpotentes quicquam agere, ne ue inuitos in bellum attrahant, sed Martij Coriolani, eorúmque quæ à Cæsare nuper gesta sunt, velint reminisci: quem exercitum vicissim adducentem, & fœdera vobiscum facta prætendentem, præcipitanter admodum hostem iudicantes, re ipsa hostem fore coegistis. Parcite populo, qui paulo ante in percussores Cæsaris inuectus est, neque ad contumeliam eius prouincias gentium his impendere velitis, nec Decimum laudibus extollere, quòd populi legem despexerit: Antonium hostem iudicare, quoniam Celtas à populo suscepit. In quibus bene consulentes necesse est pro his quæ fefellerunt, adhibere animum: consules verò ac Tribunos plures periclitantibus rebus publicis apponere. Sic Piso pro Antonio elocutus est, conuitijs simul & pauore eos incitans, quem apertè causam fuisse

asser

asserunt, quòd Antonius hostis minimè iudicatus sit: non tamen vt Celticæ praeesset, obtinere potuit: nam id ipsum percussorum cognati atque amici timore ducti prohibuere, ne deposito bello in percussores aliquando insurgeret, Cæsari conciliatus. Quamobrem Cæsarem Antoniúmque inuicem contendere illis placuit. Antonium quoque Macedoniam assumere Celtarum loco decreuere. Cætera alia mandata seu temere seu consultò Ciceroni perscribenda, ac legatis tradenda commisere. Ille sententia prolata in hunc modum scripsisse dicitur, Antonium confestim Mutina discedere, Decimo Celticam concedere prouinciam, quæ intra Rubiconem amnem, qui Italiam à Celtis diffinit, sita est. Data est dies ad hac præfinita, in qua Senatus omnia ad se referret. Sic ambitiosè admodum ac minus vere mandata Cicero videtur conscripsisse, non vlla quidem inimicitia, quæ tanta illi cum Antonio suberat, verùm fortuna quadam (vt apparet) publica ad mutationem impellente, Ciceronique insidias iam abinde præstruente. Cùm iam Treboniȷ reliquiȷs allatis, contumeliæ in eum illatæ certior Senatus, haud difficulter Dolabellam hostem iudicasset, Legati ad Antonium missi, cùm ob mandatorum alienationem vehementer erubescerent, nihil locuti sunt, verùm

rum Antonio mandata tradiderunt. Antonius ira concitus, multa in Senatum, multa etiam in Ciceronem protulit, potissimum se admirari dicens, quòd Cæsarem, qui principatum maximè adauxerat, tyrannum ac regem putauissent, Ciceronem verò non putarent, quem Cæsar bello cepisset, nec tamen occidisset. Is autem percussores amicis eius pretulisset, & Decimum olim Cæsari amicum odio insectatus esset, nunc autem necis eius participem diligeret, & illi qui post Cæsarem à nullo Celtas suscepisset, ope assisteret, sibi verò qui à populo eam prouinciam cepisset, inferret bellum. Legionibus etiam quæ ab eo transfugissent, honores tribuendos esse decreuissent: his autem qui cum eo restitissent, minimè decerneret: & militiam non solum apud eum, sed in vrbe corrupisset: percussoribus porrò obliuionem concessisset actorum, quã ego, inquit, confirmaui: & ob id duos insignes viros, Antonium scilicet ac Dolabellam hostes iudicandos esse censet, quoniam quæ nobis data & concessa sunt, habemus: hæc enim vere causa est. Nam si à Celtis, inquit, ab eam neque hostis, neque monarchicus dicar amplius. Hæc autem testor, me obliuionem haudquaquam gratam soluturum esse. Huiusmodi plurima effatus Antonius, respõsum decreto

creto in hunc modum præbuit, Senatui velutì patriæ in omnibus se obsecuturum esse. Ciceroni verò, qui mandata perscripsisset, ita retulit. Populus mihi Celtas ex lege tradidit, ego Decimum legi non parentem à Celtis amouebo, & necis causas repetam ab omnibus, vt & Senatus hoc odium aliquando euomat, quo Ciceronis causa repletus est qui Decimo auxiliatur. Hæc Antonius cum dixisset, subitò rescripsit: ac Senatus statim eum hostem iudicauit, omnémque cum eo exercitum, nisi ab illo discessisset. Macedoniæ & Illyrici nationibus, & vtrisque exercitibus Marcum Brutum præsidere voluit, donec Rempub. meliorem in statum conuertisset. Ille igitur proprio iam fultus exercitu, ab Apuleio etiam partem acceperat: naues ad hæc longas onerariásque in vnum conduxerat: pecunias vsque ad sex & decem millia talentorum summam coegerat: armorum quoque ingentem numerum, quæ in Demetriade à Caio Cæsare iampridem cumulata inuenerat: quibus omnibus vt ad patriæ vtilitatem vteretur, Senatus ex decreto confirmarat. Caßio etiam Syria à Senatu tradita, mandatúmque vt Dolabellæ inferret bellum. Aliјs quicunque prouincias aut Romanorum exercitus ab Ionio mari vsque in orientem continerent, edictum vt Bruto Caßióque parerent. Itaque qui circa Caßium fuer

fuerant, celeri impetu in bellum prodiere. quæ singula Cæsar animaduertens, magna trepidatione fluctuabat animo. Gestorum nempe obliuionem condecentiam quandam humanitatis in eos arbitrabatur, ad cognatorum misericordiam erga viros qui simili honore tenerentur, & has breues ad tempus dignitates eis traditas, ad eorum securitatem pertinere. Sic Decimo Celtas eos confirmasse, vt Antonio notam tyrãnidis inurerent, qua simulatione et ipsum in Antonium educerent. Dolabellam hostem iudicatum, quòd ex percussoribus vnum occidisset: Bruto & Cassio prouincias ad populosiores nationes datas esse: Exercitus plurimos summa celeritate illis additos, pecunias insuper collatas esse, & ducum qui vltra Ionium mare incolunt, duces eos & principes effectos: Et ea omnia ad Pompeianarum partium incrementum clarè pertinere, Cæsaris partes ad nihilum deduci. Huiusmodi itaque artem, quæ in eum veluti adolescentem fabricaretur animaduertens, imaginem quandam & insidias ipsis apponentibus, & veluti ducem in Antonium declarantibus, vt re ipsa exercitum ab illo eriperent suspectam habuit. Consulibus nempe vnà militãtibus, nihil duce aduersum contendente opus esse, solis honores ab Antonio ereptos ex decreto vendicantibus, se autem nulla gloria militaturum apud eos:

Z Postre

Postremò bellum omne in infamiam eius decisurum esse, Senatū sua opera aduersum Antonium uti velle, quoad vires eius contriuisset. Hæc intra se meditatus, nulli patefecit, verū sacris pro imperio sibi tradito rite peractis, his verbis exercitum allocutus est. Hæc enim mihi à vobis non modo nunc commilitones, sed ex quo imperium mihi tradidistis, collata sunt. Nam & Senatus vestri gratia hæc ipsa contulit, vt intelligatis me horum causa ad gratias vobis reddēdas esse obnoxium. quas si dijs bene iuuantibus feliciter agemus, abundè referam. Sic ille exercitum proprium confirmans eduxit agmen. Consulum alter Pansa per Italiam exercitum cogebat. Hircius autem copias cum Cæsare partitus est, & vt à Senatu secretò illi iniunctum fuerat, in partiendo legiones, duas ab illo petijt, quæ ab Antonio ad eum transfugerāt: satis conscius ex omni exercitu has potiores esse in bello. quæ vniuersa Cæsar facillimè concessit. Distributis inuicem copijs, in hyberna simul concessere. Finiente hyeme Decimus iam fame laborabat. Hircius & Cæsar Mutinam propius castra mouent, ne deficientem Decimi exercitum Antonius sibi vendicaret. Vrbe diligenter custodita ab Antonio, Pansæ milites nequaquam cum illo inire bellum, imperatorem expectantes. Equitum pugnæ frequentes inter eos fiebant: & quam

quanquam multitudine Equitum antecelleret Antonius, campi tamen difficultas, qui interlabente fluuio fossis præpediebatur, auaritiam multitudinis eorum defraudabat. Hæc igitur circa Mutinam agitabantur. Romæ verò cum consules abessent, Cicero ad ambitionem gerebat omnia. Nam conciones assiduè aduocabat: arma etiam opificibus sine pretio coactis præparabat, pecunias in vnum cumulabat, & grauiora onera Antonij necessarijs atque amicis imponebat: quæ illi calumniam euitantes promptè conferebant: donec Publius Ventidius, qui cum Cæsare vnà militabat Antonij amicissimus, Ciceronis acerbitatem haud ferendam ratus, ad Cæsaris colonias profectus est, veluti notior apud omnes: ac duas ad Antonium legiones eduxit, Ciceronem quoque in vrbe comprehendere tentauit. Ac tunc statim tumultus ingens exortus est, ita vt multi vxores & filios trepidatione moti ex vrbe educerent, & Cicero ex vrbe vnà aufugeret. Quæ Ventidius intelligens, ad Antonium conuertit iter. Interclusus deinde à Cæsare & Hircio, in Picenum se contulit: & legionem aliam in vnum congregans, euentum rei intentus expectabat. At verò qui circa Cæsarem fuerant, Pansam cum exercitu appropinquare sentientes, Carsuleium ad illum mittunt, qui prætoriam Cæsaris cohortem ac le-

gionem Martiam deduceret, quò illi per angusta transeunti afferret opem. Antonius angustias locorum haud multifaciens, quasi nihil amplius quàm ab accessu eos esset prohibiturus: & pugnæ ductus desiderio, cum equitatu anteiret, per campum palustrem & fossis præpeditum duas ex præstantioribus legiones in occulto collocat versus iter quod angustum & manufactum vtraque ex parte arundinibus circunseptum aderat. Carsuleius cum legione Martia angustijs locorum per noctem superatis, orta luce Martialibus solis ac cohortibus quinque comitatus, iter manufactum quod hostibus vacuum inspiciebatur, ingressus est. Dumq́ue paludem vtraque ex parte perscrutatur (arundinum quippe strepitus suspicionem illi iniecerat) statim clypeos galeasq́ue per arundines emicare videt, & prætoria Antonij cohors ipsis subitò à fronte astitit. Martiales omni ex parte circumuenti, nec vllo ex loco decurrere potentes, eos qui aderant nouiter electos nullam laboris partem subire admonent, vtpote qui illos ob inexperientiam minimè perturbare vellent: ac prætoria Antonij prætoriam Cæsaris cohortem opposuere: ipsi in duas diuisi acies, vtranque legionem aggressi sunt. Et vni quidem parti Pansa præsidebat, alteri verò Carsuleius. Cumq́ue bina paludes imminerent, bina inter eos resultabant

prælia.

prælia, & in arctis constituti, neutiquam se discernere poterant. Et circa transitum prætoriæ cohortes bellum aliud inter se gerebant. Mens quippe Antonij militibus fuit, ex Martialibus veluti transfugis, & ipsorum proditoribus vindictam sumere: Martialibus autem ob suspicionem qua iampridem in Brundusio corrupti fuerant, se de ipsis vlcisci velle: & cum vicissim quod fortissimum foret, vtraque in acie adesse noscerent, facilè eo opere bellum diffiniri posse putabant. Illis porrò verecundia aderat, si duæ legiones ab vna vincerentur: his verò contentio quædam honoris, si vna duntaxat ambas oppreßisset. In hunc modum acriter inter se pugnabant, ira magis ac contentione mutua grassantes, quàm odio imperatorum, cum id opus proprium esse existimarent, ob experientiam verò rei militaris: neque clamorem edidere, quasi non mutuò se percuterent: neque in certamine quisquam emisit vocem, siue vincens, siue victus. Cumq; transitus nullos haberent aut excursus, inter paludes fossasq; cuneatim consistebant, neque alter alterum propellere potentes, ensibus veluti in agone cõplexi depugnabant. nulli ictus frustra emißi, verum vulnera, mortes, suspiriaq; pro voce resonabant: cum qui cecidisset, confestim leuaretur, & alter eius loco opponeretur, nullisq; suasionibus aut adhortatio-

 nibus

nibus opus esset, sed quisque ab experientia sibi esset imperator. Cum vero diu multumq; laborassent, ut in luctationibus mos est, ad respirandum permodicum sibi mutuo auxilia praebebant, nec ulla interiecta mora ad pugnam denuo bellum'que redibant. Pauor ingens obijciebatur nuper electis ad bellum aduentantibus, huiusmodi facinora, quae tanto ordine ac silentio fierent, intuentibus. Cunctis itaque in hunc modum supra naturam humanam laborantibus, cohors Caesaris praetoria ad unum concisa est. Martiales quicunque sub Carsuleio depugnabant, potissimum sibi aduersos propulerunt, non turpiter, verum sensim pugna decedentes. At qui sub Pansa fuerant, eundem penè modum conseruabant, sustinebántque ferè ab utraq; parte aequaliter, donec sagitta per ilia confossus consul Bononiam delatus est. Tum vero qui cum illo steterant, primum pedem retulere, demum terga vertentes arripuere fugam. Quod intuentes ij qui nuper venerant, nullo ordine in fugam abeunt, magnoq; clamore ad vallum se proripiunt, tunc quidem à Torquato quaestore praeparatum, cum perseuerante adhuc pugna necessarium fore existimauisset. Ad eum igitur nuper electi magno impetu vertere gressum, Itali Martialibus in unum mistis. Caeterum eadem natio ad tantam virtutem plurimum

mum ad exercitationem inter se differt. Martiales ob rubore minime vallum ingressi sunt, verum in conspectu eius constiterunt, defessi que impetum, si quis insurgeret, ad extremum belli finem perferre videbantur: Antonius à Martialibus veluti bellicosissimis se continuit. His verò qui nuper venerant, insurgens, magna strage eos perculit. Hircius Mutinæ percepta clade, per sexaginta stadia longe distans, cum reliqua quæ ab Antonio fugerat legione, cursu in eum ferebatur. Iam sol ad occasum vergebat, & Antonij milites victoria potiti, cum cantu in castra ferebantur: quibus inordinatè prodeuntibus Hircius inopinus affuit, integra legione & inuicta constipatus. Illi igitur ex necessitate confestim in ordines sese referunt, ac multa & splendida rei militaris opera ediderunt. Cæterum quanquam potentes, labore oppressi prosternuntur, quorum tamen maior pars Hircij manu confecta est, licet eos minime insequeretur. Verum palustrium locorum metu, insurgente nocte seipsos dissoluerunt. Ex his paludes magna ex parte referta sunt, armis scilicet, cadaueribus & semispirantibus adhuc viris, vulneribus que oppressis. Qui verò integri superfuere, contempto labore, equis discurrentes, quoscunque ex Antonij exercitu inuenerant, nocte tota in vnum colligentes

tes, quosdam eorum loco, alios cum ipsis in equis statuere, & qui à tergo insequebantur circumcurrere, & sibi auxiliari, saluti que propriæ adesse monuere. Sic Antonio feliciter pugnanti, Virtus omnis superueniente Hircio confracta est. Mansit itaque iuxta campum in Villa quadam nullo circunseptus Vallo, quæ Celtarum forum seu Villa nuncupatur. Cecidere prima in pugna ad dimidiam ferrè partem ex Vtroque exercitu. Prætoria Cæsaris cohors integra concisa est. Ex Hircij militibus pauci interiere. Sequenti die Mutinam cum copijs rediere omnes. Erat animus Antonio post acceptam tam insignem stragem nil Vlterius integris moliri Viribus, neque ad se insurgentibus obuiam prodire, sed solis Equitibus continue eos per diem aggredi, donec Decimus extrema fame fatigatus se Vltro traderet; Hircius Verò & Cæsar ob id maximè in pugnam prodire auebant. Insurgentibus ipsis, cum Antonius se in castris contineret, ad aduersam Mutinæ partem, quæ ob asperitatem loci minus custodiebatur, se ambo transtulere, Vt totis conatibus per Vim ingrederentur Vrbem. Tum Verò Antonius solis Equitibus ad pugnam processit. Repellentibus illum hostibus, Equitum pariter auxilio, ac reliquo accedente exercitu ad ea quæ concupierant

rant

rant loca, veritus Antonius ne urbe potirentur, duas legiones in prælium educit. Illi gauisi confestim reuertuntur, pugnamque ineunt. Cæterum Antonio legionem aliam ab exercitibus aliis ciente, cum veluti in re subita & longe distracta moraretur, Cæsar victoriam adeptus est. Hircius in Antonii exercitum ulterius progressus, dum ad prætoria castra depugnaret, tandem confossus in bello cecidit. Eius corpus mira celeritate præueniens Cæsar ab hostibus eripuit, exercitumq; continuit, quoad paulò pòst Antonium repelleret. Noctem itaque in castris peruigilem duxere ambo. Antonius hac secunda prostratus clade, confestim amicos in consilium conuocat. His prima sententia utendum videbatur, ut Mutinam obsidione premeret, nec pugnam ulterius iniret: cladem ambobus esse parem, Hircium interiisse, Pansam ex vulnere periclitari adhuc, ipsos Equitibus longe præcellere, Mutinam ad extremam decidisse famem, ac statim in deditionem peruenturam esse. Hæc ab amicis Antonio consulebantur, & erant quæ proponebantur, optima: Verum deo aliquo mentem eius conturbante, timore correptus est, ne Cæsar quemadmodum anteacta die urbem aggressus introiret, aut ipsum vallo fossaq; præcluderet, operariorum copia abundans, qua in

re equitatum parum utilem sibi arbitrabatur esse, despicient me, inquit, Lepidus ac Plancus bello superatum. Sin ex Mutina descendam Ventidius confestim ad nos ueniet, tres ex Piceno legiones ducens. Lepidus insuper & Plancus fortissimè nobiscum depugnabunt. His dictis non utique in periculis timidus ac contemnendus uir, subitò surrexit, & ad Alpes celeri cursu se proripuit. Decimo ab obsidione liberato, timor Cæsarem inuasit. Consulibus nempe è medio sublatis, eũ uelut hostem formidabat. Pontes igitur fluminis ante diem disiecit omnes. Ille caduceatoribus ad Cæsarem præmissis, salutis suæ authorem testatus est, petijtq́, quoniam fluuium in medio haberet, ad colloquium accedere unà uellet, ex quo testimonio ciuium profiteretur se Fortunæ iniquitate ad conspirandum in Cæsarem prolapsum esse; alijs ipsum inducentibus. Cæsare postulationibus eius cum ira respondente, & gratiam, quam illi se debere Decimus aiebat, respuente: Non enim, inquit, Decimum saluaturus huc accessi, sed oppugnaturus Antonium, cum quo conciliari non impium mihi fuerit. Decimi uerò in conspectum aut ad colloquium uenire, minimè ab ingenio pati possem. Saluet ille se, quoad ijs qui in ciuitate sunt, uidetur æquum. Cum ad Decimum relata essent, stabat enim non lõge à fluuio, Cæsarem

rem vocare cœpit, & vt Senatus literas inspiceere vellet, deprecari, qui Celticæ administrationem sibi concessisset, vetuitque absentibus consulibus pertransire amnem, & in alienam prouinciã excurrere, aut in Antonium conferre signa: se enim ad eum persequendum abunde esse. Illum itaque ad tãtam audaciam à Senatu concitum, cum sine mandato intercipere adhuc posset, omisit, & ad Pansam Bononiam versus iter capiens, Senatui de omnibus quæ gesta erant, ex ordine perscripsit. Idem & à Pansa factum est. Eas literas Cicero Romæ in populo veluti à consule scriptas recitauit: Cæsaris verò in Senatu duntaxat publicari iussit. Supplicationes ob res in Antonium gestas quinquaginta dierum anniuersarias Senatus habendas censuit, quot nec vnquã bello Celtico aut alijs in prælijs decreuere Romani. Consulum exercitus Decimo concessus, quanquam superstite adhuc Pansa, cæterum desperata salute eius, imperatorémque in Antonium solum decreuere. Vota etiam publicè suscepta sunt, si Antonium Decimus opprimeret: tanto in Antonium odio & insolentia ferebantur omnes. Confirmata porrò duabus legionibus præmia, quæ ab Antonio perfugerant, singulis videlicet militibus quæ pollicita olim fuerant ex publico drachmæ quinquies mille, quasi victoribus, concessúmq; solenni

lemnibus diebus corona florida vti posse. In decretis verò nihil de Cæsare relatum est, neque nomen omnino additum: sic statim contemptus habitus est, veluti debellato penitus Antonio. Scriptum præterea Lepido & Planco Asinióque Pollioni, vt cum Antonio proximi forent, cum illo depugnarent. Hæc igitur Romæ agitabantur. Pausa interim ex vulnere morti proximus, Cæsarem sibi asidentem his verbis allocutus est. Ego parenti tuo non secus ac mihi amicus fui: cui, cum interficeretur, opem minimè afferre potui, neque pluribus aduersari licuit, quibus & tu prudentissimè obsecutus es, etsi exercitum haberes. Veriti itaque illi te, ac Antonium ad Cæsaris sententiam procliuem contentiosumque, amborum dissensione lætati sunt, quasi in vnum periclitantium vires proprias. Cum autem te exercitus dominum intuerentur, modicis quibusdam honoribus honestisque simulatione vsi, veluti adolescentem decipere tentarunt. Demum honore adauctum, clarioremque cernentes cum magistratum sub exercitu tibi traditum minimè admitteres, turbati sunt: & te nobiscum ad prælium prætorem statuerũt, vt duas legiones quæ cæteris exercitatiores apud te fuerant, ipsi eriperemus, satis fisi, si ex vobis vnus vinceretur, reliquum infirmiorem ac vnicum tandem futurum esse: eoque modo Cæsaris potentiã bello profli-

profligantes, Pompeij in maius adaucturos fore. Hoc illis totius sententiæ ferè caput. Ego & Hircius, quod mandatum nobis erat adimpleuimus, quoad reprimeremus Antonium suspicione laborantem. Hunc igitur bello superatum, vt tibi reconcilies, optimum putamus esse, veluti ex Cæsaris beneuolentia hanc gratiam tibi reddituri, quod vnicum felicitati tuæ maximè conducere in futurum arbitramur. Hæc quidem paulò antè consulere haud æquum fuit. nunc autem superato Antonio, defuncto Hircio, & me ab humanis discedente, in tempore prolatum est, non vt gratiam morienti exhibeas, sed vt felici sorte procreatus, vt hæc opera ostendunt, quæ ad vtilitatem tuam pertinẽt, intelligas, & meam Hircijq́; electionem pariter ac necessitatem non ignores. Exercitum igitur quem nobis præbuisti & quem optima occasione licet reddere, tibi tradidimus. Nuper verò electos, si quidem assumens continere posses, & hos tibi traderemus: sed cum magna molestia Senatum ob id videantur affecturi, & eorum principes custodes nobis dati sint, quæ res inuidiam in te gigneret, & vltra id quod necesse esset in maius te extolleret, Torquato quæstori prius assignabimus. His dictis cum eos Torquato tradidisset, cessit è vita: quos ille, vt à Senatu mandatum fuerat, Decimo concessit. Hircij ac

Pansæ

Pansa funereis adornata donis Cæsar Romam vt humarentur corpora deferri iussit. Eadem tempestate circa Syriam ac Macedoniam res hunc in modum ferè se habebant. C. Cæsar cum per Syriam proficisceretur, legionem in ea dereliquit, iam tum in Parthos meditatus bellum. Huius cura Cæcilio Basso mandata fuerat. Iulius autem Sextus adolescens adhuc, Cæsaris affinis atque cognatus, legionis dignitatem & nomen obtinebat: quam vt in delicijs vacantem hinc inde fœdissimè ducebat. Qua de re cum Bassus quereretur, contumelijs eum adorsus est, & postremum omnium illum appellans, cum tardius pareret, per quosdam eum compellentes duci iussit. Tumultu edito, cum ad plagas ventum esset, exercitus contumeliam ægre ferens, Iulium gladijs confecit. quod facinus pœnitentia confestim insecuta est, & timor Cæsaris. Iure igitur iureiurando sancientes, nisi si qua fides aut venia illis præberetur, ad mortem vsque depugnare velle, & ad id Bassum inducētes, aliam collegere legionem, cuius auxilio bellum gererent. Sic à quibusdam de Basso relatum est. Alij ferunt Libonem Pompeianæ militiæ participem, qui post cladem in Tyro priuatus degebat, quosdam ex legione corrupisse, qui Sextum interimerent, séque Basso traderent. Vtcunque fuerit, Sextum certè Mulcum, qui

tribus

tribus cum legionibus à Cæsare ad eos mittebatur, fortissimè oppugnarunt, quoad Mulcus Minutium Crispum, qui Bithyniæ præerat, in auxilium vocauit. Is tribus alijs comitatus legionibus, opem allaturus accesserat. Cúmq; iam Bassum obsideret, Cassius celeritate vsus duas Bassi legiones prius sibi asciuit, & quæ Bassum obsidebant, quorundam amicitia traditas, simul intercepit, qui illi vt proconsuli vltro paruere. Iam enim vt prædiximus, à Senatu decretum erat vt omnes Bruto Cassióque parerent. Albinus ad hæc nuper à Dolabella missus in Aegyptum, quatuor legiones è prouincia ducebat, quas è Pompeij clade Crassique dispersas, Cleopatra sub Cæsare collectas retinebat. Hunc igitur nihil suspicantem Cassius in Palestina adortus, legiones sibi tradere coëgit, quatuor legionibus aduersus octo depugnare veritum. Sic Cassius mirũ in modum duodecim legionum imperator confestim effectus est, ac Dolabellam cum duabus ex Asia pregressum, & in Laodiceam ob amicitiam receptum, ipse assistens obsidebat. Quare percepta, Senatus summa lætitia elatus est. At verò in Macedonia Caius Antonius Marci Antonij frater cum Bruto dissidens, bellum agitabat, legionem vnam ex ciuibus secum agens: & Brutum acie inferior obseruabat. Brutus contrà simulata fuga insidias illi

struebat, nihilque congressum hostium excitans moliebatur: quinimo proprijs militibus, vt hostes alloquerentur, & amplecterentur, edixerat. Recusantibus ipsis, neque huiusmodi experimentum admittentibus, ex insidijs tutos permisit abire. Ad alia deinde itinera prouectus, subitò in crepidine quadam emicuit, neque tamen eos aggressus est, verum summa hilaritate suscepit. Illi vt ciuibus mansuetissimum, & ea sapientia & charitatis opinione, quæ ferebatur, præditum intuentes vicissim complexi sunt, & ad eum se conuertere omnes. Caius etiam se illi tradidit, fuitque magno in honore apud eum, donec exercitum eius plerunque corrumpens, cum reprehensus non desisteret, tandem interfectus est. Sic Bruto vltra priorem exercitum sex legiones accessere: qui in Macedoniam transgressus, duas alias legiones in vnum collegit, Italorum more depugnantes. Hæc in Syria Macedoniáque gerebantur. In Italia verò Cæsar Decimum eius loco in Antonium imperatorem electum esse permolestè ferens, ac iram contegens: triumphum pro ijs quæ gessisset postulabat Spretus itaque à Senatu, quòd digniora ætate sua concupisceret, timore correptus est, ne profligato Antonio, magis adhuc ab eo contemneretur: & colloquium cum Antonio efflagitare cœpit, monitis Pansæ cum

vita

vita excederet, mente repetitis. Quoscunque igitur ex Antonij exercitu captos apud se, siue duces, siue milites, humanè pertractabat. Suis quoque concesserat, si quis ad Antonium mittere optaret, quasi erga illum minimè irato esset animo. Ventidio praeterea Antonij beneuolo, atque amico, qui tres legiones deducebat, cum propius castrametatus timorem iniecisset, nihil hostile molitus est, sed vt secum conuenire posset, vel ad Antonium cum exercitu tuto redire facilè permisit, & simul cum eo conqueri mandauit, quòd inscitia ductus vtilitatem communem post haberet. Quibus perceptis Ventidius ad Antonium peruenit. Interea Caesar Decium quendam ex Antonij primoribus circa Mutinam olim captum, in honore penes se habebat. Huic cum ad Antonium, si vellet, redire concessisset, ille verò mentem eius erga Antonium exploraret, multa signa bene intelligentibus ad eum misisse ait, ita vt ignorantibus ne pluribus quidem esset opus. Haec Antonio Caesar innuit, Lepido autem & Asinio quid in eorum contumeliam, percussorúmque elationem actum esset, ad eorum timorem adhuc clarius exposuit, monuitq́; ne ad Pompeianae partis gratiam, ipsi Caesaris beneuoli, paria Antonio singulatim perferre vellent, quae ille ob ignorantiam ac suspicionem timore ductus

aa per

pertulisset. Laudauit itaque, vt honestatis causa Senatui parerent: cæterum ad propriam securitatem, quoad illis fas esset, vna conspirarent: exprobrarent hæc Antonio, & vt sub se militantes imitari vellet admonerent, qui neque se dissoluerent, aut à militiæ labore requiescerent, ne hostibus eorum fierent obnoxij, sed in vnum coniuncti in alienis habitare cum potentia prius cuperent, quàm priuatim in patrijs eorum degere. Hæc à Cæsare, Asinio, Lepidóque annunciata sunt. Interim Decimi vetus exercitus fame confectus, morbo laborabat nam militibus ventres profluebant, ita vt nouus imperator nullo bello inniti posset. Huic Plancus domestico stipatus exercitu, propius accessit. Decimus autem ad Senatum misit annuncians Antonium errabundum nihil aliud quàm venationi operam impendere. Præparata demum classe, Pompeiani hæc ipsa intelligentes, admiratione elati sunt libertatem patriam nunc ab illis vindicari conclamabant, ac sacrificia priuatim ab omnibus fiebãt. Creationes præterea x. virorum ad punitionem Antonij magistratus instituta. Ea autem figura quædam erat abolitionis eorum quæ Cæsar decreuisset. Antonius quippe nulla à se, aut parua quædam, verùm vniuersa ex commentarijs Cæsaris ediderat. Quod clarè intelligens Senatus, nonnulla eorum ex occasione

dissol

dissoluerat. nam omnia confestim demoliri, haud facilè sperabat. Hæc igitur x. viri perscripsere. Si quis quippiam in consulatu suscepisset Antonij, confestim profiteri & annunciari debere. Comminationes etiam non parentibus adhibitæ: Decimum porrò Pompeiani in reliquum anni tempus Pansæ loco & Hircij consulatum postulare suaserunt. Itidem & Cæsar pro se petijt, non ad Senatum, sed ad Ciceronem priuatim mittens: ipsúmque adhortatus est, vt vnà cum eo consulatum gereret, vt is scilicet qui ad principatum ordinandum cæteris antiquior esset, & expertior: se consulis nomine duntaxat contentum esse, quò honestius arma deponeret, quorum causa à principio triumphum postulasset. Quibus ex rebus ob ambitionem elatus Cicero fassus est præsentire se insidias inter duces, qui foris erant, machinari, consuluitque æquum fore, vt huic viro obsequerentur, qui iniurijs affectus plurimis, etiam magni exercitus esset imperator, eúmque præter ætatem in vrbe consulem potius admittendum esse, quàm in armis iratum experiri, ne quid præter Senatus vtilitatem moliri posset: optimúmque sibi videri, aliquem ex antiquioribus, vtpote prudentem, quasi illius adolescentiæ magistrum adhiberi. Quibus ex verbis Senatus illius ambitione perspecta, ridere cœpit. Percussorum

vero cognati & amici veriti ne Cæsar consul effectus supplicium ab illis sumeret. dilationibus in creatione factis, varijs de causis ex lege rem protrahebant. Antonius interim Alpes supergressus est, Culeone ex Lepidi ducibus, qui custodiæ præerat, vt sibi cederet, persuaso. Cum deinde ad fluuium accessisset, quo in loco Lepidus exercitum tenebat, non vallo aut fossa suos circunsepsit, quasi amico propius castrametaretur. Oratores itaque inter eos crebrò commeabant, cum Antonius amicitiam erga illum, gratiásque multiformes memoriæ subijceret, Cæsaris quoque reliquos amicos singulatim post eum ad concordiam venturos edoceret. Lepido verò Senatum formidante, qui Antonium ab eo oppugnari mandauisset, quanquam ille se inuitum ad id compelli diceret, Lepidi exercitus Antonij dignitatem veritus, & nuncios hinc inde commeantes crebro intuens, simplicitatem porrò militum eius admiratus, clam primò cum illis admisceri, deinde palàm veluti cum ciuibus ac commilitonibus versari cœpit. Tribunis id ipsum prohibentibus, spretis illorum mandatis, fluuium, quò facilius in vnũ conuenirẽt, nauibus vtrinque additis, ponte iunxerunt. At legio quæ decima appellabatur, olim ab Antonio regi solita quæ in castris erant, ad obsequium illius præparauit. Id præsentiens Laterensis, vir ex his

qui

qui à Senatu aderant ; illustris , Lepido rem omnem aperit. Verùm illo minus fidei dictis eius adhibente , exercitum in multas partes diuidere, & veluti aliqua ex necessitate emittere suadet . Vt vel proditionis eorum , vel fidei experimentum caperet. Lepidus copias in tres partes diuidens , nocte milites egredi iubet , vt quæstorum , qui proximi adesse dicebantur , custodia assisterent. Illi postrema vigilia egressi , quasi ad iter arma capientes , quæ munitiora castrorum fuerant inuadunt , portásque Antonio reserant. Ipse concito cursu ad Lepidi tabernaculum rectà peruenit , cuncto Lepidi exercitu illum permittente , & pacem misericordiámque à Lepido erga infelices ciues deposcente. Lepidus vt ex lecto prodierat , discinctus adhuc illis occurrit , & eorum petitioni obsequi velle annuens , Antonium complexus est , necessitatémque suam excusauit. Sunt qui eum procidisse coràm Antonio existiment , omnis operis & audaciæ expertem : quod nec ab omnibus scriptoribus admissum est, neque mihi ipsi probabile videtur esse. nihil enim hostile in Antonium peregerat , cuius timore duceretur. Sic Antonius denuo ad summum potentiæ euectus est , formidabilisque adhuc magis hostibus apparuit. Exercitum quidem habuit, quem ex Mutina sustulerat , & cum eo equi-

tatum splendidissimum. Tres præterea legiones cum Ventidio ad iter reperit, & Lepidus simul ad bellum socius accesserat, septem legiones in armis paratas agens, multitudinémque aliam, & apparatum exercitui haud imparem. In quibus omnibus Lepidi nomen præerat, Antonius vero cuncta disponebat. His Romæ nunciatis, admirabilis quædam & subita animorum mutatio insecuta est, alijs ex ea qua prius tenebantur audacia collapsis ad timorem, alijs à timore ad confidentiam elatis: vehementius etiam decemvirorum proscriptiones & mandata cum contumelia explodebantur, & consulum creationes instantius fiebant. Senatores quid agerent incerti, ne in vnum Cæsar Antoniúsque conspirarent, formidabant. Clam itaque ad Brutum & Caßium à seipsis Lucium & Pansam veluti ad spectacula in Græciam proficiscentes miserant, poscentes, vt quoad liceret, statim illis auxilium afferrent, accerserentque è Libya ex tribus legionibus duas, quas Sextius agebat, & tertiam Cornificio ab eo dari postularent, alterius Libyæ prætori, & qui Senatui obsequebatur. Sed cum & hos Caio Cæsari commilitasse intelligerent, & omnia illius suspecta haberent, ob rerum ambiguitatem ad hoc consilium delati sunt, vt quia nouum Cæsarem

in primis Vererentur, ne se cum Antonio coniungeret, pratorem eum denuò in Antonium satis indecenter cum Decimo crearent. Verùm Cæsar aßiduis contumelijs eius exercitum ira sublatum intuens, in eos concitabat, quòd prius quum è prima quinque mille drachmas sibi pollicitas assumeret, ad secundam truderetur expeditionem: docuitque Vt ad Senatum mittentes id milites exposcerent. Illi Verò turmarum duces præmisere. Quibus Senatus cum ad hæc instructos Venisse sciret, quid intenderet, per legatos alios Velle innuere respondit, misitq́ quos ipse Vicißim instruxisset. His mandatum erat, Vt duas legiones quæ ab Antonio recesserant, priuatim à Cæsare conuenirent, edocerént que ne in Vno duntaxat spem apponerent, sed Senatum, qui potestatem immortalem haberet solus, potius sequi Vellent. Accederent itaque ad Decimum, quo in loco pecunias ipsis allatas inuenirent, & hæc simulantes dicere, etiam dimidium muneris ad eos attulisse. Decem præterea Viros ad distributionem creauerunt, quibus nec Vndecimum addidere Cæsarem. Legati legiones separatim à Cæsare alloqui non ausi, infecto negocio reuersi sunt. Tum Cæsar ad exercitum Verba facturus, non interpositis aliorum Vocibus, sed per se ipse loqui statuit. Congregatis itaq́ in Vnum omni-

bus in medium progressus, quas à Senatu contumelias iniuriásque pertulisset, ex ordine disseruit. Insultum porrò in Cæsarianos omnes ab illo factum, cùm singulatim eos opprimere studeret, palàm retulit, monuítque vt sibi ipsis præcauerent concitatis in ducem ex sorte iudicatum hostem, & ab alijs ad alia compulsis bella, vt vel funditus interirent, vel adinuicem contenderent: nam prælium apud Mutinam commune omnibus, duabus solum legionibus attributum esse, vt eas ad seditionem, rixámque concitarent. Nostis quippe, inquit, ob quæ Antonius nuper debellatus est, qualiáque in vrbe Pompeiani subinde moliti sint contra nonnullos qui munera à Cæsare sumpserunt. Quid igitur tutum vobis futurum creditis eorum quæ ab illo suscepistis, agrorum scilicet, pecuniarum, aut salutis meæ, percussorum cognatis atque amicis in Senatu dominantibus? Ego finem qui mihi obuenerit, vltro admittam. Optimum quippe pro parente depugnantem pati: pro vobis verò tot talibúsque viris, mei & parentis gratia periclitantibus in vnum, non mediocriter timeo. Me siquidem ab omni ambitione vacuum esse scitis, ex quo ducem à signis, vobis statuentibus non admiserim. Vnum autem nunc solum video vobis mihique salutare, si consul vestra ope declaratus sim. Quæ enim à parente meo

vobis

Vobis præbita fuere, firma permanebunt. Colonias quæ adhuc debentur Vobis, assequemini, & præmia Vicißim nanciscemini integra. Ego percussores in causam agens, alia Vobiscum dissoluam bella. Quibus dictis exercitus promptißimè Vocem extulit. Tunc igitur turmarum duces iterum ad Senatum mittendos statuere, qui consulatum Cæsari dandum postularent. Senatu ætatem eius accusante, illi quæ edocti fuerant exponunt: Coruinum iampridem ætate iuniorem gesßisse consulatum: dehinc Scipiones, primum ac secundum, cùm Vterque adolescens adhuc esset, multa patriæ adeptos esse. Ad notiora deinde progreßi, Pompeium magnum, Dolabellámque protulere, ipsi etiam Cæsari per decennium ante tempus concessum esse Vt consulatum peteret. Hæc ducibus confidentißimè referentibus, non sustinentes quidam ex Senatorum numero turmarum duces tanta audacia inniti, obstrepere illis cæperunt, quasi præter militarem modum honestatémque loquerentur. Quæ cùm intellexisset exercitus, maiore adhuc ira flagrare cæpit, séque ad Vrbem deduci conclamauit, Veluti Cæsaris filium singulari alia electione facturum consulem. Multis deinde laudibus superiorem Cæsarem ornare pergit. Quem cùm Cæsar tanto impetu efferri Videret, confestim ab ipsa con-

gregatione octo peditum legiones, equitatúsque sufficientem numerum, & quæcunque alia op- portuna legionibus ad iter mouet, superatóque Rubicone fluuio, ex Celtica in Italiam quemadmodum & parens eius, ad ciuile bellum pertransiuit, copias omnes in duas partitus acies, ex quibus primam paulatim subsequi iussit, alteram quæ potior fuerat, celeri gressu secum duxit, imparatos adhuc deprehendere festinans. Et iam pecuniarum pars obuiam ipsis ferebatur, quas Senatus ob militum præmia præmiserat. Veritus itaque latores earum Cæsar, clam emittit qui illos deterrerent. Qua ex causa pecunias retroferentes, abiere fuga. Re in Vrbe nunciata, tumultus confestim ac trepidatio ingens oritur, multis nullo ordine hinc inde discurrentibus, & mulieres, paruulósque & quæcunque alia preciosiora ad agros & munita Vrbis loca deferentibus. Non enim satis cognitum erat, an consulatum duntaxat appeteret: sed cum exercitum ira concitum Vrbi inferentem ciues audiuissent, ad Vniuersa trepidabant. Senatus porrò Vltra modum formidine correptus est, nulla in armis præsidia parata obtinens. Mutuò igitur, Vt in trepidationibus consuetum est, querelas emittebant. Nonnulli exercitum quem contra Antonium eduxerat, contumeliosè eidem ereptum fuisse querebantur. Alij

susp

suspicionem in triumpho habitam, cùm nihil iniquum depoposcisset. Quidam inuidiam in diuisione pecuniarum vltro additam. Nonnulli, quòd nec vndecimum eum adscripsissent. Plurimi, quòd præmia nec celeriter nec perfectè tradita essent, exercitum arma sumpsisse aiebant. Inter omnia contentionem non in tempore adhibitam damnabant, Bruto & Cassio procul existentibus, cùm Antonius & Lepidus in lateribus adhuc hostes morarentur: quos cum Cæsari conciliari velle animaduerterent, denuò in maius augebatur timor. Cicero qui prius eos adhortari & instituere solebat, nullo in loco visebatur: subitò omnium ad omnia mutatio facta erat. Et iam pro quingentis supra duo millia drachmis duabus legionibus exhibendis, quinquies mille, eásque legionibus octo distribuendas suadebant, Cæsarem X. virorum loco ad diuisionem eligendum: absenti quoque vt consulatum petere liceret permittendum. Legati hinc inde volitabant, qui hæc illi summa celeritate nunciarent: quibus prius ab vrbe digressis pœnitētia Senatum insecuta est, cùm nec tam timidè, ac penè muliebriter consternari, aut aliam tyrannidem sine cæde & sanguine in vrbem admitti oportere consuleret. Non consueſſe etenim, qui consulatum peterent per vim grassari, neque milites ex tributo patriæ imperare velle; armari oportere ex his

quæ interius existerent. Leges insurgentibus opponendas esse: sperare se neque illos prolatis legibus patriæ illaturos arma. Sin inferrent, obsidione tolerandum quoad Decimus & Plancus accessissent: satiusque esse vsque ad mortem depugnare, quàm vltroneam subire seruitutem. Vetera etiam Romanorum consilia, & tolerantiam pro libertate habitam, cùm nihil pro illa commutandum censuissent, referebant. Duabus verò legionibus ea die in portum accedentibus ex Libya, deum ipsos pro libertate adhortari arbitrabantur. Pœnitentia itaque ducti, omnia quæ statuissent, denuò reuocare pergunt, Cicerone iterum inter eos apparente: vniuersi quoque qui per ætatem arma ferre poterant, ad bellum scribebantur: cùm quibus legiones duæ ex Libya profectæ, Equites insuper mille, & legio alia, quam Pansa reliquisset, huic numero adijciuntur. Omnésque huiusmodi copiæ per partes diuiduntur. Nam pars collem qui Ianiculus dicitur, in quem pecuniæ omnes collatæ fuerant, insederat: pars fluminis ripam tuebatur. Diuisis inter eos qui per vrbem fuerant prætoribus, alij scaphas ac rates quæ in portu morabantur, résque in ipsis existentes adseruabant, si fortè victi illis indiguissent ad maris fugã. Et hæc magna audacia celeritatéque peragentes, Cæsarem contra deterrere, aut ab exerci-

tus fiducia ad consulatus petitionem vertere, aut potenter se ab eis tueri. & præsentem sortem immutare posse existimabant, donec pro libertate bellum gererent. Matrem autem Cæsaris, ac sororem, neque palàm neque occultè inuenire poterant. Tumultum itaque denuò erexerant, tam magnis defraudati obsidibus, veluti Cæsarianis minimè ad eos inclinantibus, qui tam diligenter eas occuluissent. Quibusdam è legatorum numero adhuc Cæsari assistentibus, omnia in contrarium mutata esse nunciantur. Qua ex causa legati illum relinquentes, non sine rubore in vrbem redire. Cæsar exercitu adhuc magis concitato summa celeritate educit agmen, ne quid mulieres mali paterentur. Ad populum quoque tumultuantem nonnullos ex Equitibus præmittit, qui neminem trepidare vlterius moneant. Exultantibus itaque vniuersis quæ vltra Quirinalem collem sita sunt inuadit loca, nullo ad manus accedere aut insidentem prohibere auso. Alia igitur admirabilis mutatio confestim cernitur: illustribus viris ad illum concurrentibus, & vicissim salutantibus. Subsequente deinde populari turba, quæ militum dispositos ordines veluti pacificos ambiebat, Cæsar exercitum eo in loco derelinquens, postridie versus vrbem gressum mouet, sufficienti custodum stipatus manu. Interea

terea ciues per vniuersum iter separatim adsentabant salutabántque, nullo blanditiarum aut obsequij quamuis infimo genere omisso. Mater verò ac soror in templo Vestæ residentes cum virginibus sacris, summa alacritate illi occurrunt. Et tres legiones, spretis eorum ducibus, ad illum emisere legatos, & se illi tradidere. Ex prætoribus earum Cornutus seipsum interemit, reliqui fidei & sponsionibus eius obsequentes, cum illo conuenere. Cicero his intellectis, per amicos Cæsaris vt ad illum tutè proficisceretur impetrauit. Cúmque ad conspectum eius peruenisset, excusationem protulit: consulatus quoque suasionem, quam in Senatu ob ipsum edidisset, ad cælum extulit. Cæsar autem cauillo vsus, hoc solum retulit, eum postremum ex omnibus amicis ad se visendum salutandúmque venisse. Nocte deinde subito rumore edito, duas ex legionibus Cæsaris, Martiam scilicet, & eam quæ quarta dicebatur, in vrbem transire velle, quòd ex insidijs bellum patriæ inferre recusarent: prætores confestim, ac Senatus omnis, rumori fidem præstitit: & quanquam finitimus Cæsaris esset exercitus, rati his fortissimis legionibus, reliquis copijs eius obstare posse, donec alia aliunde ad eos potentia accessisset, nocte adhuc instante Acilium Crassum in Picenum transire iubent, qui exer-

citum

citum pararet: ac quendam ex Tribunis Apuleium concito cursu ad populum misere, felicia illi annunciantem. Senatus quoque eadem nocte ad consilium conuenit, Cicerone cum ad portas cum lætitia summa hilaritateque suscipiente. Rumore demum vt inani euanescente, in lecticam sublatus, fuga euasit. Cæsar hac fama compulsus ad risum, exercitum propius admouit Vrbi, in campum qui Martius dicitur. Nulli tamen prætorum succensuit, neque Crasso qui ad tabernaculum eius vsque percurrerat, quanquam ad id inductus esset. Postremo cùm captus aspectu miserando, ad præsentiam eius delatus supplicaret, ad benignitatis famam atque clementiæ pepercit omnibus. Verùm posterius morte mulctauit, pecunias publicas in Ianiculo repertas aut alibi, in vnum conferre iubens: & quas Cicerone prius exigente inscriptas fuisse nouerat, exercitus distribuit, duo millia & quingentas drachmas vnicuique exhibens, residuum quoque pollicitus impendere. Et hæc agens Vrbe abstinuit, quoad consules electi crearentur. Electus est autem & ipse consul, cum Quinto Pedio, vt voluerat, qui portionem Cæsarianæ hæreditatis sibi dereliquit. Postremo vt consul Vrbem ingressus est, sacrificauitque, duodecim vulturibus, quod olim Romulo condenti Vrbem euenisse referunt,

inter

inter sacrificandum apparentibus. Perfectis sacris iterum se parenti in adoptionem dedit ex lege Curiata: est autem id, à populo in adoptione confirmari. Curias quidem Romani tribus, aut plebem per partes diuidentes solent appellare, quemadmodum & Græci φρατρίας dicunt. Legalior quippe à Romanis ad eos qui parentibus carent, huiusmodi habetur mos licétque ipsis æque ac legitimis filijs, adoptantium affines ac libertos secum ducere. Caio autem Cæsari, vt alia splendida, sic liberti plures & dites aderant, quibus potissimum Cæsar prima in adoptione ex testamento facta indiguisse visus. Alia item lege Dolabellam ex hostium numero exoluit, & vt causæ in percussores Cæsaris haberi possent edixit. Et statim accusationes, conscribentibus Cæsaris amicis, in eos fieri cœptæ, qui manus intulissent, aut illis solum ignouissent. Nam quibusdam id inscriptum est Nonnullis, quòd nec peregre cessissent cum Cæsar extinctus est. Omnibus demum vna die diffinita per præconem ad iudicium, destituta causa inuicem capti sunt: Cæsare iudicia ipsa asseruante, neque vllo iudicij absolutionem obtinente, excepto vno ex illustrium numero, qui nihil tum quidem perpessus est, verùm paulopost cùm cæteris morti traditus. Visus est & his diebus Quintus Gallius Marci Gallij frater, qui Antonio

conuen

conuenerat Vrbis praeturam agens, à Caesare Lidyae praeturam postulasse, & ea adepta insidias struxisse Caesari. Eius igitur praeturam collegae inuasere. populus domum praedae exposuit. Senatus verò eum morti condemnauit: verum Caesar ad fratrē ire iussit. feruntq; inter eundū nusquam illum apparuisse. Tam ingentia itaque operatus Caesar, ad Antonij conciliationem conuertit animum. Certior iam factus viginti legiones in exercitu Bruti conuenisse, & Antonio super his meditatus uti, ex Vrbe profectus supra Ionium sensim carpebat iter, Senatus consulta opperiens. Pedius nempe absente Caesare Senatoribus ne inter se dissiderent, sed cum Antonio Lepidóque conciliarentur, enixe suadebat. Illi satis aduertentes, non sua patriáue vtilitate, sed à Caesare in Brutum Cassiumq; conspirationis ineunda causa, huiusmodi conciliationem quaeri tandem ex necessitate conuenere, vt decreta quae in Antonium Lepidumq́; & eorum milites vt hostes perscripsissent hactenus, dissoluerent, & ad eos pacifica alia praemitterent. Pro quibus Caesar ad illos scribens congratulatus est. Antonio praeterea se adiutorem, si opus foret, in Decimum vltro obtulit. Illi verò paribus blanditijs Caesari adulabātur, & vicissim collaudabant, Itaque Antonius ad illum scripsit, Decimum se omissurum esse eius gratia, Plan

cum autem sui propria, & cum illo se coniun-ctarum fore si placeret, tam magna adinui-cem sibi pollicebantur. Persequente Decimum Antonio, Asinius Pollio ad eum venit, le-giones duas in armis agens: Plancumq; cum illo reconciliare studuit: qui tribus stipatus le-gionibus ad Antonium se conuertit, sic vt in-gentibus copijs iam præsideret Antonius. De-cimo legiones decem aderant, quarum qua-tuor cæteris bellicosiores, iampridem fame mor-boq; tabuerant: electorum verò nuper sex su-pererant, verum ignaua, ac laborum expertes. quamobrem pugnam inire veritus, fuga se ad Brutum in Macedoniam statuit conferre, iterque non per superiora Alpium, sed per Ra-uennas Aquileiamq; capessere. Cognito dein-de Cæsaris aduentu ad illas partes, multo lon-gius aliud: ac difficilius elegit iter, & per in-culta barbarorum loca superato Rheno fluuio proficisci instituit, per quæ transeuntem, pri-mi tyrones ad bellum electi, calore inopiaq; deterriti, eum relinquentes, ad Cæsarem pro-fecti sunt. Post hos legiones quatuor, quæ à prin-cipio apud illum fuerant, Antonium sunt se-cutæ. Cætera deinde multitudo, custodibus cor-poris exceptis, ex equitibus Celtarum, quibus ille volentibus ad propria redire concessit, via-ticum quoque ex auro quod illi superfuerat, impartitus est, & cum trecentis solum qui re-

man

manserant, ad Rhenum peruenit, cuius transitum cum difficilem intueretur, cum paucis destitutus, & ab ijs postea relictus, decem solum permanētibus, mutata veste in Celtarum modum, cum eorum linguam pariter calleret, aufugit, veluti quispiam eiusdem nationis, non per iter longius vlterius procedens, verum Aquileiam versus, cum facile ob sequentium paucitatem euadere posse speraret. Captus demum à latronibus, vinclisq́; rogare cœpit, cuius principis Celtarum ea gens existeret. Cum Camilli esse intellexisset, haud parui Camillum faciens, vt ad eum duceretur exorauit. Ille adductum intuens, palàm blanditijs prosecutus est, & qui eum deuinxissent, contumelia coarguit, quòd ob inscitiam tam illustrem iniurijs affecissent virum: clàm verò ad Antonium præmisit. At verò Antonius mutationem fortunæ nonnihil miseratus, captiuum intueri minimè sustinuit, Camillum autē admonuit, vt eo interfecto, caput ad se mitteret: quo viso, à præsentibus sepeliri iussit. Hic igitur Decimi finis fuit, equitum Cæsaris præfecti, & qui veteri Celticæ sub illo imperauerat, & in sequenti anno consularem inire dignitatem, & alteri Celticæ præesse sub eodem electus fuerat: secundus ex percussorum numero, qui post Trebonium pœnas dedit, anno cum dimidio à nece Cæsaris. Eo-

dem tempore Minutius Basillus & ipse Caesaris percussor, à seruis proprijs interfectus est, quorum nonnullis genitalia ademerat punitionis causa.

APPIANI ALEXANDRINI DE CIVILIBVS ROMANORVM BELLIS LIBER QVARTVS.

DVO *igitur Caij Caesaris percussores, in eorum magistratibus bello superati, in hunc modum dedere pœnas. Trebonius in Asia, Decimus autem Brutus inter Celtas. Quemadmodum verò Caßius ac Brutus vicißim profligati sint, qui in Caesarem conspirationis vel pracipui fuisse perhibentur, tellurémque omnem à Syria ad Macedoniae vsque fines poßidebant, exercitum praeterea ingentem equestrem naualem'que continebant, armatorum legiones circa viginti sibi suberant nauium, ad haec & pecuniarum multitudine pollebant, quartus iste ciuilium bellorum liber*

ber explicabit. De his quidem Romæ publice damnatis ad mortem, interrogationes, inquisitiones, & supplicia omnia proponebantur, qualia nec inter Græcos dissensione & bello laborantes, neque inter Romanos ipsos vnquam agitata, memoriæ proditum est præterquam sub vno Sylla, à quo primum hostes neci damnati fuisse referuntur. Marius quoque eos inquirebat, quos'que inuenisset, tormentis afficere solebat. Sylla verò sub præmiorum pollicitationibus maximis ac supplicijs occulentes simul ab obuio quoque occidi scripserat. Verum de his quæ à Mario & Sylla gesta sunt, superius meminimus. Quæ autem insequuntur, in hunc modum referuntur acta. Cæsar quidem & Antonius ab odio in amicitiam simul conuenere circa Mutinensem vrbem in paruula quadam insula Labinij fluminis, & aperta. Horum cuilibet quinque armatorum legiones aderant, quas adinuicem aduersas statuentes, cum trecentis solum ad fluminis pontes accesserunt. Lepidus autem ipse progressus insulam perscrutatus est, deinde chlamyde excussa, vt vterque eorum accederet, signum protulit. Tunc ipsi trecentos illos cum amicis ad fluminis pontes relinquentes, in medium venere loco aperto ac conspicuo, vná que consedere hi tres viri, Cæsare medium locum ob consulatum obtinen-

te. Per duos itaque dies à mane vsque in vesperam hoc in loco commorantes, hæc inter se statuisse feruntur. Deponere consulatum Cæsarem, & Ventidium in residuum anni tempus illum gerere. Cessante consulatu, ad directionem intestinarum rerum ex lege decreuere Lepido & Antonio Cæsarique, vt illi per quinquennium præessent eo modo quo consules præesse consueuerant. Sic autem dictatorum loco visi sunt eos nominasse, fortaßis ob Antonij decretum, qui dictatorem creari prohibuerat: & hos ex nunc ciuitatis declarari principes ad anniuersaria illis ad quinquennium statuta tempora. Ad hæc gentium magistratus inter se diuidere, vt Antonius Celticam omnem, sine vlla Pyrenæi montis continuatione, quam veterem Celticam appellant, obtineret: huic nempe præsidere Lepidum, & Iberiæ vltra hanc Cæsari: Libyam, Siciliam, Sardiniam, & siqua his in locis inest insula, regendas committere. Sic Romanorum principatum hi tres inter se viri partiti sunt, quæ vltra Ionium fuerant sola postponentes ob Brutum & Caßium, qui adhuc prouincias illas obtinebant. Caßio item & Bruto Antonium Cæsarémque inferre bellum, Lepidum in futurum consulatum gerere, & ob ingruentes neceßitates in vrbe moram agere, Iberiæ ob vtrosque præsidentem. Ex Le-
pidi

pidi exercitu tres legiones cum illo Romæ permanere. Septem verò legiones Cæsarem Antoniumq́ inter se diuidere, ut tres Cæsar haberet, quatuor Antonius, cum ad bellum utrorumq́ uiginti duceret legiones. Et iam exercitum spe fulciendum à bello ad uictoriæ præmia, alia'que munera assequendia. Incolatuum quoque dationes urbium ceto supra decem Italicarum, quæ & substantia, & domorum pulchritudine, pauimentisq́ præstarent, quæque subinde militibus ipsis diuiderentur, quemadmodum illis pro earum inimicitia per prius belli iure pertinebant. Erant autem hæ, & aliæ urbes, & in primis illustriores, Capua, Rhegium, Venusia, Beneuentum, Nuceria. Ariminum, & Hipponium. sic optima & pulcherrima Italiæ quæque exercitibus adscripta sunt. Visum est illis præterea hostes proprios interimere, ne hæc ipsa statuentibus impedimentum quirent afferre, & bellum exterum conficerent. Hæc igitur ab illis decreta & conscripta sunt. reliqua Cæsar exercitibus, exceptis quos ad mortem condemnassent, ut consul recitauit. Quæ intelligentes milites ingenti præconio extulere, inuicemq́ seipsos ad reconciliationem complexi sunt. His peractis, multa prodigia, signáq́ perhorrenda statim Romæ uisa sunt. Canes

luporum vice ululatus edidere, indicium sane insuetum. Lupi etiam per forum discurrere, quod animal in urbe minime assueuerat. Bos vocem emisit humanam, & infans recens genitus elocutus est. Ex simulacris etiam nonnulla sudorem emisere, alia sanguinem, hominum immanes voces, armorum strepitus, equorum cursus inspectante nemine audiebantur. Circa solem porrò insolita apparuere signa, & imbres lapidei è cælo missi, continua fulmina in templa statuasq; deciderunt. quorum causa Senatus vates & aruspices ab Hetruria iussit acciri. Ex his senior reges priscos iterum reuerti, omnesq; vt prius subiectum iri, se excepto, referens, tam diu quoad extinctus est, os vocemq; pertinacissime continuit. Hi igitur tres viri à seipsis constituti, quos morti destinassent, vna conscripsere, ac potentioribus prætermissis, proprios delegere hostes, domesticos eorum videlicet, aut amicos, ad necem mutuo sibi ipsis & tunc quidem & posterius indulgentes. Elegere & alij alios: quidam ob inimicitiam, alij ab offensione solum, aut inimicorum causa, aut amicorum inimicitia, aut diuitiarum excellentia commoti, cum multis pecunijs ad bellum indigerent. Bruto nempe & Cassio Asiaticis reditibus & tributis assistentibus, ad hac regibus & satrapis illis conferentibus,

ipsi

ipsi Europa, & inprimis Italiæ opibus, bellis tributisq; afflicta, destituti ob ea quæ popularibus quidem ac fœminis exemerant, onera ad summum vsque adauxerant, vectigalia quoq; fabrorum & mercenariorum imposuerant. Itaque plerosq; ob habitationum splendorem proscribentes, omnes ferè vel morte, vel bonorum publicatione damnauerant; Senatorij ordinis circa trecentos, equestris verò ad duo millia. In quibus vel fratres vel patrui proscribentium inerant, aut præsidentium sub ipsis quicunque magistratibus aut alijs ducibus aduersi fuerant. Multitudinem itaq; eorum, cum à primo congressu Romam accessissent, proscripturi videbantur. Cum duodecim viros, vel vt alij referunt, septem supra decem ex potentioribus neci condemnassent. inter quos & Cicero fuisse dicitur, confestim, qui eos interficerent, Romam præmisere, ex quibus quatuor primo impetu in conuiuijs occursibusq; interempti sunt. Sed cum in perquirendis reliquis vbiq; scrutarentur domos, templaq;, subito tumultu per noctem cuncta replebantur, clamores ad hæc, & discursus cum eiulatu, veluti capta in vrbe vndique strepebant. Nam cum cognitum esset, virorum captionem fieri, neminemq; ex damnatis proscribi prius, vnusquisq; ad inquirendum cum accurrentibus vnà præcedebat. Sic desperatis

rebus quidam propria, nõnulli communia igni subijcere putabant, aliquod insigne facinus prius agere quàm ab Vllo pati meditantes: & fortaßis effecissent, nisi quod Pedius ipse præconibus assumptis Vrbẽ peragrare cœpit, eosq́ in lucem sperare monuit, quoad diligẽtius cuncta percepissent. Orta demũ luce, præter triũuirorum sententiã, septem & decem Viros pro scribi iußit, Vt quos ciuilium malorum causam attulisse existimans, solos ab illis damnatos fuisse crederet. fidemq́ cæteris publice subinde præstitit, quæ decreta fuerant penitus ignorans: eadémq́ nocte labore caloréque confectus mortem obijt. Ingreßi sunt autem hi tres Viri per tres separatim dies Vnusquisq́, Cæsar, Antonius, & Lepidus, militaribus ordinibus instructi, Vna armatorum legione quẽlibet eorum comitante. Cum in Vrbe extitissent, confestim Vrbs ipsa armis signisq́ per opportuna loca dispositis oppleta Visebatur, ac subito in medio ipsorum concio parata astitit. Tribunus Publius Titius legem protulit, consulatum sub præsentium triumuirorum constitutione in quinquennium Vacare, Antonij scilicet, Lepidi & Cæsaris, qui pari modo ac consules illum obtinerent. Hos quispiam Græcorum Aptatores commode diceret, quod Lacedemonij Reipublicæ subiecta disponentibus imposuere nomen. Nullo itaque

internallo ad approbationem posito, nulláq; insigni die ad censendum præstituta legem propo suere, ac nocte vnica supra septem & decem, quos prius diximus, centum & triginta virorum proscriptiones per varia vrbis loca prolata sunt. Nec multo post centum & quinquaginta illis addita, & continue ex prius damnatorum aut prænominatorum numero ob ignorantiam aliquis tabulis adijciebatur, quo iustitiæ opinione neci traderetur. Cunctorum capita ad triumuiros diffinito præmio deferri iussum. Erat autem præmiũ, libero argentum, seruo libertas & argentum: omnésq; propria ad inquisitionem proferre cogebantur. Et qui vel suscepisset aliquem, aut occuluisset, aut inquiri prohibuisset, pari pœna tenebatur. Licebátque vnicuiq; istorum quæ voluisset pari præmio indicare. Fuit autẽ proscriptionis tenor huiusmodi. Marcus Lepidus, Marcus Antonius, Octauius Cæsar communia aptare statuentes, & in melius componere, ita fantur. Si non ob infidelitatem perditissimi homines deprecantes misericordia digni habiti fuissent, eáque adeptæ benefactorum suorum inimici, & subinde insidiatores effecti essent, neutiquam Caium Cæsarem interemissent: quos ille iure belli captos, misericordia saluos præstitit, & amicorum loco sibi statuens, ad prouincias, honores muneráque confestim impulit; neque non inimicos

micos his contumeliјs & scriptis hoc in loco repente facere coacti essemus. nunc autem ex his quæ in nos moliuntur, & eorum causa quæ Caius Cæsar perpessus est, implacabilem beneuolentiæ intuentes esse malitiam, potius hostes nostros præuenire, quàm ab illis quicquam pati prælegimus. Et ne quis id facinus iniquum, aut crudele, aut nefandum arbitretur in Caium, & nos, qualia perpeßi sumus, conuertat oculos. Caium nempe imperatorem, & sacrorum principem, & quæ formidabiliores Romanis fuerant abolentem gentes, eásque ditioni suæ submittentem, & virorum primum supra Herculeas columnas innauigabile quondam mare pertentantem, & Romanis incognitas aperientem terras: templi in medio, quod Senatus appellatur, in conspectu immortalium deorum vulneribus tribus & viginti fœdatum confecerunt, qui bello ab illo capti, saluatique fuere, hæredes quoque substantiæ eius nonnulli ascripti. Quos reliqui in eodem constituti odio, sceleratissimos hos viros, suppliciorum vice ad principatus, prouinciarúmque administrationes præmisere: quibus abutentes illi, publicas diripuere pecunias, & ex ipsis exercitum in nos comparant, alium quoque à barbaris expostulant, principatus nostri continue inimicißimis à quibus pleraque Romanis subiecta vrbes, quòd

quòd illis nõ paruissent, flammis tradita sunt, aliæ dirutæ, aut funditus euersæ, nonnullæ metu impulsæ, patriæ contra nos inferere bellum. Verum nos quosdam iam ex illis supplicio affecimus, reliquos deo fauente pœnas confestim pendentes concernetis. Maximis quippe nobis concedentibus, & sub manu existentibus prouincijs, Iberia & Celtica, & his quæ domi sunt, superest adhuc non contemnendum & triste opus cum his qui vltra mare incolunt Caij percussoribus, in vos externum meditantibus bellum, vt nec tutum rebus vestris, neque nostris arbitremur, alios post terga relinquere hostes, qui in absentia insidientur nobis, & euentus belli in tempore obseruent: neque ob hos iterum retardare in tanta celeritate, æquum magis putamus esse, quàm eos confestim è medio tollere. Hoc enim contra nos incipiente bello, cum hostes nos, & exercitus qui nobiscum erant, vicissim decreuissent, ipsi tot ciuium millia nobiscum profligarunt, non deorum indignationem, non hominum inuidiam multi facientes, cum tamen nos nulli multitudini succenseamus: neque hos hostes omnes delegerimus habendos, qui nobiscum contenderunt, aut insidias nobis struxerunt, non diuitiarum causa, aut facultatum, aut dignitatis, non quòd alter ante nos imperator interemit, dum vrbem huiusmodi

modi ciuilibus constitueret in rebus, cui bene successisse fantur ob felicitatem, quanquam necessitate vrgente tribus plures quàm vni opus sit adesse hostes. Verum solos ignobiliores, & præ cæteris malorum causam præferentes vlciscemur: & hæc non minus vestri causa, quàm nostri. Necesse quippe est nobis dissidentibus, vos omnes in medio dira perpeti: necesse est & exercitui iniuria affecto, conturbatóque, & hostiliter proscripto, à communibus inimicis nostris solamen aliquod auferre. Sed cùm potentes simus quoscunque libeat impetu primo capere, proscribere eos praelegimus potius, quàm inopinantes prauenire, & hoc vestri causa, ne ab armatis & ira concitis plus obnoxijs inferatur pœna, sed vt numero diffinitos nomine tenentes, ab alijs mandato abstineant. Optima igitur fortuna eorum qui huic scriptioni minime subscripti erunt. Nullus ergo aliquem suscipiat, aut occultet, aut aliquò præmittat, neque pecunijs confidat vt vel saluet aliquem vel adiuuet, aut cum illo sentiat. Hunc quidem nullà occasione vel venia admittentes, in proscriptorum numerum ponemus. At qui interemptorum à se capita nobis apportarit, si liber fuerit, quinque supra viginti mille drachmas pro quolibet accipiet. Seruus vltra proprij libertatem corporis, decies mille drachmas Atticas

ticas, & ciuilitatem heri sui consequetur. Eadem indicantibus præmia aderunt: ac nemo ex his qui acceperit, in commentarijs nostris perscribetur, ne manifestus illi sit. In hunc modum triumuirorum proscriptio annotata est, quantum ex Latina lingua in Græcam licuit transferre. Primus igitur ex proscriptoribus Lepidus fuit: Ex proscriptis vero primus Paulus Lepidi ipsius frater. Secundus deinde proscribentium Antonius, & secundus ex proscriptis Lucius Antonius eius patruus. hi etenim primi hostes eos iudicauerant. Tertius verò & quartus fuere, qui in altera tabula in futurum consules creati fuerant, Plancus, & frater Plocius, & Asinij socer Quintus: qui neutiquam secundum dignitatem cæteris magis præponebātur, quàm vt timorem & desperationem omnibus incuterent, cùm neminem liberari posse existimarent. Erat & inter proscriptores Thoranius à nonnullis Cæsaris procurator habitus, & simul cum his proscriptiones veteres continebantur. Omnes porrò vrbis exitus, aut portus, aut stagna, aut lacunæ, aut quodcunque aliud ad fugam suspiciosum inerat, aut ad latendum per prouinciam profugis patebat, à turmarum ducibus obsidebatur, quibus perscrutari omnia & discurrere iniunctū fuerat. Et hæc vno impetu simul facta sunt. Statim igitur per prouinciā omnem, ac ciuitatem.

tem, ut quisque quod sperauerat adeptus fuerat, hominum captiuitates plurimæ, subitaq; perpetrabantur. Varij ad hæc necis modi, capitum abscisiones mercedis gratia conspiciebantur. Fugæ turpissimæ, & cultus prius illustribus insueti, cum nonnulli puteos subirent, alij subterraneas specus, & immunda quæq; quidam perfumi exitus, aut sub tectis tegulis operti, miro silentio laterent, non minus percussoribus mulieres puerósque formidantes, qui non satis beneuole erga eos se habebant. Erant qui libertos vererentur, ac seruos, aut fœnorum debitores, aut agris suis finitimos ipsórum desiderio timerent. Insurrectio itaq; omnium, quanta prius nunquam, vbiq; aderat. Subita & nefanda mutatio omni in loco visebatur, Senatorum, aut consulum, prætorúmue, aut tribunorum, aut magistratus discurrentium, aut qui in illis erant ad pedes seruorum suorum procidētium cum clamore & eiulatu, & seruos proprios dominos saluatorésq; appellantium. Quæ res eo miserior videbatur, quo deiecti nulla misericordia ab vllo leuarentur. Propria vniuscuiusq; malis referta erant non quemadmodum in seditionibus aut belli captiuitatibus: non enim vt illis aduersarium aut hostem metuentes domesticis se crediderant: cæterum eos percussoribus magis formidantes, quos nec in seditionibus, aut bellis veriti erant, tunc maxime

ximè timebant, cum repente ex necessarijs hostes effectos cernerent, vel ob simultatem, vel munerum promissionem, vel ob repositum in domibus aurum atque argentum. Infidus quippe unusquisque in domesticos effectus erat, & propriam utilitatem beneuolentiæ eorum ante tulerat. Fidi autem & beneuoli, non auxilium afferre, non celare aliquem, aut cum illo conuenire audebant, ob suppliciorum crudelitatem, cum eorum mentibus septem & decem virorum prius interemptorum insideret timor, & nullo proscribente, verum quibusdam repentè insurgentibus, quilibet similia sibi expauesceret, & inuicem cōspirarent, cum in conscriptionibus nonnulli vniuersis statim traditi essent, alij nulla de se cura habita, ac lucra prædasq; conuersi, alios ad percussorum mercedem venubantur. Ex reliqua autem multitudine quidam ad occisorum domos spoliandas accurrebant, quæ utilitas à consideratione præsentium malorum eos auertebat. Alij moderatiores benignioresq; ex stupore cohorruerant, erát que illis admirabile animo voluentibus, alias quidem ciuitates à seditione disiectas, à concordia seruatas extitisse, hanc verò seditione principum turbatam, concordia in hunc modum corruisse. Nam & qui interfectoribus opē attulissent, & qui minime afferrent, vnà interibāt, quasi ab illis nullam iniuram accepissent.

 sent.

sent. Erant qui se spontanea fame conficerent, qui laqueis finirent vitam, qui se aquis immergerent, aut è tecto præcipites darent, aut igne se absumerent, aut iugulatoribus se offerrent. Erant qui accersiti retardarent, alij qui se occulerent, indecoréq; deprecarentur. Quidā qui malum à se propulsarent, quidam qui pretio accersirēt. Alij porrò præter triumuirorum sententiam aliorum inscitia ab insultu necabantur, & clarè non proscriptus neci traditus inspiciebatur, quòd cadaueri caput assisteret. Nā proscriptorum capita ante tribunal in foro ponebantur, quo in loco afferentes pretium accipere opus erat. Aliorum quoque studium & virtus eminebat cum mulierum, tum filiorum, fratrum, seruorúmque seruantium plurima, aut machinantium, & vnà morientium, cum quæ optarent, perficere nequissent. Nonnulli interfectoribus suis vitam adimebant. Ex fugientibus præterea quidam naufragio peribāt, omnibus conatibus ipsorum aduersante fortuna. Alij præter cunctorum opinionem ad vrbis magistratus, bellorum præturas, triumphósque reuertebantur. sic tempestas illa admirabilis omnibus emicuit. Et hæc quidem non priuata in vrbe, aut minimo in regno, sed potentissimo gentium cunctarum, marisque dominatu commouit deus, à longe in hunc in quo nunc est disponens principatum. Fuere & si-

milia

milia alia in ipsa Vrbe sub Sylla, et ante illum sub Caio Mario, quorum vicissim clariora mala, in his quæ de eorum gestis scripta sunt edidimus, ita vt insepulta maneant. Hæc autem triumuirorum gesta existimabit quispiam venius potissimum intuitu, cuius virtute ac fortuna imperium in stabilem sedem constitutum est, genus quoque ac nomen eorum qui sub ipso nunc sunt, derelictum fuit, longe fuisse clariora. cuius splendida opera ipsius manu facta quæ memoriæ magis commendata sunt, quoniam posteriora fuere, referam subinde. Nunc autem non omnia, non enim relatu digna, interitus, fugáque priuatorum, & quod nonnullis à triumuiris reditus concessus sit, & eorum qui rediere, ignota vita: verum quæ admirabiliora inprimis extitere, maximè vt ex eorum consideratione præscriptis adhibeatur fides, in præsenti edisseram. Multa quippe sunt, & quæ multi Romanorum pluribus in libris à seipsis conscripserunt: ex quibus modica ipse ex quacunque specie ad vniuscuiusque fidem, & præsentium temporum beatitudinem à principio magnitudinis eorum reserabo. Assumpsit autem initium hæc clades in ipso statim concursu in Vrbem ab his qui magistratibus adhuc præsidebant: ac primus ex Tribunis Saluius interemptus fuit. Sacrosancta quippe ex legibus hæc habetur di-

gnitas, & quæ plurimum inter cæteras polleat, ita vt nonnullos ex consulibus aliquando custodiæ incluserit. Et erat hic quidem Tribunus, qui Antonium hostem à principio iudicari prohibuerat, posterius verò in omnibus Ciceroni adhæserat. Intellecta igitur triumuirorum conspiratione, & festinantia in vrbem, domesticis conuiuium exhibuit, quasi non vlterius cum illis sæpenumero affuturus. Accurrentibus autem in conuiuium armatis, nonnulli ex accumbentibus cum tumultu trepidationéque assurrexere. Cæterum armatorum dux quiescere omnes iussit. Saluium verò vt sedebat, crinibus apprehensum, donec conficeret, attraxit in mensa, capútque illi abscidit, & qui vnà affuerant, vt prius manere persuasit, ne tumultu edito similia perferrent. Sic illi præfecto abeunte stupefacti, vsque in profundam noctem reliquo Tribuni cadaueri silentes adstitere. Secundus interemptus est Minutius prætor cum in foro comitia haberet. Audiens etenim armatos ad se accurrere, subito prosiluit, & inter fugiendum quo in loco latitaret mente cogitans, mutata veste tabernam ingressus est, clientes cum magistratus insignibus ad se abigens. Illi pudore ac misericordia commoti perstitere, eóque modo licet inuiti faciliorem insequentibus ad prætorem præstitere aditum. Annalim alium

ex

ex prætoribus, dum quæstorem circumcurrentem, & sorte electos adhortantem per puerum aduocat, amici qui cum eo fuerant, & qui insignia magistratus deferebant, deseruere fuga, in tabulis proscriptum esse sentientes. Ille ad clientulum delatus, qui vilem quandam & humilem domunculā in suburbano ferè ignotā possidebat, secure in ea latuit, quoad filius ad clientulum fugisse ratus, percussores eum in locum secum duxit, & ob id à triumuiris parentis substantiam adeptus, ad ædilitatem quoque sublatus est. Verum posterius ab ebrietate redeuntem, milites casu obuij, ac propellentes interemere, qui parentem eius antea occiderant. Thuranius verò non iam prætor, sed prætoria functus dignitate, adolescentis impudici genitor, & qui apud Antoniū plurimum poterat, turmarum duces deprecatus est, vt necem aliquantulū differrent, donec filius eum ab Antonio deposceret. Illi risu edito poposcisse quidem illum, verum pro filia dixere. Id intelligens senex, aliud breue ab eisdem exorauit spatium donec filiam videret. qua conspecta, à paternis bonis abstinere iussit. sed nec illam ab Antonio postulauit frater. Contigit autē vt is substantiam omnem in turpibus absumeret, & furti deprehensus ex condemnatione aufugeret. At Cicero, qui post Caium Cæsarem potens admodum, quantum popularis monarchia

valuit, in vrbe floruit, cum filio & fratre, ac fratris filio, omnibus denique necessarijs eius, & clientibus amicisque proscriptione damnatus est. Is fugiens paruam ingressus ratem, maris tempestate deterritus, ad proprios agros quos ob historiæ huius passionem vidisse memini, circa Capuam Italiæ vrbem delatus est. Tacite igitur accedentibus his qui illum inquirebant, quippe præ cæteris ambitiosissime hunc virum efflagitabat Antonius, & Antonij causa quamplurimi corui aduolantes obstrepere cæperunt, eundem è somno excitantes, vestem quoque rostris eousque attraxere è quiescentis corpore, quoad serui id signum à deo missum arbitrati, lectica impositum iterum ad mare per profundam siluam occulto calle detulere. Multis per partes accurrentibus, interrogantibúsque sicubi Cicero appareret, obuij ob beneuolentiam misericordiamque nihil nisi ablatum fuisse referebant. Verùm cerdo quidam Clodij clientulus Ciceronis acerbissimi hostis, Lenæ turmarum duci cùm paucis assistenti callem indicat. Quocognito insequitur ille, & Ciceronis seruos longe plures quàm quos ipse deduceret, auxilio adesse cernens, militariter admodum cæpit exclamare. Ea voce qui in agris aderant postremi turmarum duces, aduolant: quos intuentes Ciceronis serui, quamplurimis accedentibus territi

cesser

tiſſerunt. Lena vero qui propriam cauſam Ciceronis patrocinio tutatus pœnam effugerat, caput è lectica primus extulit, ſimulque præcidit, tribus feriens ſecánsque vulneribus ob inexperientiam. Abſcidit & dexteram, qua orationes illas luculentiſsimas in Antonium veluti tyrannum exarauit, ad Demoſthenis in Philippum editarum ſimilitudinem. Quo facto nonnulli in equis, quidam nauibus praeuecti ſunt, vt hæc Antonio primi nunciarent. Lena ſedenti in foro Antonio caput manúmque Ciceronis à longe protulit, oſtenditque. Qua ex re exhilaratus, ducem coronauit, adornauítque donis, ducentis ſcilicet & quinquaginta millibus drachmis Atticis, quòd maximum & pugnaciſsimum inimicorum olim eius occidiſſet. Caput manusque Ciceronis in foro ante tribunal per ſpatium temporis pependere, quo in loco & ipſo prius orare ſolitus. Ad id ſpectaculum multi audientes viſendi cauſa conuenere. Ferunt & in die Antonium Ciceronis caput in menſa tenuiſſe: demum ſatiatum animo, ab hoc nefando ſpectaculo abſtinuiſſe. In hunc modũ Cicero eloquentia admirabilis præter cæteros in hanc ætatem vſque, & qui conſularem dignitatem obtinuerat, in maximis patriæ ſuæ vtilis, extinctus ab hoſtibus cõtumeliјs affectus eſt. Filius autem eius in Græciam ad Brutum pertranſierat. At vero Quintus

Ciceronis frater simul cum filio deprehensus, apud percussores precibus instare cœpit, vt se antequam filium occiderent: filio contrà suppliciter poscente, vt se prius neci traderent, percussores id vtrisque se concessuros annuerunt. Ita ambobus interceptis, signo dato separatim vno impetu necauere ambos. Gnatij etiam pater & filius telis concurrentes inuicem vno vulnere confossi sunt, reliqua membra, capitibus ademptis, insimul complexa resederunt. Blauus filium eius, ne vna gradientes conspicui fierent hostibus, ad mare fugere suasit: ipse posterius ex interuallo sequebatur. Annunciante deinde quodam siue temere siue consultò filium eius interceptum esse, retro rediens, percussores vt se interimerent accersiuit: accidit autem vt filius eius ex naufragio periret. Sic inter clades fortuna plurimum poterat. Aruntius filio sine illo recusanti fugam arripere, vix vt seipsum saluaret potuit suadere: & hunc quidem mater ad portas ante misit, deinde vt parentem occisum sepeliret reuocauit. Sed cum illum in mari ex inedia vitam finisse nouit, seipsam interemit: & hæ quidem filiorum bonorum malorúmque imagines descriptæ sunt. Fratres ambo proscripti qui Ligarij nomine appellabantur, inter latendum somno consopiti sunt. Ex his alter inquirentibus seruis statim interficitur: alter fuga elapsus, dum fratrem interemptum

ptum

ptum audit, se ex ponte proiecit in fluuium. Circunstantibus illum piscatoribus, veluti non sponte sed casu decidisset, diutius ne ab illis caperetur obluctatus est, séque inter fluctus vltro obruit. Captus postremo ab his, cum in tutum peruenisset: Non me adepol seruastis, inquit, sed vnà vos, cùm proscriptus sim, neci condemnastis. Verùm illi misericordia moti apprehensum tenuere, quousque à militibus qui pontem obseruabant conspectus, & capite abscisso interemptus est. Quorundam etiam fratrum casus miserabilis fuisse legitur. Nam cũ alter se proiecisset in fluuium, seruus cadauer diligentius perscrutatus, elapsa iam quinta die rimando comperit, & adhuc ab aspectu cognitum capite priuauit. Alterum in sterquilinio demersum seruus alius indicauit. Percussores itaque ingredi non ausi, hastis hamisque è fundo extraxere, & caput sorde fœdatum vt erat abscidere. Alius capto fratre, nescius se cum illo pariter proscriptum esse, propere accurrit, &, me ante istum interimite, clamauit. Quod intelligens turmæ ductor, cum & hunc pariter proscriptum sciret, æqua postulas, respondit: nam & tu ante istum proscriptus es. Quibus dictis iuxta ordinem interfecit ambos: & hæc fratrum exempla digna memoratu. Ligarium contegens mulier, vnicam secreti participem admiserat ancil-

lam: prodita deinde ab ea, viri caput deferentem prosequebatur exclamans: Ego hunc suscepi, par mihi & suscipientibus debetur pœna. Cùm nullus esset qui interficere auderet, aut succensere: ipsa per se ad principes nuncia peruenit. Spernentibus iis vt mariti cupidam, inedia se demum confecit. Et hæc quidem hoc in loco commemorata est, quoniam virum saluare cupiens non potuerit, ob idque seipsam interfecerit. Quæcunque à felicitate amoris nequaquam cecidere, in his quæ viros tutatæ sunt, perscribo: ex illis verò quæ impudicæ insidias struxere viris, in primis Septimio nupta habebitur. Hæc enim à quodam Antonij necessario atque amico corrupta fuerat. Dum igitur ex adulterio ad nuptias transire cupit, Antonium per adulterium in virum deprecata est. Per hunc modum Septimius in tabula proscribitur, qui re ab vxore cognita, domestici ignarus mali fugam præparabat. Illa veluti mariti cupida fores occlusit, ac tam diu tenuit, quoad percussores aduenere. Eadémq; die & maritus interfectus est, & ipsa impias celebrauit nuptias. Salassus fugiens, cùm spe decidisset, in vrbem nocte delatus est: dum desinente sæuitia res in melius componi existimat, occlusa domo solus ostiarius & ipse in ea pariter conclusus herum agnouit, & in eius cellulam recepit, contegere quoque

ex his quæ habuisset, atque alere pollicitus est. Ille vxorem è domo ad se euocare iubet. Mulier accelerare simulans, ancillas vereri aiebat, ne per noctem quippiam suspicarentur, mane præsto se affuturam. Orta luce percussores subito accersit: ostiarius in domum profectus veluti morantem accelerare suadebat. Salassus absente illo insidias nonnihil veritus, tecti culmen ascendit, quid fieret interim opperiebatur. Videns deinde non ostiarium, verùm mulierem percussores deducere, se præcipitem misit è tecto. Fuluium ad seruam eius fugientem, quam pellicem olim habuerat, & libertate donatam in vxorem sibi assumpserat, ab eadem tot beneficijs obnoxia proditum fuisse aiunt, zelotypia alterius, quæ & ipsa Fuluio denupserat. Tot pessimarum mulierum exempla sese offerunt. Statius Samnius, qui plura Samnitibus in Sociali bello vtilia peregerat, ob insignia facinora, diuitias, atque nobilitatem in Romanorum Senatum admissus fuerat cum iam octogesimum attigisset annum. Cum igitur diuitiarum causa inter proscriptos referretur, domum populo aperuit, & seruis quæcunque libuissent efferre concessit, alia & ipse proiecit, donec euacuata domo, & occlusa igne iniecto in eadẽ combustus est. Ignis porrò per vrbem euagatus nonnulla alia consumpsit loca. Capio in longum adopertis foribus per

vim ingredientes ad vnum interfecit, & à multis contumelia affectus solus eos interficiens extinctus est. Vitulinus ingentem armatorum manum circa Rhegium in vnum comparauit, ex proscriptis scilicet, & cum illis fugientibus, & ab octo supra decem vrbibus, quæ exercitibus in prædam destinatæ, ad eorum præmia id grauißimè perferre videbantur. Quis stipatus, turmarum duces ad eos discurrentes interfecit, donec maiore exercitu in eum misso, cùm nec sic animo deficeret, in Siciliam ad Pompeium qui insulam eam obtinebat, & fugientes ad se suscipiebat, profectus est. Subinde bello acriter gesto in Sicilia, multis superatis prælijs, filium, & quoscunque ex proscriptis qui ibidem conuenerant, Messanam ire iußit. Ipse cum ratem ab hostibus nudatam esse cerneret, in eos delatus, hostili manu confossus est. Naso ab liberto qui olim ex obsoletis eius fuerat, proditus, à quodam militum gladium eripuit, & proditore solo interempto, se vltro percussoribus necandum præbuit. Amator heri sui seruus, liberatum eum in tumulo quodam constituerat. Ipse quò ratem pretio conduceret, ad mare descenderat. Reuersus cùm herum interfectum offendisset, ad spirantem adhuc vehementer intonans, sustine parumper ô here inquit, & insurgentem subitò turmarum ducem in-

terem

peremit, post quem seipsum interficiens, ad herum conuersus, solamen, inquit, ô here suscepisti. Lucius duobus fidissimis libertis assignato auro, ad mare properabat. Fugientibus illis, retro rediit, & desperata vlterius vita, iugulatoribus sese obtulit. Labinus qui in Sylla proscriptionibus multos ceperat, multósque interemerat, ignauus merito haberi poterat, ni his similia generose pertulisset. Egressus itaque domo, in throno consedit, percussores ad se venturos late opperiens. Cestius in agris apud benignos seruos celabatur. Ducibus verò turmarum continuè cum armis capitibúsque discurrentibus, pauoris diuturnitatem ferre non potuit, verùm seruis persuasit vt pyram pararent atque incenderent, ita vt inquirentibus, Cestium à se interfectum, & sepulturæ traditum affirmare possent. Cui cùm illi paruissent, in pyram prosiluit intrepidus. Aponius tutè latebras adeptus: abominata victus turpitudine, insequentibus sese necandum obtulit. Alius in publico se vltro obtulerat. Iugulatoribus moram ducentibus, oppresso spiritu sibiipsi ademit vitam. Lucius Asinij tunc consulis socer per mare arrepta fuga: sali motum non perferens: se sponte immersit vndis. Sisinium fugientem, acclamantémque neutiquam se proscriptum esse, verùm pecuniarum causa insidijs appeti, ad tabulam persequent

quentes adduxere, & eius nomen inscriptum ut legeret coëgere, quo lecto eundem dedere neci. Aemilius nescius se proscriptum esse, cùm armatos alium insequi uideret, turmæ ductorem interrogauit, quis ille proscriptus esset: is Aemilio inspecto, tu ipse es, inquit, & ambos simul interfecit. Cillus & Decius è Senatu egredientes, cùm eorum nomina tabulis inscripta cognouissent, nullo insurgente sine ordine per portas arripuere fugam, & occurrenti turmarum duci ex cursu seipsos prodidere. Icelius qui sub Bruto & Caßio ius aliquando dixerat, Cæsare cum exercitu circa iudicia aßistente, cæteris iudicibus occultè condemnationem eius afferentibus, solus palàm absolutionem protulit, & ob libertatis confidentiam clam elapsus, afferentibus cadauer sese immiscuit, lecticámque detulit. Admirantibus qui custodiæ portarum præerant, quòd solito amplius uno homine ad ferendum uterentur, nihilq; suspicantibus de his qui ferebant, lecticam perscrutati sunt, ne sub simulatione quispiam in ea celaretur. Qua ex causa deferentes Icelium redarguere cœperunt, quasi minimè cum illis ad id munus esset electus: ob id à persequentibus agnitus interemptus est. Varus à liberto suo proditus, summa celeritate se proripuit, & montem ex monte commutans, ad Minturnensium peruenit paludem,

in

in qua seipsum recreans tacitus latebat. Minturnensibus ad latronum inquisitionem discurrentibus paludem, arundinis motu deprehensus capitur, seque latronem professus est, eoque modo damnatus ducebatur. Cum vna cum caeteris supplicio afficiendus esset, id genus mortis vt indecorum aspernatus, in hunc modum locutus dicitur. Interdico vobis ô Minturnenses, me consulem olim factum, & à principibus, quod longe honorabilius est, proscriptum, vlterius torquere, aut morte mulctare. Si enim mihi fugere non licet, vtilius nunc est sub collegis meis obire mortem. Ad quae diffidentibus illis, cum orationem huiusmodi suspectam haberent, accurrens turmae ductor Varum agnouit, & capite adempto residuum corporis Minturnensibus reliquit. Largum quidem in agris deprehenderant, non Largum, sed alium inquirẽtes: eius itaque fortunam miserati, quoniam non quaesitus interceptus esset, per siluam vt aufugeret illi suaserunt. Insequentibus alijs vt eundem caperent, ad primos festino cursu peruenit, &, Vos me interficite, inquit qui casum meum prius miserati, praemia ob id debita habere promeremini: sic moriturus aequam humanitatis vicẽ illis reddidit. Rufus domum ornatissimam iuxta Fuluiam Antonij vxorem possidebat, quam cum Fuluia summopere ab eo emere tentasset, nequaquam morem gessit

mulieri

mulieri, tunc autem dono exhibens inter proscriptos delatus est. Itaque capite eius ad Antonium relato, id ad se spectare renuit, verùm ad uxorem deferri monuit: illa fori vice antè domum ei contiguam iussit appendi. Alius villam perornatam admodum & floridam possedit. Antrum in ea profundum & pulcherrimum inerat, & fortè ob hac proscriptione damnatus fuerat. Contigit autem ut se in antro tunc fortè refrigeraret, cum percussores à longe venientes conspicatus seruus, in profundum antri eum iussit abscedere. Ipse herili tunica assumpta se dominum esse simulauit, & trepidatione magna detineri: & fortassis pro hero mortem pertulisset, nisi quòd conseruus alius dolum reserauit. Interfecto itaque hero populus pergrauiter id ferēs, rem ad principes detulit, nec antè ab ira conquieuit, quàm herum indicantem cruci affixum, qui verò conseruasset, libertate donatum comperit. Ateriū latitantem seruus prodidit, qui statim liber effectus heri sui filijs substantiam ademit, contumelijs quoque insectatus est. Illi quacunque gradientem taciti ac flētes sequebantur. Eam iniuriam detestatus populus, Triumuiris rem aperuit. Hi fortunis abundantem proscripti filijs in seruitutem redegere ultro. Hac circa viros memoriæ conscripta fuisse referuntur. Attigit quoque ob diuitiarum facultates, &

orph

orphanos fortuna illius tempestatis, quorum vnus cum ad praeceptorem graderetur cum pædagogo simul interimitur, dum ille puerum arctius complexus, ab se amoueri minimè sustinuit. Attilius prætexta deposita togam sumpturus amicorum turba stipatus, vt mos fuit, ad sacra & ad templa ducebatur. Exorto rumore eum in tabulis proscriptum esse, amici seruiq́; deseruere omnes. Solus itaq; relictus ex tam insigni pompa ad matrem sese contulit. Ea filium ob timorem penes se retinere verita, domo expulit. Itaq; post matrem alterius periculum facere non ausus in montem aufugit, ex quo ob famem ad ima compulsus in latronem incidit, qui prætergradientes deprædabatur. Ab hoc per vim assuefactus ad prædam, cum delicijs innutritus esset, laborem vt puer ferre non potuit. Arrepto itaq; curru, rotarum velocitate sublatus est, & turmarum ducibus seipsum prodidit, eoq́; modo interemptus est. Dum hæc ita geruntur, Lepidus de Iberis triumphum agere constituit: & statim edictum in hunc modum promulgatur: Lætam fortunam annuntiari omnibus qui sacra conuiuiaq́; eo die peregissent: qui autem minus paruissent, eos in proscriptorum haberi numero. Ille igitur triumphum inter sacra deduxit, omnibus hilari gestu. & mente infesta. Proscriptorum interim bona domesticis venut sub

ijciebantur, paucíq; admodum inuenti sunt, qui agros illorum emere auderent: quidam, quòd infelicium ærumnis pœnam addere erubescerent, nec satis prosperè similia ipsis euenire posse arbitrarentur, non etiam ab his tutò, qui aurum & argentum habuissent, illorum oculis obijci, quinimmo proprios agros neutiquam periculi expertes fore. Verum multo magis quæ ipsi possiderent, discriminis subiecta esse existimarent. Soli quidam ob audaciam minuta quædam pretio coëmerant. Ea ex re principibus, quæ ad belli apparatum necessaria forent, sufficere sperantibus, ducenta millia deesse adhuc comperta sunt. Hæc igitur in publicum referentes illi, quadringentas supra mille mulieres proscripserunt, quæ præcipua diuitiarum copia excellerent: quibus iniunctum erat, quæ haberent æstimantibus simul ad belli conferre necessitatem, quanti vnamquanque earum hi tres condemnassent viri. Aderat & occulentibus quippiam eorum quæ habuissent, aut pretium malè afferentibus, pœna, & similia indicantibus liberis seruisq; præmia. Hæ autem per acceptiores principibus fœminas exorare illos statuerunt. In qua re neque ab sorore Cæsaris, aut Antonij matre repulsæ sunt: à Fuluia duntaxat Antonij vxore à foribus exclusæ contumeliam grauiter tulerunt. In forum

rum itaque delatæ, & à tribunali similiter reiectæ, aßistente populo & satellitibus armatis fari velle dixerunt. Tunc Hortensia præconis voce ante alias proscripta, Moderatione vestra indigentibus, inquit, tot talibusq́; mulieribus, ad vxores vestras confugimus, nullam ab his consecutæ gratiam, à Fuluia reiectæ in forum ab eadem compellimur. Vos quippe iam nobis patres, viros, filios, fratres accusantes eripuistis, quòd ab his iniuriam accepisse fatemini: pecunias etiam abstulistis: nunc sexum nostrum ad indecentiam indignam, ac præter naturæ muliebris modum cogitis. Si enim à nobis quemadmodum à viris nostris contumelia vos affectos creditis, nos æquè vt illos proscribite. Si verò neminem ex vobis hostem decreuimus, non domum diripuimus, aut exercitum corrupimus, aut alium induximus, neque principatus aut honoris titulum sortiri prohibuimus, qua in re suppliciorum participes esse promeruimus, quæ iniuriarum nullam attigimus partem? Quid præterea impendere tenemur, quæ neque imperij, neque honoris, neque exercitus, neque præturæ, aut denique Reipubli. quæ à vobis ad tantum calamitatis discrimen oppugnata est, vtilitatem vllam capimus? An quia, vt dicitis, bellum instat? Sed à quo bella ista prouenere? aut quemadmodum mu-

lieres intulerunt, quas natura apud omnes homines ab his curis vacuas esse voluit? At matres nostræ supra naturam earum semel aliquando id fecerunt, cum periclitante Republi. & desperata urbe instantibus Carthaginensibus, at tum quidem sponte contulerunt non à terrarum aut locorum possessionibus, non à dote aut domibus, sine quibus in libertate positis ne vita quidem superest: sed ab ornatu solum, quem domi possidebant, non pœna aliqua, non accusatoribus aut indicijs adducta: non per necessitatem aut vim coacta, sed quantum sponte ex animo illis placuit. Quis igitur nunc inest vobis de principatu & patria timor? Instet aliquando Celtarum aut Parthorum bellum, non deteriores ad salutem matribus nostris fuisse videbimur. Ciuilia autem bella neque nos intulimus, neque vobiscum adinuicem miscuimus manus, neque in Cæsaris Pompeij ve bellis quippiam impendimus, neque Marius nos aut Cinna ad hoc compulit, non Sylla, qui patriæ tyrannidem induxit: vos autem Rempublicam constituere velle profitemini. Hæc perorante Hortensia, Triumuiri excandescere cœperunt, quod silentibus viris mulieres hac audacia uterentur, concionesq́; celebrarent, & quæ agenda essent à principibus, inquirere auderent, militiam quoque perferentibus

bus viris, ipsa ne pecunias quidem in medium afferrent. Lictoribus itaque imposuere, vt ipsas à tribunali expellerent, donec voce à multitudine edita lictores se paulum continuere, & principes in sequentem diem hac differri mandauerunt. Statuta die, quadringentas solum ex priori numero proscribi iubent, quæ facultatum suarum redderent rationem. Ex viris autem qui ditiores haberentur, centum & amplius millia exterorum simul & ciuium libertorumq́; proscripserunt, inter quos & sacerdotes, & omne genus hominum nemine omisso immiscuere: quemadmodum bello Celtico similibus pœnis ac mandatis à Romanis editum olim memorant, vt quinquagesimam facultatum omnium illis mutuò ad belli conferrent impensam, in tributis eiusdem anni subinde computandam. His igitur mandatis in hunc modum editis Romani paruere: exercitus verò contempsisse visus, & in deteriorem quoque partem retulisse, veluti eorum principibus in huiusmodi operibus solam sibi ipsis securitatem apponentibus. Itaque ab illis domos in publicum redactas, agros, villas, aut hæreditates, filiorum quoque adoptiones deposcebant. Alij diuersa ab his agitabant. nam aut eos qui minimè proscripti fuerant, inuadentes trucidabant, aut domos nulla ex causa ademptas sibi

Vendicabant: ita Vt principes perscriberent alterum ex consulibus commutationem aliquam facere in his quæ præter mandatum facta cognouissent. Verùm ille armatos attingere non ausus, ne in se Vltro eos irritaret, quosdam è seruis militari more sæuientes cruce suspendit. Et hæc quidem in fine calamitatum, quas superius perscripsimus, obiecta huiusmodi fuerunt. Quæcunque autem insperatò ad salutem quibusdam obuenere, & ad dignitatem posterius præbuere gradum, periucundum erit recensere: neque minus Vtilitatem audientibus allatura arbitror, cum in nullo Vt supersint spem Videantur omissuri. Quibus igitur facultas affuit, ad Caßium & Brutum contendere fuga, aut ad Cornificium in Libyam sese contulere, popularium partes adhuc confouentem. Maior tamen pars in Siciliam peruenit, insulam Italiæ finitimam, promptißimè eosdem suscipiente Pompeio. Insignem quippe diligentiam in eos qui à fortuna cecidissent, ea tempestate exhibuit Pompeius. Nam præcones ad partes Vniuersas demittens, omnes ad se reuocabat: & seruantibus illos siue liberis, siue seruis, duplicia his quæ interficientibus proposita erant præmia pollicebatur. Itaque lembi, & onerariæ rates nauigantibus Vndique occurrebant. Triremes insuper littora quaque collustrantes, signa his qui aberrassent præferebant, &

obuios quosque incolumes præstabant. Ipse venientibus assistens, vestem & necessaria quæque conferebat. Dignioribus verò ad præturas aut classium præfecturas vtebatur. Induciis posterius factis, cum triumuiris eo modo assensus est, si ad se fugientes in his suscepissent. Sic ille vtilissimus infortunatæ patriæ ciuis affuit. Qua ex re gloriam adeptus optimam, & priuatim à parente suo illius non inferiorem videtur meruisse. Cæteri ad alia loca fugientes, aut se occultantes, ad inducias vsque partim in agris aut in sepulcris, quidam in vrbe mœstis cogitationibus egere vitam. Mulierum item amores erga viros præter opinionem conspecti, filiorum in parentes beneuolentiæ, seruorum in dominos supra naturam charitatis signa emicuere, ex quibus admiranda maximè perscribo. Paulus Lepidi frater, cū illum percussores velut imperatoris fratrem vererentur, oblata venia enauigauit ad Brutum, deinde Miletū se transtulit: quo ex loco posterius nondum confecta pace euocatus reditum promeruit. Lucium Antonij auunculum Antonij ipsius mater vt fratrem publicè penes se habuit. Erubescentibus itaq; turmarū ducibus eam attingere vt imperatoris matrē, demū vi grassantibus in forū descendit, & Antonium, cæteris ducibus simul considentem sic allocuta est. Me ipsam

accuso imperator Lucium penes me suscepisse, & habere iterum, ac habituram esse, quousque nos ambos interfeceris. Paria etenim his qui suscepere, ac reis supplicia proposita à vobis sunt. Is mulierem vt sororem optimam, matrem verò minus fidelem arguens: non Lucium seruare oportuit, inquit, sed prohibere potius, qui filium tuum hostem iudicari censuit. Deinde Plancum consulem induxit vt reductionem Lucio decerneret. Messala illustris adolescens ad Brutum perfugerat. Eius prudentiam veriti Triumuiri, in hunc modum perscripsere. Ex quo Messalam necessarijs eius nobis affirmantibus minimè affuisse nouimus cum Caius Cæsar occisus est, eundem ex proscriptorum numero eximi iubemus. Verùm ille veniam huiusnodi despexit. Bruto deinde & Cassio in Macedonia deuictis, cum exercitus magno numero superesset adhuc, nauesq; & pecunias, necnon spes optimas sibi ascisceret, Messalam insuper copijs omnibus præsidere cuperet, neutiquam suscepit, verùm aduersanti fortunæ cedendum persuasit, & cum Antonio pariter castra iungere illos monuit. Ea ex causa intima familiaritate deuinctus Antonio, cum eodem vnà conuenit. Demum Cleopatræ delicijs obnoxium ægreferens, ad Cæsarem se transtulit. Is Messalam abrogato Antonio consulem effecit.

Cum

Cum ille iterum esset hostis indicatus, & circa Actium aduersum Antonij praetorem classem continentem ad Celtas deficientes ire iussit, victori quoque triumphum agere concessit. Bibulus cum Messala fœdus iniјt, & cum Antonio pariter classem tenuit. Caesari quoque ad inuicem per mare copias transuexit, ac Syriae praetor electus sub Antonio prouinciae praefuit in ea que decessit. Acilius clàm ab vrbe aufugit. Verùm seruo illum indicante, milites spe pecuniarum allectos impulit vt quosdam è suis ad vxorem eius mitterent, signa afferentes quae illi tradidisset. Ea ad se profectis mundum omnem muliebrem anteponens, ipsis inquit haec omnia tradere, quasi reddituris quae pollicerentur, ignorare tamen an reddituri essent. Neque verò amore eius defraudata est. nam milites Acilio nauem conduxere, & in Siciliam tutum praemisere. Lentulus instante vxore vt eam fugae sociam secum duceret, & ob id attentius illum obseruante, veritus vxorem pariter in discrimen agere, clam perfugit in Siciliam. Praetor demum creatus sub Pompeio, nuntium emisit, quemadmodum saluus euasisset, praetoriam que obtineret dignitatem. Illa quo loci vir eius degeret intelligens, ac matrem custodiae eius assidentem latuit, & seruis duobus comitata, magno la-

bore, summa inopia seruilem in modum profecta est, quoad in regionem Messanam vespera iam inclinante peruenit. nec difficulter quo in loco prætoris tabernaculum existeret edocta, Lentulum non vt prætorem commorantem, sed lecto humi strato, inopi villa, epulatione misera degentem eius desiderio comperit. Apuleio vxor comminata est illum proditúram, si ea dimissa solus aufugisset. Mulierem itaque licet inuitus secum duxit. Contigit autem vt in fuga nulla suspicione iter ageret, vxore, seruis, & ancillis vnà prosequentibus. Antium coniux iniecta culcitra simul inuoluit, eoque modo mercenarijs impositum ad mare præmisit, indéque in Siciliam fuga abijt. Reginum mulier nocte in cloacam immunditijs obsitam deposuit, in quam per diem militibus non ausis ingredi ob fœtorem, sequenti nocte in modum eorum qui ramalia deferre solent, præparauit, & asinum ramalia ferentem illi tradidit. Ipsa breui interuallo in lecticula delata, virum sequebatur. Ex custodibus autem portarum, cum quidam lecticula perspecta addubitaret, scrutareturq́, veritus Reginus, continuò accurrit, & veluti viator quidam militem deprecari cœpit, vt mulieribus parceret. Ille vt ramalium gerulum contemnens, responso cum ira præbito cognouit. Meruerat quippe aliàs sub

eo cum

eo cum Syria præesset: & ,abeas hilarè inquit, imperator mi. iuuat enim te hoc nomine etiam præsentem appellare. Scoponium mulier ab Antonio petijt pudica prius habita, verum infortunio huiusmodi infortunium exclusit. Getam filius veluti moribundum in aperto domus igni imponere visus est. deinde clam in agro nuper consito reliquit: quo in loco senex seipsum permutare studens, membranam alteri oculo apposuit. Inducijs postmodum factis membranam sustulit, oculúmque ex desidia deletum comperit. Oppium filius ex senectute debilem, & manere deprecantem humeris extulit, donec è portis tutum sisteret. Postremò in Siciliam nunc agens, nunc deferens incolumem peruexit, nemine figuram huiusmodi suspicione aut calumnia vlla prosequente: quemadmodum & Aeneam scriptores prodidere verendum fuisse hostibus, quòd parentem detulisset. Populus itaque posterius commendato adolescente ædilem declarauit. Substantia verò eius in publicum relata, cum muneris impēsam ferre nequiuisset, artifices quæ ad magistratum pertinebant, contulere gratis: & spectatores quantum nummorum vnicuique placuit, in orchestra præbuere, ita vt ditissimus hac munificentia fieret. Arianum cum in carceribus testamenti causa affligeretur, filius nō proscriptus parētem proscriptum occul

occuluit, & cum illo pariter fugit: & eundem saluti demum reddidit. Metelli quidem filius ac parens eodem nomine appellabantur. Parens cum Antonio militans circa Actium captus, & à nullo cognitus interim fuerat. Filius sub Cæsare ea tempestate militiam agebat, & pretura simul præsidebat. & hoc quidem cira Actium. In Samo verò diiudicante Cæsare captiuos omnes, cum iuuenis adesset, senex inter hos ducebatur, comis, sorde & squalore obsitus, & ob id immutatus, vt dignosci nequiret. Verum cum inter captiuos præconis voce citaretur, filius è suggestu accurrit, & parentem penè agnitum cum eiulatu complexus, vix fletum potuit continere. Deinde Cæsarem in hunc modum allocutus est. Hic hostis tibi fuit ô Cæsar, ego belli pro te socius. Et hunc quidem æquum est pœnas pendere, me præmia accipere. Peto igitur vt parētem mei causa seruari iubeas, me autem ob illum neci tradi. Misericordia ob hæc exorta inter omnes, Cæsar Metellum quanquam sibi inimicissimum seruari iussit, donis quoque multis adornauit, cum ab Antonio sæpenumero despiceretur. Marcum clientes summa clementia & benignitate toto proscriptionis tempore intra habitationem eorum tenuere. Postremò concessa venia omnibus, Marcus ab eorum domo tanquam è fuga prodiit. Hircius cum familiaribus vrbe effugiens

giens per Italiam profectus est carceratos soluens, & fugientes in vnum congregans: oppida etiam perpauca à principio, deinde maiore numero inuasit. Post hæc fortiore manu comparata Brundusinos sibi subdidit, & exercitu in eum misso, ad Pompeium cum omnibus copijs euasit. Restionem solum effugere putantem seruus clam insecutus est. prius quippe sub Restione enutritus, & in multis clementer habitus, ob nequitiam tandem notis barbaricis inustus fuerat. Restioni itaque in palude latitanti seruus præsto astitit, eúmque ex occursu facilè conterruit. At ille trepidanti hero ita locutus est. Nunquid me magis ô here præsentium stigmatum, an priorum beneficiorum putas reminisci? & his dictis in speluncam abactum & quiescentem egregiè curauit, cibaria illi vt potuit hinc inde conquisiuit. Suspicione etiam aborta circa speluncam, cum armati appropinquarent, seruus re animaduersa insecutus est, & senem quendam prætergradientem accurrens interfecit, caputq́; abscidit. Stupefactis militibus, & vt viatoris interfectorem comprehendentibus, Restionem, inquit, herum meum occidi, qui mihi hæc stigmata inussit. Illi capite adempto ob præmij spem in vrbem, vt agnosceret, simul detulere. Seruus interim excitato hero in Siciliam cum illo enauigauit. Appion dum in stabulo quiesceret, ar-

matis

matis accurrentibus seruus vestem eius induit, & pro hero in lecto eius accubans libens mortem pro illo subijt: hero interim serui in morem illi assidente. Armatis Menenij domum inuadentibus seruus heri lecticam ingressus est alijs conseruis operam nauantibus, elatúsque Menenij loco interficitur. Ipse subinde in Siciliam aufugit. Iunium libertus eius Philemon domum sortitus splendidam, in medio vrna quadam inclusum tenuit, ex his quas ad ferri repositiones, aut pecuniarum librorúmue custodiam habere solent: in eáque per noctem vsq; ad inducias aluit. Libertus alius sepulcrum domini custodiens, heram proscriptam in eodem sepulcro cum parente vnà saluos tenuit. Lucretius duobus fidis seruis comitatus errabundus cibariorum inopia ad vxorem retrocessit. A seruis veluti ager quidam lectica delatus in vrbem, interim vni ex seruis perfracto crure alteri innixus ambulabat. Cum verò ad portas accessisset, quo in loco parens eius à Sylla proscriptus olim interceptus fuerat, turmam militum accurrentem intuens pauefactus est loci omine, & cum seruo aufugiens in sepulcro latuit. Pollinctoribus demùo sepulcra perscrutantibus, seruus se vltro vt caperetur obtulit, que ad Lucretius iterum ad portas profugit, ibique tandiu commoratus est, vt rediret seruus, cuius vestem sibi

indu

induit, indéque ad vxorem rediit, sub cuius cura duobus interclusus laquearibus delituit, donec ex proscriptorum numero eximeretur. Postremò confecta pace, consulari dignitate potitus est. Sergius apud Antonium ipsum latuit, quousque Planco qui tum consulatu fruebatur, reditum suasit decernere. Idem deinde Sergius in Cæsaris & Antonij dissensione Senatu Antonium hostem iudicante, solus absolutionem palàm protulit. Atque hi hunc in modum seruati sunt. Pomponius prætoris in formam seipsum adornauit, & seruos ministrorum more similiter componens, ciuitatem vt prætor lictoribus stipatus pertransiuit, seruis illum circunstantibus, occulentibúsque, ne ab vllo dignosci posset: demum iuxta portas currus publicos ascendens, peragrata Italia, suscipientibus illum cunctis, præmittentibúsque vt prætorem à Triumuiris missum ad inducias ineundas cum Pompeio, publica etiam trireme ad illum pertransiuit. Apuleius & Aruntius ductores militum se esse simulantes, & seruos militaribus instruentes armis, ad portas veluti proscriptos insequentes properarunt. Per reliquum verò itineris ita profecti sunt, vt carceratos exsoluerent, accurrentes ad eos in vnum colligerent quousque sufficienti exercitu vterque eorum potiretur. Iam signis armisque fulgebant, &

digni

dignitas exercitibus abunde aderat. Quisque vero per se iuxta mare ad tumulum quendam castra habebat. Orta luce cum suspicio inter eos incidisset, quasi vnus contra alterum copias parasset, assumptis armis pugnam ineunt. Demum resipiscentes abiectis telis inuicem flere, & fortunam in eos sæuientem apud omnes queri lamentarique cœperunt. Postremò classe delati, vnus ad Brutum, alter ad Pompeium peruenere. Et hic quidem cum Pompeio vnà rediit, alter sub Bruto in Bithynia prætor fuit: & Bruto in Macedonia deuicto, Bithynia Antonio præbita, domum rediit. Ventidium libertus cum primum proscriptus fuit, vinculis iniecit, quasi iugulatoribus eum præbiturus: nocte verò seruos in vnum adhortatus, ad militum similitudinem instruxit, & herum turmarum ducis more ornatum vrbe expulit, ac per reliquam Italiam vsque in Siciliam euexit, sæpenumero cum cæteris ducibus qui illum inquirebant, hospitatus. Alium in sepulcro occuluit libertus: verum cum ille sepulcri meditationem & pauorem abhorreret, in quadam domuncula latere monuit. Inhabitante non longe vno ex ductorum numero, huius vicissim timorem ferre non potuit. Ita ex summo pauore ad extremam prolapsus audaciam, raso capite ad inducias vsque præceptorem veluti discipulus in vrbe comita-

tus

tus est. Volusius dum ædilitatem gereret, proscriptus est. Is sacerdoti cuidam Isidis amicitia deuinctus stolam ab eo petijt, & vestem ad pedes vsque induens, canem capiti imposuit: eóque modo sacra peragens ad Pompeium peruenit. Sittium Caleni ciuem eorum existentem, & multa illis ex substantia propria olim elargitum, summa custodiere diligentia, ferro adsistentes, & seruis minitantes, necnon milites abigentes ab eorum mœnibus, quousque deferuescente iam nequitia ad Triumuiros emisere legatos, qui Sittium ab omni Italia exclusum in patria tute commorari obtinuere. Sic Sittius primus vel vnicus virorum omnium ex peregrinatione in patriam profugus peruenit. Varro philosophus, & historiarum pariter scriptor, militia egregiè perfunctus, & prætorius vir, & fortaßis ob hæc monarchiæ inimicus habitus, inter proscriptos relatus fuerat, contendentibus inuicem domesticis eius & amicis, quis illum prius esset suscepturus: Calenus tandem penes se retinuit, habuitque in villa, in quam Antonius deambulationis causa proficiscebatur aliquando, & tamen nullus seruorum aut Varronis ipsius aut Caleni intus existentem Antonio prodidit. Virginius vir dicendi suauitate præcipuus, seruos edocuit quemadmodum ob modicas pecunias nec satis

tute illum occidentes, odium ingens subituri forent, demum extremo pauore tenerentur: Sin incolumem seruassent, eos gloriam pietatis habituros, ad hæc spes optimas, pecunias etiam multo plures maiori securitate adepturos esse. Quibus persuasi, cum eodem veluti conseruo arripuere fugam, & in via à percussoribus agnitum strenuè tutari pugnando conati sunt. Sed cum ab ipsis tandem comprehensus duceretur, verbis insinuare cœpit, se non ob eorum inimicitiam ad necem compelli, sed ob pecuniarum duntaxat spem. E docuit itaque multo iustiores & copiosiores eos assecuturos fore, si ad mare secum accessissent, quo in loco vxor mea, inquit, nauem pecunijs stipatam deuehit. Milites hac spe deliniti, ad mare descendunt. Mulier, vt à viro mandatum fuit, ad mare quidem venerat, cæterum tardante Virginio, rata illum ad Pompeium transiuisse, nauim abduxerat, seruo in littore maris derelicto, qui id annunciaret. Seruus Virginium intuens, ad herum subitò accurrit, & nauem à longe recedentem illi ostendit, & quæ mulier mandauerat, cur ve ibidem relictus esset, edisserit. id milites clarè dignoscentes, cum Virginius aliquantisper morari suaderet dum mulierem euocaret, aut simul cum eo ad sumendas pecunias accedere, scapham ingressi, non sine iugi labore

certa

certatim remigantes, eundem in Siciliam tutum deduxere. Ibi quæ pollicita fuerant adepti, neutiquam à seruitio eius destitere ad inducias vsque. Rebulum nauita quidam intra nauem suscipiens quasi in Siciliam deducturus, pecunias ab eo postulauit: eundem indicare velle comminatus nisi tradidisset. Ille Themistoclis in morem cùm aufugeret effecit, comminatus & illum pariter accusare velle, quòd ob pecunias se intra nauem recepisset. Ob eam rem côterritus nauita Rebulum ad Pompeium deduxit. Marcus sub Bruto olim prætor, ea ex causa proscriptione damnatus fuerat. Deuicto demum Bruto interceptus, se seruum esse simulauit, emptúsque à Barbula quodam nomine, cum solertem illum intueretur, cæteris seruis præsidere voluit, pecuniarum insuper curam habere concessit. Aptum igitur ad omnia supra seruorum morem expertus ac prudentem, si ex proscriptis aliquis fortasse esset, & id profiteretur, eum seruare velle pollicitus est. Abnuente illo vehementius, & genus noménque ac priores dominos verbis simulante, Romam secum iussit accedere, ratus id negaturum esse si proscriptus extitisset. At ille intrepidus secutus est. Circa fores interim consulum ex amicis Barbulæ quispiam inspecto Marco serui in morem illum prosequente, clàm Barbulæ insusurrauit auribus: Ille

per Agrippam exorato Cæſare, ex proſcriptorum numero exemit, fuítque ſubinde Cæſaris amicus Marcus. Nec multò pòſt circa Actium contra Antonium prætor inſtituitur, ſecutúmque eſt ut eodem tempore ſub Antonio præturam gereret Barbula, ſimilísque fortuna illi occurreret. Barbula ſiquidem deuicto Antonio captus ab hoſtibus, cum ſe ſeruum eſſe ſimularet, & illum pretio inſcius emiſſet Marcus, re Cæſari intimata, ut ſaluus eſſet impetrauit, ſimiléque beneficium illi reddidit. His igitur pares affuere fortunæ, utriſque inſuper pares permanſere. nam nominis eiuſdem dignitatem in urbe obtinuere ambo. Balbino fugienti, & cum Pompeio demum redeunti, nec multò pòſt gerenti conſulatum, Lepidus ſub Cæſare ex potenti ad infimum delatus gradum, ex huiuſmodi cauſa adſtitit. Mecænas Lepidi filium perſequebatur, quòd in Cæſarem conſpiraſſe diceretur. Perſequebatur & matrem ſimili ſuſpicione laborantem cum filio, Lepidum tum debilem quidem haud multifaciens. Iuuenem igitur Mecænas Cæſari ad Actium præmiſit, matrem verò, ne mulier exiſtens duceretur fideiubere apud conſulem iuſſit, ſe ad Cæſarem ituram eſſe. Nemine fideiuſſionem ſubeunte, Lepidus ad Balbini fores plerunque morabatur, & ius dicenti præſens aderat, miniſtriſque

cum

eum à longe propellentibus, vix hæc effari potuit. Mihi quidem accusatores innocentiam adesse perhibent, neque cum uxore aut filio unà conspirasse aiunt. Te autem neutiquam proscripsi unquam cum in proscribentium numero assisterem. Ad humanos itaque casus intuens, & ad me tibi assidentem hanc gratiam exhibe, ut vel me sponsore mulier ad Cæsarem transire queat, vel ego cum illa simul deuinctus eam. Hæc dicente Lepido, Balbinus pietate motus, mulierem à fideiussione absoluit. Cicero à Cicerone parente eius in Græciam præmissus, cum fortunam huiusmodi futuram vereretur, è Græcia ad Brutum peruenit. Defuncto deinde Bruto ad Pompeiū pertransiuit, cum utroque præturæ functus officio. Hunc Cæsar, quò se à traditione Ciceronis excusaret, Pontificem statim declarauit, nec multò pòst consulem instituit, & Syriæ prætorem. Antonio apud Actium posterius deuicto à Cæsare, cum consul adhuc esset, ius populo plerunque dixit, seditque pro Rostris eo in loco, quo parentis eius caput manúsque pependerant. Appius seruis suis substantiam distribuit, & in Siciliam cum ipsis ut transiret nauem conscendit. Illi insurgente tempestate auri cupiditate permoti, Appium parua quadam rate quasi tutiorem in spem deponunt. contigitque ut præter cunctorum opinionem

euaderet ille, serui perfracta naui ad vnum interirent. Publius Bruti quaestor, Antonij domesticis illum adhortantibus vt Brutum proderet, id facere renuit, & ob id proscriptus, demũ reuersus inter Caesaris amicos esse meruit. Aduenienti quoque Caesari nonnunquam Bruti imagines apposuit: eáq; ex caussa laudatus est à Caesare. Haec autem praeter cunctorum opinionem, quae nonnullis proscriptorum ad discrimen aut salutem eorum contigere, pluribus alijs omissis à me potissimum relata sunt. His igitur Romae gestis, quae vltrà confinia posita erant, ob huiusmodi seditiones bellis turbinibúsque agitabantur. Bellorum autem vel praecipua fuere circa Libyam Cornificio aduersus Sextium depugnante, & in Syria Cassio contra Dolabellam, in Sicilia quoquè clades plurimae à Pompeio ciuitatibus captiuitatésque inferebantur. Quae igitur memoria minus digna visa sunt omittentes clariora, & ob aliorum dignitatem longe conspicua in Laodicenses, Tarsenses, Rhodios, Pataraeos, Xanthiósque gesta, & eorum quaelibet veluti ab exordio explicabimus. Libyae partem Romani veterem adhuc nominant, quam olim abstulere Carthaginensibus. Eam verò quam Iuba rex tenuit, & posterius sub Caesare illi ademere, nouam Libyam appellãt. est autem Numidica. Sextius igitur sub Caesare

ſare Libyæ præfectus, quæ noua dicitur, Cornificium ex veteri Libya iuſsit excedere, quaſi Cæſari in partitione triumuiratus vniuerſa Libya ex ſorte contigiſſet. Ille partitionem iudicantibus triumuiris editam ignorare reſpondit, neque prouinciam à Senatu habitum alicui præter quam Senatui velle concedere: hac ex cauſa adinuicem armis contendebant. Exercitum Cornificius longe maiorem & grauiorem continebat: Seſtius leuiorem inferiorémque ducebat. Ex quo mediterranea quæque percurrens, quæ Cornificio parebant, ad defectionem incitabat, & Ventidium Cornificij præfectum cum pluribus in eum irruentem vrbe concluſus repellebat. Excurrebat & Lælius alter Cornificij præfectus Libyam quæ Seſtio ſupererat, & Cirtam vrbem ipſe aſsiſtens oppugnabat, omnéſque ad Arabionem regem, & ad eos qui Sittiani nuncupantur, præmiſsis oratoribus ad belli ſocietatem pellicere tentabant. Sittiani nempè à confœderatione huiuſmodi nominati ſunt. Sittius Romæ accuſationem propriam ferre non auſus, arrepta fuga exercitum in vnum comparauit. deinde ex Italia & Iberia in Libyam enauigauit. Libycis porrò regibus adinuicem contendentibus bello per partes opem attulit. Quibus autem attuliſſet, continuè victoria exultantibus, Sittij nomen adeptus eſt. Nam exercitus

eius splẽdidè armis depugnabat. Caio demum Cæsari in Libya persequenti Pompeianos auxilium impendit, & Soborram Iubæ præfectum perillustrem occidit. Quorum omnium ob causam præmium à Cæsare suscepit Manaßis regis prouinciam, non vniuersam tamen, sed potentißimam eius partem. Manasses quippe Arabionis pater fuit Iubæ in bello socius. Huius igitur prouinciam Cæsar Sittio & Boccho Maurusiorum regi dono contulit. Eius partem Sittius his qui sub illo fuerant pariter diuisit. Arabio ea tempestate in Iberiam ad Pompeij filios perfugit. Postremò Caio Cæsare interfecto, in Libyam ad suos redijt, & Libycorum nonnullos continuè iuniori Pompeio præmittens in Iberiam, & bellatores inde suscipiens, Boccho prouinciam ademit: Sittium quoque interfecit dolo: ob hac Pompeianis fauorabilis, cum eorum partes aßidua infelicitate corruentes desperaret, Sittio prioris filio adhæsit per quem Cæsari conciliatus est. Hunc & Sittiani ob paternam amicitiam cum Cæsare comitati sunt. His igitur confisus Sextius, ab obsidione ad pugnam progreditur, & Ventidio vi superato fugiente exercitu ob indignitatem interficiens capiénsque persequitur. His perceptis Lælius Cirtam obsidione liberauit, & ad Cornificium sese transtulit. Sextius rebus gestis elatus, ad ipsum Cornificium Vticam

versus

Versus castra mouet, & quanquam pluribus fidenti copijs contrà astitit. Cornificio Lælium cum Equitibus ad inuestigandos hostes præmittente, Sestius Arabionem vt à fronte Lælio obsisteret, cum Equitibus pariter ire iubet. Ipse potioribus stipatus, è transuerso Equitibus irruit, eósque conterruit, adeò vt Lælium non inferiorem adhuc, ne reditu prohiberetur trepidantem, tumulum qui in medio patebat, coegerit adire. Arabioni verò prius assistentes interimere, & tumulum circundare imperat. Hæc animaduertens Cornificius, maioibus copijs Lælio vt opitularetur accurrit. Sestius à tergo instans ad illum subitò defertur, quem ab se vt repelleret Cornificius non sine ingi labore depugnabat. Arabio interea inter petras reptantibus suis per præcipitia ad Cornificij exercitum clam accessit. Roscius castrorum curæ derelictus, intercepto vallo à scutigerulo quodam exerto iugulo interfectus est. Cornificius pugna fatigatus per camporum auia ad Lælium cursu transilit, quæ in exercitu gesta erant, penitus ignorans. Decurrentem autem illum conspicati Arabionis Equites, persequentésque interficiunt. Hæc vt gesta erant, à colle summo contemplatus Lælius sibi ipsi necem consciuit. Ducibus itaque prostratis hunc in modum exercitus per partes fugam arripuit. Quicunque cum

Cornificio ex proscriptione damnati fuerant, in Siciliam enauigarunt: alij, ut quisque potuit, abiere fuga. Sestius Arabionem Sittianósque omnes multis adornauit spolijs, ciuitates uniuersas concessa uenia Caesaris ditioni subdidit. Hic igitur bello inter Sestium Cornificiúmque gesto in Libya finis datus, breui pro fecto, si gestorum celeritatem mente reputes. Quae uerò ad Caßium Brutúmque pertinent, parua quidem, si praemissa animaduertas, huiusmodi fuere. Cùm Caius Caesar interfectus esset, percussores eius Capitolium statim inuasere: decreta deinde obliuione omnium, ab eodem descenderunt. Verùm populus in commendatione funeris misericordia excitus, interfectores Caesaris hinc inde coepit conquirere. Hi ciues à tectis abigentes ad prouincias separatim profecti sunt, quas à Caesare unusquisque ex decreto nactus fuerat. Caßius & Brutus praetores adhuc in urbe morabantur, quibus similiter à Caesare ut prouinciarum curae aßisterent iniunctum fuerat, & ut Caßius Syriae praeesset, Brutus Macedoniae. Neque magistratus ante tempus assumere potentes, neque caedis odium in urbe perferentes, cum praetores adhuc essent, urbe excesserant. His ad indignitatem obtegendam, Senatus ut annonae curam agerent iniunxerat, ne medio interim tempore aufugisse uiderentur. Absentibus illis

Syria

Syria quidem & Macedonia Antonio & Dolabellæ, qui consulatui præerant, ex decreto delegantur. Senatu permoleste id ferente, datum est earum loco ut Cyrenem Cassius administraret, Cretam Brutus: quas ut inferiores contemnentes illi, exercitum pecuniásque collegerant, ut Syriam & Macedoniam ultro inuaderent: & hi circa huiusmodi curas versabantur. Occiso autem Trebonio à Dolabella in Asia, Antonio Decimum inter Celtas obsidente, ut à nobis præmissum est, conturbatus Senatus Dolabellam simul & Antonium hostes iudicauit. Brutum autem & Cassium ad priores prouincias reuerti iussit. Bruto insuper Illyrium addendum censuit. Cæteros omnes quicunque Romanorum nationibus exercitibúsque praeessent, ab Ionio Syriam usque Cassio & Bruto subesse voluit. His ex causis Dolabellam anteueniens Cassius, in Syriam deducto exercitu, signa magistratus in primis extulit, & duas supra decem legiones ex Caij Cæsaris exercitu iampridem in castris commorantes, exercitatásque primo impetu assumpsit. Quippe unum ex suis Cæsar in Syria dereliquerat cum in Parthos præpararet bellum: apparatum autem omnem illi tradidit Cæcilius Bassus. Nam cum dignitatem & præturā contineret Sextus Iulius adolescens

lescens Cæsaris affinis, legionémque in delicijs inhoneste duceret, conquerente Basso contumelijs eundem insectatus est, postremum omnium Bassum appellans, ob quæ cum minus appareret ille, duci à lictoribus confestim iussit. Tumultu inter eos turpiter exorto, cum Bassus telis ensibúsque impeteretur, exercitus rei deformitate perspecta Iulium occidit. Milites facti primum pœnitentia, deinde Cæsaris timor insecutus est. Iure igitur iurando in vnũ conspirantes, nisi venia illis aut fides præberetur, ad mortem vsque decertare velle, Bassum ad hæc ipsa secum compulere. Aliam quoque legionem inuicem ducentes strenuè pugnabant, & Sextum Murcum tribus legionibus à Cæsare præmissum haud ignauè repellebant. Murco belli socius affuit Minutius Crispus ex Bithynia tribus comitatus legionibus. Hi Bassum sex iam freti legionibus obsessum detinebant. Cassius obsidione percepta Bassi, exercitum ad se confluentem suscepit vltro. Murci ad hæc & Minutij exercitus, militibus se ex beneuolentia dedentibus, & ex Senatus mandato ad omnia obsequentibus, inuicem sibi asciuit. Prius quippe Albinus à Dolabella missus in Aegyptum quatuor legiones ex prouincia deduxerat, quæ à Pompeij clade Crassique superfuerant: eas sub Cæsare olim derelictas Cleopatra detinebat. Cassius

sius Albinum, eorum quæ agitabantur penitus ignarum, in Palæstina subito inuasit, & exercitum sibi tradere coegit, quatuor legionibus aduersum octo depugnare veritum. Sic Cassius mirum in modum duodecim optimarum legionum confestim imperator effectus est. Nonnulli quoque ex Parthorum sagittarijs in equis pugnare soliti Cassio adhæserant, fama apud Parthos iam inde increbrescente, cum olim Crasso quæstor astitisset, eundem imperatore suo longe prudentius decertare solitum. Dolabella post Treboníj necem circa Ionium moram agitabat, tributa quoque à ciuitatibus exigens, classem per Lucium Figulum à Rhodijs, Lycijs, Pamphilijs, atque Cilicijs mercede in vnum comparabat. Cùm in promptu adessent omnia, Syriam aggredi instituit: terrestri quidem itinere legiones duas idem agitabat: classis vero à Figulo deuecta sequebatur. Cassij deinde copiarum magnitudine percepta, ad Laodiceam vrbem sibi amicissimam conuertit iter, quam Cherroneso contiguam, & qua telluris inerant tutantem, & ad mare facilem præbentem aditum in primis nouerat. Quo in loco abunde commeatum à mari capere, quóque libuisset classem tutò conuertere liceret. Id intelligens Cassius, veritúsque ne ab eius manibus Dolabella euaderet (Isthmum enim obtineb

tinebat per duo stadia distantem) lapides, omnémque materiam ex ouilibus, suburbijs, vallisque castrorum in vnum conferens nauium causa in Phœniciam, Lyciam, Rhodúmque præmisit. Spretus itaque ab omnibus præterquam Sidonijs, in Dolabellam classem mouet. Et naues quidem abunde vtrique ad pugnam aderant, ex quibus quinque cum ipsis hominibus à Dolabella capiuntur. Cassius ad eos qui mandata neglexissent, denuò ex suis mittit, & ad Cleopatram Aegypti reginam, ad Serapionem quoque in Cypro pro Cleopatra exercitum ducentem. Tyrij igitur & Aradij, & Serapion Cleopatra inscia naues omnes quas habebant, Cassio præmittunt. Regina famem, pestémque, quibus Aegyptus ea tempestate oppressa erat, Cassio duntaxat obtulit: ob familiaritatem verò primi Cæsaris Dolabellæ fauere instituit. Ex hac igitur sententia quatuor legiones per Albinũ sibi misit, alterúmque exercitum ad eius opem paratum tenuit: venti nanque incubuerant. Rhodij autem, & Lycij, neque Bruto, neque Cassio ciuilibus in bellis auxilium afferre velle, Dolabellæ naues ad transitum dedisse, nullam tamen cum illo belli societatem inisse fatebantur. Cassius ex his quæ in præsenti aderant, pro tempore sese instruens, bis in Dolabellam copias mouit. Ac primum inter se

acri

acri odio iniere prælium. ſubinde in re nauali inferior Dolabella apparuit. Caſsius elata aggere murum Vrbis adeò concuſsit, Vt ruinam minaretur. Cuſtodem autem noctis Marſum nomine cum nullo pretio corrumpere liceret, turmarum duces diurna cuſtodia præfectos, Vt ſibi obſequerentur, induxit. Quieſcente igitur per diem Marſo reſeratis portis Caſſius per partes magna multitudine ingreſſus eſt. Capta Vrbe Dolabella cuſtodi corporis caput obtulit, monuitque Vt abſciſſum Caſſio afferret, quò proprium ſeruaret. Ille capite deſecto ſeipſum interemit. Pari modo Marſus Vita ſe priuauit. Caſsius Dolabellæ exercitum ad ſe tranſtulit, Laodicenſium ſacra publicáque omnia prædæ expoſuit. Ciuium primores ſupplicio affecit, reliquos grauioribus tributis ſubeſſe Voluit, Vrbémque ad extremam tandem cladem impulit. Poſt Laodiceæ captiuitatem Caſsius in Aegyptum copias mouit, Cleopatram magnis copijs ad Cæſarem Antoniúmque tranſire audiens, ratus nauigationem illi prohibere, animúmque eius erga ſe pariter Vlciſci poſſe. Nam Aegyptum eo tempore fame inprimis confectam audiebat; nec exterorum exercitum copioſum admodum Albini militibus à principio emiſsis continere. Verùm illum ſpe & impetu geſtarum rerum exultantem, Brutus ſumma celeritate

ad

ad se redire monuit, cùm iam Cæsar & Antonius Ionium classe transire dicerentur. Tanta igitur spe deiectus Cassius, haud sponte in Aegyptum transire destitit. Parthorum itaque sagittarios præmijs affectos à se dimisit. Oratores etiam ad regem eorum delegauit, qui illum ad societatem maiorem ineundam vel etiam post opus inuitarent. Syriam porrò ac plerásque finitimas nationes ad Ionium vsque percurrit, indéque exercitum retro mouens, fratris filium in Syria cum legione vna dereliquit. Ipse equites in Cappadociam præmisit, qui Ariobarzanem nihil tale metuentem, quasi insidias olim sibi præstruxisset, oppressere, pecuniámque eius plurimam, omnémque alium apparatum ad eum adduxere. Tarsensibus præterea inter se dissidentibus, cùm alij Cassium prius venientem, alij Dolabellam post illum accedentem corona donauissent (vtrique enim per quandam vrbis significationem id effecerant) contendentibúsque adinuicem veluti in mutatione maxima calamitas vtrósque inuaserat. Cassius igitur deuicto Dolabella mille & quingentorum talentorum tributum exoluere illos iussit. Ad quod persoluendum cum impotentes essent, assiduéque à militibus ad illos venientibus fide cogerentur omnia publica venundare, sacra quoque publicis adiungere coacti sunt,
quae

quacunq; ad pompas aut insignia seruabant, concidentes. Quibus nec sic sufficientibus ad ferenda onera, magistratus quæ libera apud eos fuere, venui subiecerant. Primi igitur pueri, innuptæq; puellæ, mulieres deinde, tum senes ætate miserandi paruo pretio abalienabantur, postremo adolescentuli, ex quibus plerique seipsos confecere, donec rebus in hunc modum collabentibus Cassius è Syria rediens misertus est, tributi quoque residuum absoluit. Tarsus igitur & Laodicea calamitatibus his oppressæ sunt. Cassius interea & Brutus adinuicem consilia ineunt. Bruto exercitum eo ex loco mutare visum, & in Macedoniam ad longe maius opus se transferre: Hostibus quadraginta in bello adesse legiones, & earum octo cum Ceditio & Norbano iam Ionium pertransiisse aicbat. Cassius contrà hostes haud multifaciendos existimabat. ex inopia quippe seipsos facilè oppressuros ob multitudinem. Rhodios, Lycios'que aggrediendos esse, vtpote illis beneuolos, & classem continentes, ne inter agendum eos à tergo inuaderent. Cum inter vtrosque conuenisset, diuisere copias. Brutus aduersus Lycios, Cassius ad Rhodios profectus est. In ea quippe insula eruditus Græcis literis, atque innutritus fuerat. Sed vbi cum fortissimis viris nauali prælio esset certaturus, proprias naues apparare

ſtuduit, compleuitque, & in Gnido exercuit. Rhodiorum quicunque prudentiores aderant, cum Romanis ad arma venire formidabant. Populus verò quammaxime exultabat: & qui vetera etiam opera ad diſsimiles illis viros mente repetebant. Naues autem eorum vel præcipuas tres ac triginta in vnum conduxere, alias quoque ad Gnidum emiſere qui Caſsium ſimul admonerent ne Rhodios contemneret, quorum ciuitas contemptores ſuos continue vlta eſſet: neque fœdera inſuper, quæ Rhodij cum Romanis iniſſent, ne arma inuicem inferrent. Si quid de ſocietate belli quæreretur, velle id à Romanorum Senatu diſcere: quo iubente, ad ſocietatem confeſtim venturos eſſe. hæc vel præcipue Rhodij aſſerebant. Ille bello pro verbis decertare opus eſſe inquit. Fœdera, ne arma adinuicem inferrent, prohibere, verum Rhodios Dolabellæ conſpirantes Caſsio inſurrexiſſe. Iubere nunc vt opem mutuo afferrent Caſsio indigenti: Eos ironia vti, & ad Romanorum Senatum velle mittere fugitiuum & errantem ob tyrannos in vrbe commorantes, qui & ipſi pœnas confeſtim penderent, & Rhodij vnà cum illis quos in primis venerantur, ni ſubito imperata facerent, hæc à Caſsio illis reddita: quæ audientes qui ſanioribus conſilijs adhæſerant, maiori adhuc trepidatione tenebantur.

Mult

Multitudo verò inconsulto quodam impetu Alexandrum efflagitabat, & Manassem, quoniam Mithridates pluribus nauibus ad eos contendisset, & Demetrius olim ante Mithridatem. Hi igitur Alexandrum ob hac in Pritanem sibi asciuerant: est autem hæc quammaxime imperatoria dignitas: & Manassem classis ducem instituerant. Emisêre tamen denuo ad Cassium legationis causa Archelaum quendam præceptorem olim Græcarum literarum ea in insula, vt eum deprecaretur iucūdum hominem, & Cassio longe pinguiorem. Is dextra eius apprehensa, vt notum precabatur his verbis. Ne Græcam conturbes vrbem Græcorum amice vir: ne Rhodum, libertatis vir amator: nec Doricam spernas dignitatem, nunquam ex quo nati sumus imminutam: nec optimæ obliuiscaris historiæ, quam Romæ Rhodiq́ue didicisti. Rhodi quidem quæcunque Rhodij erga vrbes regesq́ue alios, & eos maxime qui inexpugnabiles arbitrabantur esse, Demetrium ac Mithridatem, pro libertate peregere, pro qua tu te laborare asseris. Romæ verò quæcunque vobiscum & in alios & contra Antiochum magnum egimus, quorum apud nos columnæ à vobis inscriptæ adhuc extant monumenta gestarum rerum. Et hæc quidem ob genus dignitatémque nostrorum, & felicitatis in hanc vs-

que diem, liberaque societatis & electionis in Vos ô Romani dicta sint. Tibi autem ô Casi singularis quaedam inest Verecundia in hanc Vrbem, & in nutricem tuam, eruditricemque ac medicinalem, & larem proprium quem incoluisti, & praeceptorium Vobis locum, & in me qui te ad alia contumeliam afferre credidi, & pro patria bellum gerere, ne tecum armis cogatur decertare, qui in ea enutritus eruditúsque fuisti: né Ve ex duobus alterum ex necessitate eueniat, aut Rhodios omnes bello occumbere, aut Cassium ab illis pugna superari. Consulo etenim Vltra quod obsecratus sum, & tanto pro Republica operi assistenti deos propitios adesse cupio. Vos autem iureiurando deos inuocastis cum nuper per Caium Caesarem nobiscum conuenistis: foedera quoque sacris addidistis, ac dextras inuicem complexi estis: quae assidue in hostes exerenda sunt, non autem in amicos & altores. Parce non dijs modo, sed gloriae quae ad mortales pertinet, cum nulla foederum Violatio immanior habenda sit, quàm quae delinquentes ad omnia infidos reddit amicis, inimicis'que. Haec eloquutus senior, Cassij dextram haudquanquã dimittebat, Verum lacrymis rigabat amplius, sic Vt Cassius ab aspectu eius erubesceret, & passionem ex rubore palàm ederet, Vix Vt haec potuerit loqui. Siquidem

dem Rhodijs minime consubuisti ne mihi iniuriam inferrent, iniuria me affecisti. Si verò eos edocens monens'que nequaquam suasisti, opem tibi affero. Apertè quippe iniuria affectus sum, primum, quòd auxilium belli expetens ab his qui me erudierunt, & enutrierunt, despicior, ac contemnor. Deinde quòd Dolabellam, quem neque erudiere neque enutriere, mihi antetulerunt: &, quod intolerabilius est, non mihi modo, sed Bruto, virisq; optimis quoscunque ex senatorio ordine tyrannidem effugisse cernitis, & pro libertate patria pugnantes. Et vos ô Rhodij libertatis amatores, Dolabellam patriam in seruitutem asserentem, nobis anteponitis: quibus autem beneuolos esse oportuit, negligitis, ciuilibus vos bellis neutiquam immiscere simulantes. Est profectò inter ciues concertatio, quã nos potestatem populi affectamus esse. Bellum quod nunc geritur, apertum est, Republicæ aduersum monarchiam contendentis: & vos Republicæ fauentes derelinquitis, deprecantes'que pro suis legibus, amicitiam'que Romanorum præferentes, morte, publicatione bonorum, sine iudicio proscriptos, nulla misericordia amplexamini, sed Senatum hac damna patientem, & opem sibi afferre nequeuntem consulere velle simulatis. Iam enim vobis clare innotuit ex his quæ à Senatu de-

 cretæ

creta sunt, omnes qui orientis plagas incolunt, mihi ac Bruto auxilium impendere oportere. At verò nobis finitima acquirentibus, quid auxilij impenderitis ob beneficentiam, ac mercedem eorum quæ à nobis suscepistis, tuipse cogita: quoniam nobis libertatis ac salutis cura inest, vos autem iniuria affectis nullam affertis opem, quos æquum erat etsi non nobis adinuicem certantibus adesse, attamen imperium sibi vendicantes pro Romanorum Republica vtilitatéque repellere, cum Dorici sitis. Cæterum vos rationes & opera haud multifacientes, solum fœdera quæ vobiscum egimus, nobis anteponitis, & quæ cum Caio Cæsare monarchiæ principe pariter iniuimus. sed hæc quidem Romanos Rhodiósque in eorum necessitatibus inuicem sibi auxilia afferre admonent. Assistite igitur nobis in maximis Romanorum casibus atque periculis. Cassius est qui fœdera vobis anteponit, qui vos ad belli societatem inuocat, Romanus vir, & Romanorum prætor, vt Senatus decretum indicat; in quo omnes qui vltra Ionium mare incolunt, ditioni nostræ subesse voluit. Hæc eadem & Brutus vobis anteponit, & Pompeius mare ad Senatus imperium conuertens. Ad hæc preces addimus, deprecantúrque quicunque è Senatu nuper expulsi atque fugientes partim ad me Brutúmque venerunt, partim

partim ad Pompeium delati sunt. Est enim ex fœdere sancitum, vt prædixi, Romanos & Rhodios sibi mutuo auxilia impendere debere, & si ad vnum duntaxat necesse sit. Si verò nos neque prætores, neque Romanos adhuc, verum fugitiuos & exteros, aut damnatos, vt qui nos proscripsere profitentur, existimatis, non ad nos amplius hæc fœdera, sed ad Romanos ô Rhodij vobis extant. Nos igitur exteri, & alieni, & fœderum expertes, bellum vobiscum iniemus, si non ad omnia nobis parueritis. Hæc Cassius altius edisserens, Archelaum à se dimisit. Alexander verò & Manasses Rhodiorum duces tribus supra triginta comitati nauibus Gnidum versus in Cassium mouent, quasi illum subita nauigatione territuri, etsi parum spei sibi vendicarent, quòd in Mithridatem ad Gnidum deducentes belli exitu feliciter egissent. Remis quippe ad ostentationem vsi, prima die in Gnido deduxere moram, postridie vero in Cassianos exeruere classem: quod admirati illi, ad eos conuertuntur: erátque ab vtraque parte virtutis ac potentiæ insigne opus. Rhodij leuibus ratibus subitò ad hostes accurrebant, recurrebántque, conuersionibúsque vtebantur. Romani grauioribus freti nauibus, cum se illis miscuissent, magno impetu easdem perurgebant, quasi

pedestri pugna decertantes. Cassio deinde multitudine nauium hostiles obsidente, Rhodij non vlterius adnauigare & renauigare facile poterant, sed cum à fronte solum impetu ferrentur, reuerterenturque, experientia omnis angustia loci inclusa deperibat, nam impetus ab acutis earum proris ad grauiores Romanorum naues infirmus reddebatur, Romanis ex leuioribus stabiles quadam affuere, donec tres Rhodiæ cum ipsis hominibus interceptæ sunt, duæ collisæ, ac vinculis iniectæ, aliæ semifractæ Rhodum versus fuga contendere: Romanorum omnes Gnidum rediere-runt. Ex his plures pugna laceratas restituere denuo. Et hic quidem naualis belli inter Rhodios Romanósque in Gnido finis: quod Cassius cum ageretur, è monte contemplatus est. Reparata classe ad Loryma enauigauit Rhodiorum in Peræa oppidum; peditatumque omnem sub Fanio & Lentulo maioribus nauibus Rhodum præmittit. ipse octoginta stipatus nauibus horribili apparatu cursum dirigit, & ad Rhodum peditatu classéque deposita tacitus perstitit, quasi hostibus seipsos dedituris. At illi alacres ad pugnam conuertuntur, duabúsque amissis nauibus se subitò occludunt, demúmque ad mœnia delati, vniuersa cooperuere armis, & eos qui cum Fanio in littore consliterant, con-

tinue

tinuè infestantes, Cassio vicissim depugnabant, qui naues ad murorum pugnam imparatas, ad mœnia mari proxima ducebat. Quod animaduertens Cassius, turres fabricatas adducebat, quas subito erigi mandauit. sic Rhodus duobus exercitibus obsessa, ab mari pariter terráque excludebatur. Ciuibus autem tanquam subito & inopinato opere nihil molientibus, haud dubium erat ciuitatem ipsam vel vi vel fame ad hostium manus confestim peruenturam. Quæ prudentiores eorum intelligentes nonnunquam cum Fanio Lentulóque loquebantur. His ita se habentibus, Cassius nemine aduertente, media in vrbe cum electio re exercitu conspectus est, vi nulla, aut scalarum opera quouis modo patescente ad ingressum: Credidere plurimi, ac visum est id fautorum ope reseratis portis contigisse pietate vrbis, ne fame deperiret. Sic Rhodus capitur, & Cassius statim pro tribunali visus est hasta apposita veluti vrbe per vim capta. Quietem tamen militibus imposuit præconis voce, & his qui vel vi vel præda desæuissent, mortē est comminatus, Rhodiorum ad quinquaginta nominatim ipse acciri imperat, quos ad se deductos morte mulctauit, reliquos ad quinque supra viginti non inuentos fuga condemnauit. Res omnes, aurum & argentum in sacris publicisq; coactum sibi asciuit. Iussit & priua-

tos quæcunq; possiderent, ad præscriptam diem in medium afferre. Occulentibus autem, mortem, indicantibus decimam, seruis libertatem præconis voce nuntiauit. Multi itaque à principio cum mandatum non in finem mansurum credidissent, occuluere sua: sed cum præmia indicantibus dari conspexissent, ob timorem dilatione habita, prodidere omnia. Nonnulli itaque è terra effodientes, alij è puteis haurientes, quidam è sepulcris longe plura protulerunt. Huiusmodi igitur Rhodiorum fuere clades: ad quorum curã Lucius Varus derelictus est. Cassius ob captionis celeritatem, nec minus pecuniarum multitudine lætatus, cæteris Asiæ nationibus decem annorum tributa imposuit, eáque confestim iussit afferre: quod ab illis serio perfectum est. Interea nuntiatur Cleopatram magnis cum copijs, ingentiq; apparatu & classe per mare ad Cæsarem & Antonium ire statuisse. Eorum nempe partes ob primum Cæsarem cunctis anteponens, amplius ob Cassij timorem properabat. Marcum itaque præcipua armatorum legione sociatum, sagittarijs nonnullis additis, sexaginta cataphractis nauibus in Peloponnesum ire iubet, & circa Tænarum moram agere, indéquè ex Peloponneso vniuersa percurrentem prædam antecapere. Quæ verò in Lycios gesta sunt à Bruto, parua

quidem

quidem, sed quæ à principio licet reminisci, huiusmodi fuere. Cum exercitum ab Apuleio quem ipse vt prædiximus habebat, ac pecuniarum sex supra decem millia talenta quæcunque ex tributis Asiæ in vnum cumulârat accepisset, in Bœotiam transmisit. Decreto deinde à Senatu habito, vt pecuniis his ad præsentia vteretur, Macedoniæ quæ præesset, Illyrium quoque vltra Macedoniam teneret, ab exercitu qui in Illyrio fuerat, legiones tres sibi vendicauit, Vatinio qui tunc Illyrio præerat, eas exhibente. In Macedonia quoque vnam ab Caio Antonii fratre recepit. Quatuor itaque ad has aggregans, octo legionum imperator tandem effectus est: quarum maior pars sub Cæsare meruerat. Habuit & equitum multitudinem, leuis armaturæ insuper & sagittariorum Macedonúmque, quos Italum in morem adornauit. Exercitum nempe ac pecunias in vnum colligenti felicitas huiusmodi ex Thracia obtigit. Polemocratia reguli cuiusdam vxor, viro ab hostibus eius interfecto, pro filio adhuc infante verita ad Brutum cum eo accessit, & viri thesauros cum filio in potestate eius tradidit. Ille infantem Cyzicenis alendum misit, donec ad parentis regnum transferretur. In thesauris autem infinitam vim auri argentique reperit, quam ad nummorum fabricam cudi iussit. Cum igitur Cas-

sius

sius ad eum accessisset, visumq́ue esset Lycijs ac Xanthijs inferre bellum, Xanthios præ Lycijs aggredi instituit. At hi cognito Bruti aduentu suburbia eorum euertere, ne in ipsis moram duceret, ne'ue lignorum materia vti posset. Vrbem porrò fossa sepientes, ab ea depugnabant. Eius profunditas quinquaginta pedum summam antecessit: latitudo profunditatem adæquabat, sic vt ad eam persistentes telis sagittisq́ue in hostes vterentur, veluti fluuio quodam impermeabili in medio diuisi. Brutus fossam vi superare contendens, artificum operimenta adiecerat. Exercitum quoque per diem noctemq́ue partiebatur, & materiam à longe veluti in agone voce cursuq́ue transferebat, nihil laboris solicitudinis'ue interponens donec opus iam speratum, quod prohibentibus hostibus minime fieri posse videbatur, aut multis mensibus in longum duci, paucis diebus absoluit: Xanthijsq́ue intra vrbem redactis. obsidere eos pergit, ac nonnullos à machinis, alios impedimentum afferentes ad portas repulit, omnes'que continuè immutauit. At illi recentes defessis opponentes, quanquam vulneribus affecti, persistebant, donec propugnacula integra mansere. Cum autem & illa corruissent, turres'que disiecta forent, Brutus quæ futura erant meditatus, portis assistentes ordines retroducere imperat. Quod

Xant

Xanthij negligentia & incuria effectum arbitrati, nocte facibus accensis ad machinas accurrunt. Verum statim ex occursu obuiantibus Romanis, ad portas repelluntur, & custodibus eas occludentibus veritis ne hostes cum illis miscerentur, cædes ingens Xanthiorum qui exclusi fuerant, ad portas editur. Non multo post & reliqui qui circa meridiem egressi sunt, ordinibus quoque denuo cedentibus, machinas omnes vno impetu incendunt: quibus reseratis portis ob priorum cladem ad duo millia ex Romanis simul immiscentur: alijs ob ingressum impellentibus, porta ipsa statim delabuntur, siue Xanthijs eas demittentibus, siue machinis fortuito delapsis, adeò vt grassantibus Romanis quidam interirent: nonnulli intra vrbem, cum portas vlterius reserare nequiuissent disiectis retinaculis, manerent. Qui per angiportuum angustias delati, à Xanthijs qui superius imminebant, vi adacti ad forum finitimum effugiunt. eo in loco sagittis impetiti acriter, cum ijdem arcubus telisque carerēt, ad Sarpidonium, ne omni ex parte clauderentur, subito procurrunt. Romani qui ab extra steterant, pro his qui interius erant, conturbati, ac verentes, Bruto eos circuncurrente ad omnem se obtulere experientiam. Sed cum portas ferro constipatas impellere nequirent, neque scalis aut turribus igne absumptis

vlt E

Vlterius Vti, quidam scalas ex tempore habendas dictitabant: alij lignorum apices muris appellentes, Veluti per scalas ascendebant. Nonnulli funibus clauos annectentes superius ad murum iaciebant: cúmque aliquis affixus contineret, per fune, nitebantur. Inandes Xanthijs finitimi ob innatam cum illis inimicitiam Bruto adhærentes, ex præruptis arduisque locis lapides ad ima deuoluebant. Quos intuentes Romani ob lassitudinem imitabantur, multiq; ex illis saucij interibant. Fuere qui murum transgredientes portam reserarent, quæ densissimis lignis, & in transuersum positis obsepta fuerat. Hi cæteros audaciores erigentes supra ligna Vicissim assumebant. Tandem plures numero effecti, portam cædere aggrediuntur: & interius minime munitam ferro, quidam ab extra, alijs intro nitentibus effringunt. Xanthij magno clamore in Romanos qui ad Sarpidonium confugerant ruentibus, Veriti pro illis Romani qui ad portas depugnabant, interius exteriusq; summa Vi disjiciũt, & Veluti insania quadam ducti eas reserant, turmatímq; ingrediuntur paulo ante solis occasum, magna Voce conclamantes, Vt ijs qui interius steterant, aduentantium signum darent. Capta Vrbe, Xanthij ad domos proprias accurrunt: chariores suos iugulos Vltro exhibentes necant. Vlulatu in immensum orto,

Bru

Brutus prædam fieri arbitratus, per præconem milites reuocari imperat. Cum verò quod actũ erat cognouisset, animum eorum miseratus libertati deditum, inducias per nuncios emittit. Illi repulsis qui detulerant, vniuersis suorum interemptis, adhibito ad pyras igne, quas propria in atrio vnusquisq; præparauerat, seipsos insuper iugulantes iniecere flammis. Brutus sacra omnia illæsa præseruare studuit: solos Xanthiorum seruos cepit. Virorum insuper mulieres quasdam liberas, eásque degeneres ad centum ferè & quinquaginta numerum inuenit. Sic Xanthij libertatis causa ter à seipsis consumpti sunt. Obsessi nempe ab Arpalo Medo, Cyri magni præfecto, ne seruituti se subijcerent, sibi vltro intulere necem, & Xanthiorum vrbs ab Arpalo neglecta, sepulcrum illis præstitit. Similem ab Alexandro Philippi filio cladem pertulere, cum tam ingentium terrarum dominum pati renuissent. Brutus ab Xanthijs ad Pataraas descendit, vrbem Xanthiorum naualibus adsimilem, exercitúq; apposito vt mandatis eius obsequerentur, ne Xanthiorum sortem perferre mallent, ciues monuit. Accessere ad eos Xanthij proprias ærumnas deplorantes, suadẽtesq; vt in melius consulerent rebus suis. Patareis nihil ad Xanthios respondentibus, reliquum lucis ad consultandum illis præbitum. Brutus exercitum inde

sustu

sustulit. Orta luce iterum copias Vrbi admouit. Ciues è mœnibus magno clamore ad omnia se paratos obtulere, portásque aperuere. Brutus ingressus neminem occidit, aut Vrbe expulit: aurum solum & argentum quodcunque in Vrbe coactum reperit, in Vnum congregans, priuatos etiam quod haberent afferre monuit, his pœnis & præmijs appositis, quæ Rhodijs à Cassio iniunctæ fuerant. itaque id omne collatum est. Seruus herum suum quòd aurum celauisset accusauit, & præmisso Tribuno aurum illi ostendit. Adductis ad Brutum omnibus, herus tacitus perstitit. Mater Vt filium seruaret clamans sequebatur, se aurum celasse dictitans. Seruus à nemine rogatus Vt mentientem arguebat, & filium occuluisse instantius aiebat. Eapropter indignatus Brutus, iuuenem ex silentio, matrem ex passione miseratus illæsos dimisit, aurum quod attulerant secum deferentes. Seruum Verò Vltra præceptum heris insultantem, cruce suspendit. Lentulus ea tempestate Adriaticum præmissus (est autem id Smyrnæorum nauale inclytum) portus catenas effregit. Vrbem præterea ingressus, Smyrnæis mandata suscipientibus, pecunijs assumptis ad Brutum redijt. Lyciorum interim legati ad Brutum Venere, belli societatem & quæcunq; conferre possent pollicentes. Tributis igitur Lycijs appositis, Xanthiorum liberos

earum

eorum Vrbi attribuit. naues Lyciorum cum reliqua classe Abydum enauigare iussit. nam & ipse peditatum omnem eum in locum deducebat, Cassium ex Ionia Venturum moraturus, Vt ambo ad Sextum transfretarent. Interim Murcus in Peloponnesum classe delatus Vt Cleopatram nauigantem obseruaret, cum illam circa Libyam Vi tēpestatis expulsam, classem amisisse nouit, nauiúmque naufragia in Lacedæmoniam Vsque delata conspexit: Reginam Valetudine correptam Vix ad propria redire potuisse: ne frustra tanto exercitu eo in loco moram duseret, Brundusium Versus classem mouit, & in insulam portui finitimam delatus, reliquum hostilis exercitus, aut commeatum in Macedoniam deferri prohibebat. Hunc Antonius longis nauibus quas habebat, haud fere multis, turribúsque ratibus aduectis oppugnabat, cum exercitum per partes magnis nauibus emittens, Ventum è terra, ne à Murco interciperentur, Vehementiorem expectaret. Assiduo itaq; labore fatigatus, Cæsarem qui circa Siciliam maritima classe cum Sexto depugnabat, in auxilium Vocauit. sic enim series earum rerum sese habuit. Pompeius qui Sextus dicebatur, magni Pompeij filiorum ætate iunior, cum primum à Caio Cæsare in Iberia neglectus perstitisset, quasi nihil magnum ob adolescentiam inexperientiámq; facturus, ad oceanum dela-

tus cum paucis piraticam exercens interceptus est; nemine illum ut Pompeium dignoscente. Procedente mox tempore pluribus ad eum accedentibus ingentem comparauit manum seque Pompeium professus est: ac confestim quicunque sub patre eius aut fratre militantes victi cesserant, ad illum veluti proprium ducem confluxerunt. Arabio quoque ex Libya, paternis spoliatus bonis, ut à nobis præscriptum est, ad eum venit. ita maioribus copijs adauctus, opera piraticis longe clariora adorsus est. Nam Pompeij nomine per Iberiam omnem populis maxime florentem, longe latéque vulgato, præsides sub Cæsaris imperio eam continentes ad manus cum eo venire formidabant. Quibus intellectis Cæsar Carrinam amplioribus cum copijs in Iberiam misit, qui Pompeium debellaret. At is leuior admodum in conspectum eius statim venit, & subinde aduolans Carrinam afflixit. Vrbes etiam plerasque cum paruas, tum magnas ditioni suæ subdidit. Ea ex caussa Caius Cæsar Asinium Pollionem ut Pompeij reprimeret insultus, successorem Carrinæ dedit, qui forte cum illo tum bellum agitabat cum idem Cæsar extinctus est: & Senatus Pompeium ultro reuocauit. Verum ille in Maßiliam delatus, quæ Romæ fierent intentus expectabat. Electus subinde maris imperator, ut parens eius

ante

ante fuerat, neutiquam ad Vrbem redire voluit : naues autem omnes quæ in portu asseruabantur assumens, adiunctis ijs quas prius possidebat, ex Iberia mouit. Secuta demum triumuirorum dominatione, in Siciliam enauigauit, & Bithynicum prætorem insulam eam sibi dare renuentem, arctius obsedit, donec ex proscriptione damnati, & è Roma fugientes Hircius & Fanius, eam insulam Pompeio dari suaserunt. In hunc modum igitur Pompeius Siciliam sibi vendicauit : qui nauibus abundans, & insulam Italiæ nactus adiacentem, exercitum porrò ingentem obtinens, qualem prius nunquam habuisset, ex ijs qui à Roma fugerant, liberis, seruisque coactum, & quem Italiæ Vrbes quæ victoribus ad belli præmia addictæ fuerant, ad illum præmittebant, ad summum potentiæ peruenit. Hi etenim triumuirorum dominatum ac victoriam detestabantur animo, & quæcunque aduersus eos licuisset, clanculum moliebantur. Nam ex Vrbibus eorum fugientes, quasi non vlterius in patria mansuri, ad Pompeium properabant Italiæ propinquum, & præ cæteris ea tempestate Romanis acceptissimum. Accedebant & ad eum viri nautici ex Libya et Iberia maritimis in rebus expertissimi, sic vt ducibus, nauibus, pedestribusq; copijs, nec non pecunijs abundaret Pompeius. Quæ intelli

telligens Cæsar, Saluidenum magna classe in Siciliam misit, facillimum opus existimans, Pompeium mari prohibere. ipse ex Italia ut Saluideno auxiliaretur, ad Rhegium peruenit: Pompeius Saluideno ingenti classe propius accessit. Nauali deinde prælio ad maris fauces circa insulam exorto, Pompeij naues cum leuitate, tum nautarum celeritate, & experientia anteibant: Romanorum verò magnitudine & grauitate laborabant. Cum autem fluctus iuxta Pontum moueri solitus vehementius insurgeret, & mare ab vtraque parte ob fluxum scinderetur, Pompeij naues ob vndarum assuetudinem minus trepidabant. Quæ verò à Saluideno ducebantur, neque constanter permanentes ob insuetudinem, neque remos faciliter conuertere potentes, neque gubernaculis ad manus aptis annitentes, turbabantur. His ex causis Saluidenus sole in vesperam vergente, naues proprias reuocare inprimis cogitur. Pompeius quoque ex pugna se dissoluit, pari numero ab vtraque parte confractis nauibus: reliquas ex labore fluctuantes semilacerásque Saluidenus reparare studuit, cum ad portum qui Baleario mari imminet, suos reduxisset. Interea superueniens Cæsar Rheginis & Hipponensibus magna spe ab victorum præmijs absoluere velle pollicitus est. nam mari imminentes

in

inprimis verebatur, deinde vocante ipsum Antonio celerrime ad eum Brundusium accessit, cùm in sinistra Pompeius Siciliam haberet, cui bellum decreuerat inferre. Murcus accedente Caesare, ne in medio eius Antoniíq; clauderetur, paululum à Brundusio secessit, maiores naues in transitu obseruans, quae exercitum à Brundusio in Macedoniam deferrent: hae etenim sub triremium cura mittebantur. Vento deinde plurimo ad votum incumbente, deposito timore arripuere cursum, nulla vlterius custodia indigētes: quamobrem conturbatus Murcus denuò redeūtes inanesq; opperiebatur. Verùm ille tum quidem ac postea reliquum tollentes exercitus, rotundis velis, plenisq; ferebantur, quoad vniuersa copia, Caesárque & Antonius vnà transiere. Murcus igitur à daemonio quodam laedi se arbitratus, alias ex Italia profecturas, quae apparatus commeatúmve deferrent, intentus expectabat, velut superuenientem exercitum quoad fas esset conturbarèt. Domitius quoque Aenobarbus ex his qui sub Cassio militiam agebant, ad eum venit, tanquam ad vtilissimum delatus opus, alijs quinquaginta stipatus nauibus, legionem alteram, & sagittarios simul agens, ratúsque ijs copijs quas Caesar deducebat, nullum aliunde commeatum afferri posse, omnem ex Italia delatum intercludere parabat. In

hunc modum nauibus longis centum, & triginta plurimisq; actuarijs exercitu ingenti aduauigantes, maria infestabant. Interea Ceditius & Norbanus, quos à Cæsare & Antonio octo cum legionibus in Macedoniam præmissos fuisse diximus, ex Macedonia ad Thraciæ montes properantes per mille & quingenta stadia præcesserant, donec Vrbem Philippos præter gressi, angusta Torpidorum, ac Sapeorum, quæ ad Rascupolis regnum pertinent, intercepe- rant. quæ Vnica ex Asia in Europam transeuntibus notissimum præstant iter, & Cassianis ex Abydo ad Cestum transmittentibus impedimentum afferebant. Rascupolis quidem, & Rascus Thraciæ reges fratres extitere, Vnicæ regionis principes: Verum hi de belli societate inter se dissidebant Nã Rascus Antonij, Rascupolis Cassij partes sequebatur, & eorum quisq; ter mille equites secum agens, egregie pugnabat. Sciutantibus itaq; de itinerum progressibus, qui circa Cassium fuerant, Rascupolis in hunc modum retulit. Iter quod per Henum & Maroniam deferret, breue & consuetum esse, turbisq; refertum, ac per illud ad Sapeorum angusta perueniri posse. Hostibus vero ea loca detinentibus, nullum ad ea patere aditum. Circuitum in triplo longiorem, difficilemq; superesse, hostes neutiquam in occursum venturos commeatus inopia, sed in Thraciam Macedonia

donia loco profecturos esse. Quibus persuasi, per Henum & Maroniam arripuere iter, per quod in Lysimachiam, & Cardiam, quæ Thraciæ Cherronesi Isthmum velut ianuæ binæ suscipiunt patescit aditus: sequenti die ad nigrum sinum peruenere. Ibi copias suas recensentes, armatorum nouē supra decem legiones secum militare intelligunt: Bruti octo, Cassij nouem, reliquas minimè integras, sed quæ duas adimplerent: ita vt octoginta millia hominum adesse censerentur. Equitum numerus vtrique par: Bruto Celtarum & Lusitanorum equitum quatuor millia aderant: Thracum verò, Illyriorum, Parthenorum, ac Thessalorum duo millia. Cassium Iberorum & Celtarum equitum duo millia comitabantur: Sagittariorum equitum, Arabum, Medorúmque, ac Parthorum quatuor millia: Belli socij vnà sequebantur Galatarum tetrarchæ: qui Asiam incolunt, peditatum alium plurimum agentes, equitum circiter quinque millia. Tam ingentes copias Brutus & Cassius ad nigrum sinū recensentes, ad gerendum bellum processerant, reliquis ad necessitates alias distributis. Lustrauere præterea exercitum solito more, & ad ea quæ polliciti fuerant quibusdam, promissa dona tribuere, cum pecuniæ magnitudine confiderent. Disponentes itaque milites huiusmodi muneribus atque donis, & præsertim

eos qui sub Caio Cæsare olim militauerant, ne quis ad conspectum aut appellationem noui Cæsaris quicquam moliretur, insuper eius gratia visum est exercitum affari. Tribunal ingens appositum fuit, in quod Senatores vnà cũ prætoribus palàm conscenderunt. Romanorum copiæ cùm cæteris belli socijs infra perstitere, & multitudo vtraque ex parte sese intuens læta est, cum potentior quodammodo sibi ipsi visa sit. Audacia quoque, & spes maxima accreuit omnibus tot in exercitu intuentibus: quæ res militibus erga duces fiduciam adauxit. Pariunt quippe beneuolentiam communes spes, quasi deo aliquo inter multos conspirante. Præcones igitur ac tubicines silentium indixere omnibus: quo facto Cassius, nam ætate Brutum anteibat, paulum extra ordinem progressus, in hunc modum locutus est. Hoc certamen ô commilitones, quod vobis commune in primis adest, ad fidem pariter induxit, & omnia quæ nos polliciti fuimus, vt exequeremur impulit: quæ res maiorem insuper fidem adijcit vt in futurum vobis promissa tribuamus. Spes autem in virtute vestra militantibus sita sunt, & in nobis, quos in hoc solio aspicitis tot talesq; ex Senatorio ordine præstantes viros. Adest & magnitudo apparatus non ignota vobis, frumenti, armorum, pecuniarum, nauium, ad hæc sociorum belli

auxilia

auxilia ex regibus & nationibus, ut necesse sit eos adhortari ad promptitudinem & concordiam, quos apparatus & communia belli opera coniungunt. Quibus autem ex rebus calumniam inferant hi tres viri inimici nobis, diligentissimè intellexistis, & ob id promptissimè nobiscum induistis arma. Veruntamen necessarium videtur in præsenti causam reserare, qua potissimum ab ipsis ad bellum prouocamur, optimam nobis & iustissimam occasionem afferentem. Nos Cæsarem in bellis vobiscum militantes, & prætoria fungentes dignitate, ad imperium eueximus, & amici illi continue astitimus, ita ut non videamur ob inimicitiam ullam insidias illi præstruxisse. In his verò quæ ad pacem pertinent, non detestandus nobis amicus visus est, quoniam & in his honorem ab illo consecuti fuimus, sed legibus & Reipublicæ ornamento ac dignitati, quibus nullus ordo, aut potestas optima, popularis've vlterius inerat. Quæ omnia à patribus nostris tunc quidem constituta sunt, cum reges expellentes iureiurando confirmarunt, nullos se vlterius reges habituros esse. Quorum sacramento inhærentes filij, & maledictionem à seipsis abigentes, neutiquam in ciuitate virum vnum sustinuere, etsi amicus & vtilis ipsis esset, qui publicas pecunias, qui exercitum, qui magistra-

 tuum

tuum creationes à populo, principatus gentium à Senatu ad se transferret. & se legislatorem pro legibus, dominum pro populo, imperatorem Senatus vice in omnibus profiteretur. Ea igitur quæ fortasse minus diligenter à vobis intellecta sunt, cùm virtutem eius duntaxat in bello cognoueritis, ex vestri sola parte à nobis intelligite. Vos enim populus in gerendis bellis prætoribus vestris vt dominis assiduè paretis, eandémque conditionem vicissim à nobis in pace exigitis. Consulente etenim in primis Senatu, ne errore vllo teneamini, vos ipsi iudicantes, aut sortes proferentes per turmas, tribus've, Consules, Tribunos, Prætorésque declaratis, & in his qui creantur, vt plurimum iudicium vestrum adhibetis: nonnullos punientes, quosdam honore dignos deputantes, quemadmodum in supplicijs aut honoribus dignè vobis præfuere. Hac retributione ô ciues principatum vestrum ad summum felicitatis gradum adauxistis: sic enim dignos extollentes, pares gratias ab illis suscepistis. Hac præterea freti potestate Scipionem consulem olim effecistis, cùm in Libya virtutis testimonium illi redderetis, & similiter Tribunos per singulos vt voluistis annos, vnumquenque creauistis. Dissidentibus deinde vobis vltra quod necesse fuit, quæ minimè mihi referre opus est, sed ex quo Cæsar tyrannid

nidem assumpsit, non magistratum vllum, non Pratorem, non consulem, non Tribunum vlterius ex decreto declarastis. Nemini testimonium attulistis, non enim retributionem quam exhiberetis habuistis: & vt à principaliori exordiar, nemo vobis gratiam debuit, non magistratus, non imperij, non punitionis aut meriti, quinimo quod miserrimum omnium deputo, non ipsis Tribunis vestris contumelia affectis opem licuit afferre, vt aliquam vobis perpetuam statueretis dignitatem, sacramque & inuiolabilem seruaretis: sed alios sacrosanctum magistratum vestrum contemnentes, & verendam eius vestem in ludibrium auferentes, indemnatos & illæsos ex vnius mandato abijsse conspexistis, quoniam pro vobis excandescere visi sunt in eos qui regem illum appellare decreuissent: quàm rem vestri causa pergrauiter Senatus tulit. Ad vos quippe, non ad Senatum tribunitia potestas pertinet, cùm nihil de eo viro palàm vobis conqueri liceret, neque in iudicium attrahere ob exercitum eius magnitudinem atque potentiam: qui cum ad ciuitatem prius pertinerent, sibi ipsi vendicarat. Eam ob rem reliquum tyrannidis modum vlcisci cogitans, in corpus eius coniurauit, mentémque illam ob optimis processisse testatus est, opus verò paucorum extitisse. Quo facto Senatus idem confestim

comm

communem eius voluntatem declarauit, & apertè quidem, quoniam præmia tyrannicidis exhibenda decreuit. Continente verò illum Antonio, conturbationis simulatione præstita, & vobis neutiquam dignum arbitrantibus, ob præmia ciuitati magis, quàm ob patriæ amorem auxilium afferre, ab illis abstinuistis, ne Cæsari iniuriam inferre videremini, non autem tyrannidem delere voluisse. Obliuionem igitur omnium habendam Senatus censuit, & apertius insuper necis causam à nullo prosequendam. Non multo post Antonio multitudinem in nos concitante, Senatus administrationem nationum potentissimarum ac principatuum nobis tribuit, omnique telluri quæ ab Ionio ad Syriam pertinet, imperare voluit. Vtrum'ne vt sceleratos puniens? an vt tyrannicidas insigni purpura fascibúsque ac lictoribus adornans? Quo more vicißim adolescentem Pompeium, qui nihil in his cooperatus fuerat, Pompeij illius magni filium, qui primus pro Repub. arma induit, quòd paululum circa Iberiam in tyrannidem latens peregisset, non solum ab exilio reuocare studuit, verùm paternorum bonorum pretium illi ex publicis pecunijs reddendum censuit. Maris præterea imperatorem statuit, vt & ipse magistratui alicui præsideret, popularis vir existens. Quod opus igitur

tur clarius, aut quod certius signum à Senatu quaeritis? Haec enim omnia ex eius sententia facta sunt, nisi verbo solum id vobis consiteri quod & dicit & facit, & dicens simul insignia dona largietur, cùm dicere & reddere fas illi fuerit. Nunc autem quemadmodum ciues nostri sese habeant, intelligitis. Nulla indicta causa proscribuntur, & quae illis adsunt, in publicum feruntur. Ipsi in domibus, angiportis, templisque trucidantur, à militibus, seruis, inimicis longe repulsi, nec per se tuti locis omnibus, legibus etiam fugientes abire permittentibus. In foro praeterea, in quo nec hostis quidem caput illatum est vnquam, sed arma duntaxat & nauium rostra conferri solent, nunc consulum, praetorum, tribunorum, aedilium, & equestris ordinis virorum capita abscissa visuntur, & huiusmodi facinora agentibus praemia constituta sunt. Haec igitur insurrectio quaedam, & quanta prius nunquam violentia erga omnes, captiuitates publicae, diuersa odia cum mulierum, tum filiorum, libertorum, seruorúmque. Ad tantum enim clades, & ad has mutationes conuersa ciuitas. Ex his quidem facinorosis hi tres viri duces adsunt, ipsi ante alios fratres patruos mutuò inter se proscribentes. Dicite cum vrbs ab agrestibus barbaris capta est, quae his similia peracta sunt? Nullis capita abscidere Celtae

Celtæ, non defunctos contumelia persecuti sunt: non adhuc bellum gerentibus latere aut fugere prohibuerunt: neque nos vrbem vllam quam manu cepimus, hunc in modum pertractauimus: neque alijs vt id facerent persuasimus, qualia nunc non priuata ciuitas, sed aliarum longe illustrior atque prior ab his sustinet, qui Rempublicam constituere velle profitentur. Quid simile Tarquinius fecit? quem ob vnius mulieris contumeliam ex amore prodeuntem, regem adhuc vrbe eiecerunt, nec, ob vnicum duntaxat facinus, vlterius regnare Romæ voluerunt. Et hæc agentes ô ciues hi tres viri sceleratos nos appellant, & Cæsaris necem vlcisci velle prædicant, proscribuntque qui minimè affuere cum interemptus est. Ex quibus plerique adsunt ex his quos cernitis ob diuitias, aut nobilitatem, vt popularis status voluntatem ab ipsis proscriptos esse: eo modo quo Pompeius longe in Iberia tunc existens cùm hæc à nobis confecta sunt, nobiscum reus est, quoniam ipsius pater popularis fuit: eámque ob causam quòd à Senatu reuocatus, & maris imperator creatus est, hi tres eum proscripsere viri. An mulieres ad Cæsaris necem conspirarunt, quas ad tributorum onera proscribunt? Quid populus, quem ad centum millium numerum sub pœnis & indicijs obnoxium censum afferre imperant, & vectigalib

galib

galibus exemptum ad onera compellunt? Quæ tamen sic agentes, necdum his qui sub ipsis militant, promissa adimpleuere munera. Nos autem à quibus nihil impium patratum est, quæ polliciti eramus, vobis exhibuimus, & parata alia ad retributionem seruamus ampliorem. Sic nobis deus tanquam iusta operantibus præstat auxilium. Ab eo enim quæ ad homines pertinent, cognoscere debetis ad ciues vestros flectentes oculos. quos plerunque vobis præsidentes aspexistis prætores, consules, & ad summum dignitatis elatos gradum laudatos viros. nunc ad vos vt ad pios & populi fautores fugientes cernitis, partes vestras extollentes, & omnia vobis prospera exoptantes. Multo quippe iustiora à nobis præmia eos conseruantibus promissa sunt, quàm ab illis his qui occidissent pollicentur. Nunquid animaduertunt Caium Cæsarem quòd principatum solus sibi vendicaret, nostris manibus interfectum esse? & eos qui id sibi præstitissent, à nobis nullius pretij habendos fore? nec in ipsis, sed populi in medio Rempub. esse posituros, quemadmodum patrijs ex legibus conscripta est? Cùm nec absimili opinione atque sententia bellum inter vtrosque assumptum sit, sed ob potestatem atque tyrannidem ab illis quam in proscriptionibus palàm ostenderunt, à nobis minimè qui ob patriæ dũtaxat libertatem

depug

depugnamus, ita ut sub legibus (ut aequum est) priuatim degat. Quemadmodum igitur hi uiri, & ante hos immortales dij de rebus nostris iudicent uidetis. Maxima semper in bellis aequi iustique spes proponitur. Neque quòd sub Caesare militaueritis aliquando, in animo uobis sit: non enim illius quouis modo milites, sed patriae fuistis: neque stipendia aut munera uobis praebita Caesaris propria fuere, sed Reipub. sicuti neque in praesenti exercitus iste Cassij est habendus, neque Bruti magis quàm Romanorum ciuium. Nos autem uobiscum commilitones Romanorum praetores sumus. Quae si bellum contra nos agentes intelligerent, liceret omnibus nullo periculo deponere arma, & exercitus omnes urbi condonare, & quae utilia illi forent praeligere: quae ut eligant adhortamur, sed ex quo admittere recusant, non etiam per proscriptiones & omnia alia quae faciunt admittent. Eamus itaque commilitones certa spe confisi, audacia minimè seruili pro Senatus libertate populique Romani depugnantes. Acclamantibus omnibus, Eamus, & statim duci deprecantibus, promptitudine eorum exhilaratus Cassius, iterum per praeconem silentium indixit, & subinde in hunc modum fari coepit. Dij omnes iustorum duces praeliorum pro fide uobis ô commilitones ac promptitudine gratias condignas reddant.

Quae

Quæ vero ad prouidentiam imperatorum humanã pertinent, quòd plura ac meliora quàm hostibus nostris nobis adsint, his verbis discite. Legiones armatorum pares numero illis ducimus, plures ad necessaria multis in locis dereliquimus, equitatu & classe longe superamus, tum socijs belli, regibus, nationibusq́; ad Medos vsque & Parthos. Ipsi nobis duntaxat à fronte imminent: nos illis à tergo quoq; pariter instamus. Pompeium nobiscum conspirantem in Sicilia habemus, Murcum in Ionio. Adest & Norbanus magno exercitu & commeatu duabus septus legionibus, quem sagittarij assidue classem infestantes persequuntur, quæcunque alia maris terræq́; ab inimicis post nos pura relinquentes. Pecuniæ nobis suppetunt, quas nonnulli bellorum neruos solent appellare, ipsis verò nullæ adsunt: neque pollicita suis militibus adimplere potuerunt. Non proscriptorum bona ad opinionem eorum successere, nemine ex eorum numero qui boni habentur, proscriptorum prædia inuidiæ subiecta comparante: neque aliunde quid capiant vlterius nouere. Italia seditionibus, tributis, proscriptionibusq́; vexata. Nobis verò in tanta rerũ solicitudine & præsentia abunde suppetunt, adeo, vt alia confestim vobis tradituri simus, & multa super his quæ à nationibus à tergo existentibus collata peruehunt

buntur, commeatus itinerisq; seminaria, magnis suffectura exercitibus, quorum illis summa est inopia, nisi siqua ex sola Macedonia montana natione aut ex Thessalia prouincia arctissima difficillimè suscipiunt, quæ terra magno labore illis conuectare opus est. Si quid ex Libya, aut Lucania, aut Apulia afferre cupiunt, omnibus in locis à Pompeio, Murco, Domitioq; intercluduntur: nobis vero per singulos dies, minimoque labore, non à mari modo, insulisq; omnibus, sed mediterraneis quoque ex locis à Thracia vsque ad fluuium Euphratem copiæ afferuntur, & hæ nullo prohibente, cum nullus nobis à tergo instet hostis, vt in nobis sit & bellum accelerare, & per otium hostes inopia simul fameq; conterere. Tot & tanta vobis adsunt ò commilitones vltra solicitudinem humanam præparata. reliqua autem illis à vobis, dijsq; immortalibus conuenienter accident. Nos omnia quæ vobis in primis polliciti fuimus, exhibentes, & fidem vestram munerum multitudine dignè compensantes: maius insuper certamen quod ex deorum sententia futurum est amplio re prosequemur gratia, ac nunc quidem his qui ad id promptissime accesserint. Huius igitur concionis causa statim ab ipso Tribunali militi mille quingentas Drachmas Italas, turmæ duci quincuplum, Tribuno amplius ad

eund

eundem triluemus modum. Hæc effatus, & verbo & opere muneribusq́ eos instruens, concionem dimisit. Ipsi persistentes Cassium ac Brutum summis extulere laudibus, ac pro illis quæ æqua forent facturos se obtulerunt. Hi vero munera illis confestim persoluerunt, & alia porrò ad occasiones multas illustrioribus impenderunt, & qui suscepissent, continuè armatos per partes emittebant, nec multò post ipsi insecuti sunt. Binas aquilas ad eos aduolantes in argenteis vexillis consedisse fama est, se inuicem rostris vnguibusq́ lacerantes, vel vt alijs placet, se mutuò obseruantes ac manentes, quæ publicis alimonijs à prætoribus educatæ sunt, eaq́ die quæ pugnam antecessit, volantes abierunt. Per biduum itaque nigrum sinum transeuntes ad Henum peruenerunt, supraq́ illum quæcunque alia vsque ad Serrium montem maritima omnia sibi vendicarunt. Serrio pelagus versus inclinante, ipsi per mediterranea arripuere iter. Tullium ad hæc Cimbrum cum nautis & armatorum legione vna ac sagittarijs quibusdam littus maris adnauigare iubēt, quod iampridem inhospitum fuerat, quanquam tellure opima, Thracibus minimè mari vtētibus, aut ad maritima descendentibus, aliorum Græcorum metu, & Heraclidarum eas pelagi oras detinentium. Floruere quippe mercatorum com-

mercijs, & agricultura olim ea loca, oblectantibus se in his Thracibus ob montium varietatem, donec Philippus Amyntæ filius Græcos alios & in primis Heraclidas in bellum mouit ita, vt his temporibus præter sacellum vnicum nihil prætereuntibus intueri datum sit. Hoc itaque desolatum littus Tullius vndequaque percurrens, vt à Bruto imperatum fuerat, regiones accommodas metiebatur, diuidebatque exercitibus, nauibusque per partes aduentabat, vt Norbanus angusta illa veluti custodiæ inutilia desereret. quæ res ad votum contigit. Norbanus quippe nauium dubitatione permotus, ad Sapeorum angusta tumultuari cœpit, & Ceditium ex Turpilijs magna trepidatione in auxilium vocauit: cui ille subitò affuit. Turpiliorum igitur derelictis angustijs, Brutus agmen præcedere imperat. Simulatione deprehensa, Norbanus & Ceditius Sapeorum loca summa vi præmuniunt, adeo vt militibus Bruti neutiquam per ea pateret aditus. Desperatio igitur eorum mentibus denuo incidit, ne circuitum quem prius euitassent, à principio cogerentur ingredi, & obsessa circunquaque peragrare, deficiente tempore ad id commodo. sic igitur se habentes, Rascupolis his verbis allocutus est. Compendiarium adesse iter iuxta ipsum Sapeorum mõtem dierum trium hominibus quidem in præsenti in-

uium

nium ob rupium asperitatem, & inaquosa loca siluis referta vndiq;. Caeterum si aquam deferre velint, & per semitas angustas progredi, quae transitum tamen praebeant, ex arborum condensitate, ne ab auibus quidem praesentiri posse, quarta die ad Arpessum fluuium facilè venturos, qui in Hermum defluit, ex quo per diem vnam ad Philippos delati, inopine hostes praeuenirent, quos debellare ad ultimum liceret, cum nullus illis aliunde pateret reditus. Quibus edocti milites, quanquam itineris difficultate deterriti, nihilo minus spe adhibita, tam ingentem exercitum deprehendi posse, partem ex suis cum Lucio Bibulo praemittunt, qui vnà cum Rascupoli iter caperent. Hi igitur summo labore cum eodem, tamen solicitudine & impetu visi processere, freti potissimum quòd ex iis quos praemiserant, nonnulli rediissent, flumen se à prospectu vidisse referentes. Quarta die, itineris asperitate defessi, ac siti laborantes deficiente aqua, quam trium dierum itinerationem accelerantes deferebant, quòd ea loca inaquosa dicerentur, trepidare: & ne per insidias circunducerentur, expauescere coeperunt, non quòd his, qui redierant, fluuium vidisse dicentibus, minus crederent, verùm per diuersa itinera se duci existimantes, excandescere. & exclamare, & Rascupolim ad eos accurrentem &

adhortantem intuentes criminari & repellere à se nitebantur. Bibulo suppliciter orante vt residuum itineris æquanimiter perferre vellent, fluuius circa vesperam à primis conspectus est, & statim acclamatio maxima, vt æquum erat, cum lætitia auditur, quæ ab his qui sequebantur excepta, ad postremos peruenit. Brutus igitur & Cassius intellecta re per prærupta quæque reliquos agentes deferuntur. Ea vociferatio minimè hostes latuit, adeo vt eos præuenire nequiuerint. Nam Rascupolis frater Rascus ex clamore quod erat suspicatus, hostium adesse aduentum, ingenti admiratione correptus est, tam immensum exercitum per inaquosa iter tenere potuisse, quæ ne feris quidem ex siluarum opacitate peruia existimaret: ac subitò Norbanum cæterosq; certiores facit. Illi ex Sapæorum locis nocte fugientes Amphipolim venere. Sic Thraces ambo fratres præsidia exercitibus suis præstitere, vnus per ignota deducens loca, alter ne id etiam ignorans actum. Milites interim Bruti admirabili audacia in Philippos descendere. Eò loci Tullius vicissim delatus est, & vniuersus consedit exercitus. Philippi ciuitas est quæ Datos olim dicebatur, Crenida ante Dati nomen appellata. Fontes quippe plurimi circa collem vberibus scaturiũt aquis. Eum locum Philippus vt accommodum metatus

tatus

intus super Thraces vallo sepsit, & à se Philippos nuncupauit. Condita est enim ciuitas in prærupto quodam colle, cuius magnitudo collis latitudinem complexa est, habetq; à septentrione saltus & nemora, ad quæ Rascupolis Bruti exercitum considere monuit. A meridie palus adiacet. & mare vltra illã. ab oriente Sapeorum & Torpilorum visuntur angusta. Ex occidente campus amplissimus ad Murcinum vsque & Drabiscum & Strymonis fluuium per trecenta & quinquaginta stadia protenditur, gramine vberrimus & amœnus, in quo puellam per vim compressam florem induisse fama est, & fluuius subinde Zygacus: In eo dei licet existentis iugum currumq; confractum esse memorant, & ob id fluuio nomen inditum. Est autem campus ad imum procliuis ita vt aptissimus sit his qui à superiori à Philippis aduersus eos qui ab Amphipoli progrediuntur. Philipporum præterea collis non longe alius, quem Dionysium nominant, in quo aurea templa eo nomine consecrata sunt. A Philippis per decem stadia progresso, alij bini colles sese offerunt, ab illis per octo supra decem stadia distantes, ipsi abinuicem per octo segregati stadia. Horum in altero qui ad meridiem vergit, Cassius castrametatus est Brutus altera ex parte in colle qui ad Arcton pertinet consedit, & Nerbanum vlte-

rius cedentẽ minimè insecuti sunt. Iam enim Antonius aduentare dicebatur, Cæsare ob valetudinem in Epidamno commorante. Erat itaq; campus ad præliandum peraccõmodus, colles ad metanda castra opportuni. His verò in circuitu vna ex parte paludes stagnaq; iacebant, vsq; ad Strymonis fluuium, ex alia angusta loca & impermeabilia. Inter vtrosque colles octo stadiorum planicies inerat peruia, & in Asiam & Europam quasi per portas quasdam itinera emittebat. Hanc illi à vallo ad vallum muniere muro, portas quasdam in medio linquentes, ita vt bini exercitus, vnius duntaxat imaginẽ præferrent. Decurrebat & iuxta fluuius quem Gãgam nonnulli, quidam Gangitim vocant, & mare à tergo aderat, à quo apparatus omnes ingressus & egressus videbantur habituri. Thasum quippe vt horreum belli per centum stadia distantem constituerant. Ingressum autem triremibus Neapolim, quæ per octoginta stadia aberat. Loco itaq; confisi exercitus munierant. Interea Antonius summa celeritate exercitũ agebat, ratus Amphipolim ad belli cõmoditatem protinus inuadere. Vrbem deinde à Norbano munitam intelligens exhilaratus est, omnemq; apparatum cum vna legione, quam Pinarius ducebat, in ea dereliquit. Ipse audacter admodũ progressus in campo constitit, ac per octo stadia ab hostilibus

stilibus castris castra posuit. Tunc verò exercituum exilitatē ac copiam inspicere palàm licuit. Bruti enim & Cassij milites rosido in loco, Antonij imo in campo metabantur. Illi ex montibus prodibant, Antonij ex paludibus. Illi ex fluuio aquationem assumebant, Antonij ex puteis, quos repente effoderant. Commeatum prætere a paucorum stadiorum spatio ex Thaso illi afferebant. Antoniani per quinquaginta supra trecenta stadia ab Amphipoli adducebant. Creditū est etiam Antonium necessitate compulsum id egisse. Cumq; nullum irriguum locum obtineret, residuū verò campi, vtpote decliue, plerūq; stagnante fluuio latioribus inūdaret aquis, fontes laticum dulces, & perennes effossis puteis inuenisse. Huiusmodi igitur audacia, quæ ex inopia processerat, cum sic illis proximus ex itinere magno animo fretus accessisset, hostes vehementissimè conterruit. Castella itaq; plurima, & ea summa celeritate fossis, muris, vallisq; muniebant. Vallabant & hostes quæ residua camporum superfuerant. Cassius Antonij impetū furenti adsimilem intuens, quicquid supererat campi, & ab exercitu in paludē ob angustiam loci haud multifecerat, vicissim præmuniuit, ita vt nihil omni ex parte munimine careret, nisi quæ à Bruti latere prærupta inerant. Cassij ex parte palus, & mare paludem vltra continebāt. Ca-

 terum

terũ quicquid ſpatij medio interfuit: id omne foßis, vallis, muris portisq́ firmauere. Sic ambo exercitus caſtris inuicē tutati ſunt. Interea equitum velitumq́ leuibus quibuſdã inter ſe prælijs vires experiebantur. At cum omnia quæ animo conceperant, perfecta viderentur, Cæſarq́ applicuiſſet, nondum tamen in bellum firmus (lectica enim in exercitum delatus venerat) ſubitò qui ex parte eius ſteterãt, explicauere aciem. contrà Bruti milites editiori in loco ſe pugnæ præpararunt, nec propterea ad ima deſcendere, minimè prælium inire decernentes ſola cõmeatuum inopia hoſtes expugnare rati. Erat peditum numerus vtriſq́ nouem ſupra decem legionũ. Verùm qui à Bruti parte ſteterant, aliquãto inferiores numero fuerè: qui à Cæſaris parte ſuperiores. Equitũ Thracum Cæſari & Antonio tria ſupra decem millia, Bruto & Caßio viginti millia aderãt, ita vt virorum multitudine, imperatorum audacia ac virtute, armorũ inſuper apparatu ſplendidißimum vtraq́ ex parte ſpectaculum ederent. Per plures igitur dies cum prælium inire diſtuliſſent, nihil inſigne peractum eſt ho cos qui circa Brutum erant, dum hoſtes commeatibus prohibere meditantur: Ipſi Aſiam propinquam admodum & neceſſaria exhibentem continerẽt: vniuerſa è mari quibus indigerent, ſuſcepturi: hoſtibus contrà nihil vel

dome

domesticum superesset. Non enim ab Aegyptoper negociatores quippiam assumere licebat ob sterilitatem famémque regionis, neque ex Iberia aut Libya ob Pompeium, neque ex Italia ob Murcum & Domitium: neque Macedonia & Thessalia in longum illis suffectura videbantur, quæ solæ ea tempestate commeatum exercitibus eorum suppeditabant. Quæ omnia intelligentes Bruti milites, tempus in longum differre satagebant. Antonius hæc ipsa veritus, per vim eos ad prælium prouocare instituit, & paludem, si qua posset peruiã clanculum efficere, vt à tergo hostibus adhuc inscijs profectus, commeatum qui à Thaso ferebatur, interciperet. Subitò itaque suis ad prælium instructis vtraque ex parte vniuersis elatis signis, vt omnes in aciem eduxisse videretur, partem eorum die noctúque semitam quandam perangustam in palude iubet substernere, arundines sensim incidentes, et tellurem lapidésque vtrinque inijcientes, ne agger solueretur. Profunda verò vtroque ex latere lignis in crucem actis confirmauit, iunxitque pontibus miro silentio, ne quis præsentisceret. Aspectum quippe operis, arundinum opacitas circa semitam celabat hostibus. Decem dierum spatio perfectis omnibus, insidias recto tramite per noctem propere emittit, & quæ destituta erant spatia in medio apprehendit, ac ca-

stella

stella plura communiuit. Cassius operis machinationem & fraudem admiratus, & quæ ab Antonio castella erecta fuerant excludere festinans, paludem omnem quæ supererat, muro vallauit, à castris vsque ad mare omnia substernens, ac pontes instruens, & vallum constratis in locis & validis imponens, & quæ ab Antonio facta erat semitam eripiens, ne in ea existentes excurrere vllo in loco possent, aut ipse suis auxilium afferre. His circa meridiem ab Antonio perceptis, nulla interposita mora, cum ira & impetu exercitum quem ex aduersa parte instructum tenuit, propere conuertens ad Cassij munimenta, quæ paludis & exercitus in medio erecta fuerant, educit, ferramenta scalásque in vnum afferens, quasi effracto vallo in castra eius irrupturus. Concursu itaque facto, cum audacia è latere ex aduersóque campi in medio inter vtriusque exercitum, Bruti milites ad contumeliam id referentes tam audacter discurrentibus eos hostibus in armis existentes, præfecti cuiusdam mandato exciti feruntur, & quoscunque ex transuerso insurgentes impetu cædunt. Inchoato iam belli opere, & exercitu Cæsaris à fronte ipsis constituto, in eum decurrunt, ac conuersum fugientémque insequi nituntur, donec per ipsum erupere omnes, qui Cæsari cum Antonio communis fuit, absente tamen Cæsare ob

insom

insomnium & diem illum obseruante diligentius, ut ab eodem in commentarijs suis perscriptum est. Antonius pugnam iam effusam intuens, lætitia correptus est, quasi necessitate duceretur: nam commeatus verebatur inopiam. Conuertere igitur milites in campo noluit, ne phalangem dissoluendo conturbaret. Ut igitur insigne quippiā acturus, magno impetu aciem mouit, & cursu pariter ascensum capit. Repulsus deinde non sine iugi labore perstitit, donec per vim Cassiana phalangi sese immiscuit, ordinem sibi appositum cōseruāti adhuc, & quod actū fuerat, veluti irrationabile quoddam admiranti. Qua repulsa ingenti animo ad valli murum se proripuit, qui campi in medio paludisque constiterat, vallum summa vi dilacerans, & fossam tellure obruens, ædificium quoque suffodiēs mira celeritate, & qui pro portis steterant, fœda strage vndique prosternens, & quæcunque à muro proijciebantur opperiens intrepidus, donec per portas tandē ingressus est. Alij per valli scissuras introierunt, qui descendentibus insurrexere Cassianis. Et hæc tanta celeritate effecta sunt, vt hi qui ad paludem persistebant, operis causa in auxilium accelerantibus ipsi occurrerent, iam murum valli detinentes. Auertentes itaque illos vehementi impetu, & ad paludem vsque propellentes, ad Cassij castra demum

redie

redierunt, quicunque soli cum Antonio intra murum progreßi fuerant, reliqua alia multitudine vtraque ex parte ab extra depugnante. Castra interim quasi destituta pauci tuebantur. qua ex causa Antonius facillimè illis potitus est. Et iam Caßiani milites exteriori quoque ex parte victi cesserant, cùm castra ab hostibus intercepta conspicati, in fugam nullo ordine palantes abeunt: sic vt ab vtrisque prælium confectum videretur. Brutus quippe sinistram hostium aciem, occupatis eorum castris, loco mouerat. Antonius alia ex parte deuicto Caßio, admirabili audacia hostium castra prædabatur: erat cædes vtrinq; varia. Ob amplitudinem verò campi, & pulueris in immensum elati nebulam, vix se inuicem intueri poterant, donec se mutuò interrogantes reliquos ad signa reuocabant. At illi gerulonibus potius quàm militibus adsimiles redibant. Neque tunc quidem vnà lætari, aut mutuò intueri licebat, cum alij quæcunque attulissent, ab alijs temere aggreßi proijcerent: quæ res magnam turbationem vtrisque attulit. Eo in prælio ad octo millia Caßianorum lixis & seruis additis cecidisse existimantur. Ex Cæsaris parte bis totidem interijsse. Caßius castris exutus, cum ne vlterius ad exercitum redire posset, Philipporum collem propere ascendit, eminus quæ gesta erant inspecturus. Caterùm

ob

ob pulverem vndique elatum, minus diligẽter vniuersa prospectabat. Castra duntaxat ab hostibus capta esse discernebat. Pindarum itaque scutiferum eius ensem exerere, & necem accelerare imperat: cunctante Pindaro, superueniens quidam, Brutum altera ex parte victoria potitum hostium castra depradari nunciat. Quo audito Cassius hoc solum respondit. Vicisse nos illi victoriam dicito omnem. Deinde ad Pindarum conuersus, quid cunctaris inquit? cur me à turpidine ista non eximis? Pindarus igitur herum suum iugulum vltro prabentem neci tradidit. Sic plerique Cassium interijsse autumant. Alij referunt accedentibus ad eum, vt victoriam annunciarent, Bruti militibus, hostes suspicatum, Titinium, qui veritatem scrutaretur pramisisse, quem vt Cassij beneuolum circunsidentibus cum latitia militibus, & ob id magna voce conclamantibus, inter hostium manus incidisse existimantem, hac dixisse: Sustinuimus raptum ab hostibus intueri amicum, & ad tabernaculum quoddam cum Pindaro secessisse, nec vlterius Pindarum ab vllo fuisse conspectum. Quamobrem nonnulli credidere neutiquam iubente illo à Pindaro interfectum esse. In hunc modum Cassium decessisse memorant, eomet die qui natalis illi fuerat, in quo pralium incidit. Titinius ob eius tarditatem Cassiũ se interemi

remisse autumans, se quoque pariter occidit. Brutus cognita Cassij nece multis lacrymis vt optimum Romanorum lamentatus est, quasi neminem illi parem ob virtutem vlterius futurum agendi promptitudine ac celeritate, & simul beatum testatus est, à curis cogitationibúsque liberatum, quæ ipsum ad tam ingentis operis finem excitarent. Deinde amicis corpus exhibens, clam ab omnibus sepeliri iussit, ne intuentes milites ad fletum concitaret. Ipse cibi somníque expers vniuersam noctem in confirmandis Cassij copijs absumpsit. Orta luce hostibus se ad bellum præparantibus, ne numero debilitati viderentur esse, Brutus, eorum percepto astu, induamus & nos arma, inquit, vt pari simulatione non inferiores illis esse videamur. Eductis in aciem militibus, hostes retrocessere. Quibus illudens Brutus, hi, inquit, vt defessos nos prouocantes, minimè experiri ausi sunt. Eamet die qua in Philippis inter vtrosque certatum fuerat, ingens clades in Ionio pariter accepta est. Domitius Caluinus onerarijs nauibus duas Cæsari legiones, quæ Martiæ ob audaciam earum cognominabantur, afferebat. Prætoriam insuper cohortem, duum millium virorum, Equitum turmas quatuor aliámque multitudinē collectam ad bellum, quam triremes eorum paucæ sequebantur. His centum & triginta nauibus longis

gis occurrentes Murcus & Domitius eas strenue aggrediuntur. Ex onerarijs itaque nauibus paucæ sublato velo fugam primæ arripiunt. Reliquæ inclinante confestim vento: in tranquillo maris destitutæ capiuntur, felicitate quadam deorum immortalium traditæ hostibus. Vnanquanque etenim earum inuadentes immergere tentabant, neque triremes illas subsequentes, & ob paruitatem vndique conclusæ aliquid opis afferre poterant. Erat igitur periclitātium hinc inde varium & ingens prælium, cum naues celeri studio rudentibus in vnum conferre properarent, telisq; adinuicem instruerēt, ne hostes arripere eas possent. Quam connexionem Murcus incidere festinans, sagittas igne accensas rudentibus iniecit: à quibus celerrimè connexio omnis dissoluta est, nauesq; fuga elapsæ, ignem mutuo euitare conabantur. Illi confestim ad triremes conuertuntur, ad insequendum, aggrediendúmve parati. Quibus indignati milites, & præsertim Martiales, quòd vi superiores ob impotentiam agendi tam fœdè necarentur, quidam se iniecere flammis, alij triremes hostium ingressi, necem intulere alijs, aut ab illis passi sunt. Naues semiustæ per longum euasere, viros deferentes, quosdā ab igne, alios fame, sitique consumptos. Quidam vela aut asseres tenentes, ad petras, desertaq; littora trudūtur. Fuere ex ijs qui mi

rum in modum seruati euaderent. alij ad quinque superlati dies, fame enecti picem, aut vela funesve sugentes duxere vitam, donec à fluctibus ad terram pellerentur. Fuere multi qui se hostibus vltro traderent, clade macerati. Tradidere & septem supra decem hostibus triremes, quarum viros Murcus ad se transtulit. Prætor eorum Caluinus naui propria prouectus, quinto die Brundusium accessit, cum extinctus crederetur. Sic vna die eadem & in Philippis & in Ionio clades simul incidit, siue naufragium siue nauale prælium velimus appellare. Is enim concursus operum posterius cognitus, timorem ingentem attulit. Brutus in concionem vocato exercitu, in hunc modum locutus dicitur. Nullum est præter hesternum prælium o commilitones in quo non potiores hostibus vestris extiteritis. Pugnam quippe promptissime incepistis, etiam nullo signo dato, & quartam legionem, cuius apud hostes celebre nomen est, in qua eorum cornu maximè confiderat, & qui cum illo in ordine constiterant, ad castra vsque dissipastis. Quinimo castra ipsa quamplurimum inuasistis, diripuistisque, sic vt longe iniectam nobis cladem, quæ in sinistro cornu accepta est, viceritis, & cum prælium vno impetu perficere possetis, prædam maluistis inuadere, quàm hostes neci deuictos tradere. Plurimi quidem è vobis

bis illos prætereuntes ad eorum res vertere cursum. Et in hoc duo illi diripuere simul, quæ nostri videlicet exercitus fuere, & alterius. Nam eorum omnia in potestate habuimus, ita vt calamitatis huius acceptio in duplo nobis cõstet. Quantum verò & acie illis præstiterimus quantúmve in cæteris superiores simus, facile à captiuis cognoscere poteritis, de frumenti inopia, & contentione ob idipsum, ac vexatione ingenti, modicáque ipsius suscipiendi spe, iam palam facta. Non enim ex Sicilia aut Sardinia aut Libya aut Iberia frumentum illis licet conuectare ob Pompeium Murcúmque & Aenobarbum ducentis & sexaginta nauibus intercludentes illis maria. Iam Macedoniam omnem exhausere, & ex sola Thracia modicum quid accipiunt, & quantum illis penè sufficit. Cum eos ad pugnam accelerantes conspexeritis, tunc à fame stimulatos, mortem in manibus deferre cogitetis. Nos contrà vt fames pro nobis in eos militet, omnino studeamus, vt infirmioribus, & fame enectis cum opus fuerit occurrere possimus. Neque promptitudine præter tempus efferamur, neque tarditatem quispiã experiẽtiã putet esse, aut celeritatẽ, ad mare quod à tergo est deflectens oculos, quod nobis tam ingentes subministrat copias, commeatus affert, prælij huius victoriam sine periculo exhibet: quam expectetis, neque diffidatis, si

insurrexerint atque prouocarint, deteriores nobis facti, quemadmodum hesternum prælium clarè edocuit: sed alium timorem meditantes, promptitudinem quam vos continere aueo, effundatis omnem, cum ipse iussero. Victoriæ præmia integra, cum perfectis rebus nostris, de nobis dij iudicium dederint, vobis tribuam. Nunc hesternæ virtutis gratia mille drachmas vnicuique militi, ducibus vestris æque præmia debita persoluam. Sic Brutus locutus est: nec multo post munera legionibus singulis impendit. Sunt qui putent Lacedæmonem & Thessalonicam vrbes inclytas à Bruto in prædam militibus promissas esse. Cæterum Cæsar & Antonius Brutum tunc pugnam detrectantem intuentes, exercitum in vnum congregarunt, quem Antonius his verbis allocutus est. Hesternum opus ô milites, satis animaduerti ab hostibus verbo quidem fuisse diuisum, quasi quosdam è nobis insecuturi essent, exercitúmque direpturi, re autem vt vniuersum nostrum esse ostenderent. Polliceor vobis neque crastina eos die, neque insequente prælium sponte esse inituros. Certissima hesternæ cladis eorum fides est atque trepidationis, quandoquidem veluti in gymnicis contentionibus inferiores loco cedunt. Non in tantum eorum castra protenderunt, vt Thracum solitudinem ædificantes inhabitare cupiant, sed ea insurgentibus

nobis

nobis ob timorem cinxere muro, intra tabernacula desides ob hesternæ cladis metum commorantes, & quòd antiquior eorum imperator, atque expertior, desperatis rebus seipsum interemit. Maximum præterea calamitatis eorum indicium est, quòd prouocantibus nobis neque in pugnam prodeunt, neque à montibus in aciem descendunt, manuum loco in præruptis fiduciam suam apponentes. Quamobrem fidenti animo estote ò milites, & quemadmodum hesterna die à vobis factum est, sic illos denuo licet inuitos, in pugnam cogite, turpe existimantes dubitantibus cedere, aut à formidantibus cohibere manum, & cum viri sitis, eorum mœnibus esse infirmiores. Non enim huc accessimus tanquam in campis acturi vitam. Nec etiam commorantibus quicquam nobis abunde erit. Verum à prudentibus celeriter bella conficienda sunt, vt diutius in pace viuatur. Tempus igitur, & opera nostra meditemur. Hesternum opus sine querela omittamus. Solum virtutem vestram, cum ab imperatoribus vestris exigetur, palàm edite. Neque hesternæ direptionis aut prædæ memineritis, aut pro re minima mæstitiā capiatis animo. Non pro his quæ possidemus, diuites esse possumus, verum si prouincias imperio subijciamus nostro, non ideo eorum causa quæ erepta sunt, conturbari vos necesse est.

quæ apud hostes nostros integra adhuc & salua permanent, cùm etiam quæ sua sunt, nobis quoque victoribus vltra hæc sint præbituri, potissimum si ea acceleremus inuadere: & ad prælium vnà properemus. Quæ abunde adhuc fuerant, hesterna die illis eripuimus, & fortasse vtiliora rebus nostris. Nam quæcunque ex Asia per vim abstulere, rapuereque, in vnum congesserunt. Vos tanquam à patria profecti, quæ chariora fuerant domi reliquistis, quæ necessaria solum erant afferentes. Si quid pretiosum illis inerat, vestrorum potius imperatorum fuisse existimandum est, quæ omnia pro vestra victoria vobis tradere parati sumus, & vlterius huius damni causa, victoriæ præmia virtuti vestræ impendere, vnicuique militi drachmas quinquies mille, duci turmæ quinculpum, Tribuno in duplo amplius. Hæc effatus, postridie copias iterum in bellum mouit. Non descendentibus Bruti militibus, animo grauatus, educere perseuerauit. Brutus interea aciem paratam tenuit, ne per vim cogeretur decertare. Itinera per quæ necessaria afferebantur, communiuit. Erat collis non longe à Cassij exercitu, quem hostes haud facile superare poterant ob propinquitatem eorum qui sagittas emittebant, à Cassio olim diligenter custoditus, ne quis eum locum inopine inuaderet. Hunc à Bruto destitutum, Cæsaris milites no-

cte

ble profecti, quatuor legionibus propere inscendunt, crates, culcitrásque quamplures in obiectum his qui sagittis vtebantur afferentes. Quo munito, alias decem legiones per quinque stadia distantes, versus mare statuere. Porrò vltra quatuor illas primas, duas addidere. Veluti omnia vsque ad mare in potestate eorum suscepturi, & vlterius mare ipsum per paludes vel alium modum adituri, quò commeatus hostibus adimerent. Aduersus hæc Brutus contraria opera commentus est. Nam alia castra eorum castris opposuit, ad quæ Cæsaris milites aduersa & ipsi opera machinati sunt. Iam fames haud occultè praemdere cœperat, cuius magnitudo timórque per singulos augebatur dies. Non enim ex Thessalia quæ exercitibus abunde essent ferebantur, neque à mari spes vlla aderat, hostilibus nauibus circumquaque maria omnia obtinentibus. Nunciata insuper clades nuper in Ionio habita apud vtrósque adhuc magis auxerat timorem, aduentante hyeme, cum in locis maximè palustribus castra haberent. Quibus ex rebus permoti hostes, armatorum legionẽ in Achaiam misere, quæ opportuna pręppararet, summáq; celeritate illis mitteret. Ergo vlterius tam ingenti discrimine incumbente, cum neque famem tolerare, neque alijs machinationibus se amplius tueri, aut in residuo campi iuxta hostilem murũ castra munire

possent, magno clamore prodeuntes, Brutum sa libus, conuitijsq́ incessebant, & vtrum obsessi in morem, an insania potius ducente pugnam detrectaret, ignorare dictitabant. Quæ omnia cum à principio à Bruto essent cognitæ, tunc amplius certior effectus perurgentis eos famis, & victoria in Ionio adeptæ, & desperationis ex inopia eorum prodeuntis, obsidionem & quæcunque alia se perpeti malle aiebat, quàm ad manus cum his accedere, qui fame torquerentur, seque desperatis rebus suis morti obijcerent, nec vllam nisi in manibus spem apponerent. Cæterùm Bruti milites ob inscitiam haud paria imperatori suo sentiebant. Aegrè itaque ferentes intra vallum mulierum in morem nullo opere trepidantes contineri, palàm querebantur. Excandescebant & eorum duces, qui quanquam Bruti consilium extollerent, hostes tamen ab exercitu prõpto paratóque facillimè deleri posse existimabant. His causam præbebat Bruti facilitas, eiúsque clementia erga omnes, quæ nullæ in Cassio aderant, austero à natura, & ad omnia ambitione maximè æstuanti. Quamobrem illi ex mandato parebant milites, nequaquam illius officijs se immiscentes, neque causas inquirere audentes, aut quicquam consulentes, quod ipse statuisset: quorum nihil Brutus faciebat, sed vnà milites ad consilia accersere ob humanitatem

tatem æquum putabat esse. Tandem exercitu per cohortes ac deinde per concursus apertius conquerente, atque dicente, Quid tandem imperator noster meditatur? In quo nuper victoriam adepti deliquimus? hostes persequentes, aut aduersos nobis occidentes, aut exercitum eorum diripientes? Brutus sponte audire negligebat, neque in concionem deducere curabat, ne indecentius à multitudine, ad ea quæ irrationabilia erant, cogi videretur, potißimum à mercenarijs militibus, quibus leuium seruorũ in morem à natura insitum est, ad alios continuè dominos, salutis suæ spem apponere, aut ad æmulos & repugnantes libentius se conferre. Instantibúsque deinde pertinacius ducibus, & exercituum primoribus, suadentibúsque vt militum promptitudine vti vellet, fortaßis eos splendidum quippiam acturos esse: siquid sinistri inter pugnandum accidisset, denuò eos ad mœnia retrouerti posse, & castra in oppositum obijcere hostibus, indignatus Brutus maximè erga duces, quòd minus cautè exercitui consulerent, ipso victoriam sine discrimine & periculo vllo pollicente, eorum temeritati propriòque discriminis assensus est, hoc solum inquiens, Pompeij magni in morem ad bellum cogimur, militum imperio magis quàm ductu nostro pugnaturi. Quod Brutum in primis dixisse crediderim, vt id quod vehementius timebat

mebat, diligentius occuleret, ne exercitus sub Cæsare assuetus, & impatiens ad illum pertransiret: quemadmodum ipse & Cassius à principio veriti, omnem indignationis causam, quæ cum eo oriri posset, euitarant. His igitur ex causis inductus Brutus, quanquam inuitus, milites tamen in aciem eduxit, disposuitque ante valli mœnia, & ne longe à tumulo secederent, eos monuit: vt facilem cùm opus esset redeundi haberent aditum, & in hostes commodius insurgerent. Erat vtraque ex parte apparatus ingens, & cupiditas maxima ineundi prælij. Illis quidem ob inedia timorem, his verò ob iusti reuerentiam, cùm imperatorem educētem per vim coegissent, ne deteriores eorum pollicitationibus viderentur esse, neve infirmioribus debiliores, temeritatisque pœnis potius obnoxij, quàm veri iudicij laude digni censerentur. Quæ omnia commemorans illis Brutus, insigni prouectus equo, singulas percurrebat acies se verò intuens vultu, & vt tempus postulabat, breuibus his alloquebatur verbis. Vos pugnam elegistis ô milites, vos aliter censentem, & victoriam in manibus habētem, ad bellum compulistis. Non igitur spe vestra me aut vosipsos defraudetis. Collem propugnatorem à fronte retinetis. Quæcunque à tergo imminent, vestra sunt. Hostes nostri dubio in loco resident, vestri in medio famisque destituti. Hæc referens,

rens, hinc inde vertebat cursum, vir ætatis suæ præstantissimus, quem omnes ordines vt bene speraret hortabantur, ac summis laudibus, magno clamore præmittebant. Interea parte ex altera Cæsar & Antonius proprias discurrentes acies, dextras ad astantes protendebant, & asperius adhuc suos incitabant, famem non vlterius celantes, cuius recordatio audaciam in tempore esset allatura. Inuenimus ó milites, aiebant, hostes nostros, quos extra murum munimentáque inuenire concupiuimus. Nullus itaque insurgens turpiter cedat, aut alterius comminatione sit inferior, neque famem, mortem quidem difficilem & inexcogitatum, refertámque doloribus, potius quàm hostium corpora & castra appetat, quæ temeritate ferro & desperatione exhibuere nobis. Præsentia celeritate in primis indigent, ita vt nihil in sequentem diem differendum, verùm hodie de tota belli mole decernendum sit ad victoriam vsque: aut insignem mortem. Victoribus vna die, vno opere commeatus, pecunias, naues, exercitus, & victoriæ ipsius præmia licet adipisci. Hæc tantum nobis cordi sint, vt cum primum in illos impetu feremur, festinationis & celeritatis eorum recordemur, & eos præcipites à castrorum portis excludentes, à præruptis locis ad camporum ima compellamus, ne prælia denuò excitent, neve per inertiam

tiam in nos quicquam ulterius moliri queant, qui ob debilitatem, nullam in pugnando spem, sed ab armis abstinẽdo posuerunt. Sic Cæsar & Antonius suos ad bellum adhortati sunt, ac propere omnibus verecundia affuit, ne indigni imperatoribus suis viderentur, & ut famem in immensum iam adauctam, ob cladem mari acceptam, euitarent, animo prius eligentes spe optima in prælio si opus esset mortem pati, quàm ab inexcogitata famis nece turpiter absumi. Sic se habentibus omnibus, & ad proximum sibi quoque vertente oculos, animus adhuc augebatur magis, audaciáque indesinenti replebantur, nihil tunc quidem æstimantes quod inuicem ciues essent, neque id memoria omnino retinentes, cæterùm ut hostes genere ac natura, mutuò se truci intuebantur vultu. In tantum repentinus eorum furor, solitam quoque naturæ vim extinxerat. Hoc solum utrique mente volutabant, diem illam hoc prælio vniuersa Romanorum facta iudicio supposituram esse. Iam die in apparatu circa nonam ferme consumpto horam, aquilæ duæ campi in medio aduolantes, mutuis inter se occurrere odijs. Qua ex re silentium vniuersos tenuit. Fugiente deinde præpete quæ à Bruti parte steterat, clamor in immensum tollitur, vexilláque ab utraque parte erecta sunt. Impetus porrò ingens, & admirabilis

sagitt

sagittarum, lapidum, telorúmque cum strepitu auditur. Nihil enim illis lege opus erat, qui nulla alia ferè arte, quàm in gerendis prælijs vsi essent. Itaque nudis ensibus se inuicem complexi, corpora ferro petebant, petebantúrque, seque vicissim ex ordine pellebant. Illi quidem ob salutem magis quàm ob victoriam acriter pugnantes, hi ob victoriam, & imperatoris solamen proprij, quem inuitum in bellum egerant. Ergo cædes horrida, & suspiria vbique resonabant. Corpora quoque ab his omni ex parte efferebantur, cùm alios ex aduerso obijcerent, qui penè illos ordines seruarent. Imperatores ipsos discurrentes, circunspicientésque vndequaque ad impetum cogebant. Laborantes quoque nomine inuocabant, & vt amplius labori assisterent, hortabantur. Recentes etiam defessis opponebant, vt animus his qui à fronte aderant, continuè augeretur. Tandem Cæsaris milites, siue famis metu, siue Cæsaris felicitate ducti (non enim Bruti acies adhuc cesserat) phalangem hostium veluti machinam grauem conuertentes, commouere incipiunt, quanquam illi pedibus adhuc insisterent, retro pulsi, rursúsque cùm audacia se conuerterent. Sed postquam oppressi ordines passim dissoluti sunt, celerius vertere gressum. & secunda post eos, tertiáque constituta acies loco cessit. Ipsi inuicem permixti, nullo ordine,

ne, à seipsis, & ab hostibus assiduè incumbentibus fœde conculcantur, donec apertè arripuere fugam. Cæsariani milites intellecta quamprimum fuga, fortissimè incumbentes, castrorum portas non sine periculo inuadunt, desupérque & à fronte eos deturbantes, multos ab ingressu pepulerunt. Qua ex causa confusi hostes, nonnulli versus mare, quidam ad montes per Zygaci fluenta amnis se proripiunt. Conuersione fieri cœpta, Imperatores reliquum operis inter se partiti sunt, Cæsar in Castris fugientes occupabat, castráque tuebatur. Antonius omni in loco aderat, omnibúsque fugientibus vel consistentibus adhuc occurrebat, cæterísque exercitibus eorum illatus, patenti impetu vniuersa per vim simul compellebat, duces veritus, ne à manibus elapsi nouas denuò copias ad bellum compararent: porrò equites ad itinera ac pugnæ exitus mittebat qui fugientes exciperent. Alij igitur à monte in montem prætervecti: Rasco duce, qui ob itinerum peritiam ad id munus electus fuerat, castra crepidinésque scrutantes, quoscunque à fuga venabantur, alij intra munimenta deprehensos continebant. Quidam Brutum insequebantur, quos à cursu minime cessantes intuens Lucilius, parum substitit, & quasi Brutus ipse esset, ad Antonium, non ad Cæsarem duci precabatur. Qua ex causa adhuc ma-

gis

gis Brutum eum esse crediderunt, vtpote implacabilem euitantem hostem. Cùm ad illum duceretur, Antonius percepta re composito processit ordine, fortunam viri simul ac dignitatem virtutémque secum cogitans, quo pacto eum esset suscepturus, versabat animo. Verùm cum appropinquasset Lucilius, & in conspectum audacissime venisset. Brutus, inquit, à nullo captus est, nec vnquam à malitia capietur virtus. Ego his illudens, tibi adsum. Eo sermone Equites rubore suffusos intuens Antonius, vt paucis solaretur, Non deteriorem prædam ò venatores cepistis, inquit, verùm meliorem quàm putatis attulistis, inquantum hoste potior est amicus. Hoc dicto Lucilium cuidam ex necessarijs seruandum tradidit: quo posterius vt fido vsus est. Brutus interea non exigua multitudine stipatus, ad montes procurrit, quasi ea nocte reuocaturus exercitum, aut mare versus iter assumpturus. Sed postquam omnia præsidijs diligentius custodiri comperit, pernox cum reliquis in armis constitit. Fama est illum ad astra prospectantem hæc dixisse, Téque Iouem haud latuit, quis horum est causa malorum. Antonium annotantem, quis eum Brute & Cassio cõspirare posset, minister fuisset Octauij. Quod carmẽ deinceps in periculis proprijs dum actorum suorum pœnituisset, retulisse ferunt Antonium. Eamet

nocte

nocte Antonius ut Brutum à fuga cohiberet, armatus perstitit, uallum cadaueribus & spolijs Bruto circumponens. Nam Cæsar ad mediam ferè noctem ob ualetudinem labore fatigatus, exercitum Norbano custodiendum dederat. Procedente nocte, Brutus animaduersis hostium insidijs, cùm non amplius quàm quatuor legionibus uti posset, diligentique custodia undequaque circunseptus esset, primores exercitus facti pœnitentia confusos & erubescentes adhortatus est, ut si qua liceret, custodias aggredi, & propria recuperare niterentur, quæ à suis in castris derelictis seruabantur. Illi haud sponte id opus attentantes, longè æquanimiores ac prius iam effecti: fortuna eos deserẽte, Bruto respondere: scire se imperatori suo indignè consuluisse bellum, & cum plerunque fortunam experti essent, nullam ulterius spem in rebus suis esse posituros. Quibus auditis Brutus ad amicos conuersus, in nullo deinceps, inquit, sic se habentibus rebus patriæ utiles esse possumus: ac unũ ex domesticis Stratonẽ nomine, sibi charißimum acciri, necemq; accelerare iußit. Illo uerò ut diligentius consuleret Bruto suadente, alium quendam ex seruis postulauit. Tum Strato, non egebis, inquit, ô Brute amico potius quàm seruo ad nouißima mãdata tua: quo dicto latus illi ense aperuit, neq; auertẽte se Bruto, neq; impellente. In hũc modũ Caßius

&

& Brutus viri nobilissimi ac clarissimi obiere mortem: virtuti, si unum eximas semper dediti. Nam C. Cæsar Pompeianas prosecutos partes ex hostibus amicos sibi fecerat ex amicis deinde filiorum loco habuerat. quos senatus continuo amore prosecutus est, ac post cladem miseratus. Horum duntaxat duorum causa, cæteris obliuionem necis dederat: abeuntibus quoque prouincias decreuerat, ne profugi viderentur esse: non tamen Caij Cæsaris contemnens necem. aut ijs quæ gesta erant delectatus. cum unum ob virtutē, fortunamq́ admiraretur, nam defunctum publico decorauit funere. Opera etiam eius immortalia ex decreto hab. ri statuit, Prouincias & magistratus ex scriptis eius diutissime obseruari voluit nihil melius ijs quæ Cæsar decreuisset. inueniri posse ratus. Verum eiusdem ad utrosque studium, ac suarum rerum timor eum ad suspicionem calumniæ impulit. Tanto apud omnes honore prosecuti sunt & cæteris exulibus etiam optimis digniores habiti, Pompeio proximi, neque conciliationis immeritam habente caussam, venia non indigni visi sunt. Cum autem à longe discessissent desperata venia, & agendorum necessitas incumberet. duobus, nec his integris annis. armatorum viginti legiones, totidemq́ equitum millia in unum coegerunt, naues longas supra ducentas, apparatum quo-

kk *que*

que congruentem tantis copijs. porrò infinitam pecuniarum vim à volentibus pariter & inuitis abstulerunt, populos vrbesq́ue expugnarunt, & aduersantes plurimos ad deditionem compulerunt, à Macedonia ad Euphratem vsque imperium eorum propagantes. Quoscunque preterea vicissent, in societate belli allectos fidissimos sibi reddiderunt. Vsi sunt regum, Dynastarum, Parthorúmque in bellis ope, quanquam inimicorum Latino nomini. & hæc minoribus in rebus. Cùm verò ad maiora se vertissent, minimè eosdem perpessi sunt, ne gentem barbaram, aduersamq́ue Romano populo in eum assuescerent. Verum quod omnium admirabilissimum est, exercitum vt plurimum ex Cæsaris collectum copijs, felicitatis eius beneuolentiaq́ue cupidum, Cæsaris percussores ipsi in contrariam vertere partem & in Cæsaris filium incitantes, fideliorem quàm ipsi & Antonio eius collegæ & propugnatori experti sunt. Non enim quispiam ex his Brutum aut Cassium victos dereliquit, qui Antonium ad Brundusium & ante experientiam belli reliquere, occasionem laborum prætendentes. Sub Pompeio præterea & deinceps non pro sceipsis, sed ob popularis status nomen, insigne quidem illis quanquam continue inutile pugnarunt. Sed dum nihil patriæ se prodesse arbitrantur, vicissim se ambo contempserunt. In actionibus rerum gerendarum

eurisq; Cassius pertinacē se & incommutabilē præstitit, quemadmodū athletæ ad agonistē solent. nā ad bella cōtinue vertebat animum. Brutus quocunq; in loco ad conueniendū audiendumq; facillimus; vtpote qui philosophiæ ingenuè dedisset operam. Ab huiusmodi itaq; viris contrarium in omnibus, nec simplex quidem facinus in Cæsarem emersit, nec modica profecto in re. Nam in amicū præter æquū iustumq; deliquere: in benefactorem quoq;, qui eos ex præliis quanquam ingratos conseruauerat: in imperatorem præterea nefandè conspirantes, in Senatu petissimum sacrum virum, & sacra amictum veste trucidantes, principem qualem vtiliorem neminem patriæ imperioq; fuisse satis cōstat, vt à dæmone ipsos coarguente plerunq; indicatum est. Nam Cassio exercitum perpurganti lictor diadema inuersum attulit: & victoriæ eiusdem insigne aureum in terram corruit. alites exercitui insidentes sæpenumero mœstum clangorem edidere, apum insuper examina continuè volitantia visa sunt. Ferunt Brutum cum in Samo supra mare natalem suum celebraret, nec lætè admodum his in rebus se haberet, hunc versum nulla ratione adductum protulisse. Sed me sors misera, & Latonæ perdidit infans. Ex Asia quoque in Europam transmissuro cum exercitu, nocte deficiente penè lumine

horrendam vigilanti astitisse imaginẽ: quam cum impauide rogaret ille quisnam hominum aut deorum esset, hoc solum respondisse: Tuus ô Brute dæmon malus: in Philippis me videbis, eamq́ue nouissima in pugna quæ in Philippis acta est iterum illi apparuisse. Exercitui è castris exeunti Aethiopem obuium factum memorant, quem vt iniquum omen aduersati interemere milites. Diuinũ & illud habebitur Cassium in ambiguo adhuc prælio spem omnem abiecisse: Brutum à tarditatis optimo consilio à suis per vim compulsum, inter manus se inieciſſe hominum fame pereuntium, cum ipse com meatu abunde potiretur, classe etiã longe superaret: idq́ue à domesticis potius, quàm ab hostibus suis pertulisse. Et cum vterq́ue bella plura peregisset, nihil in prælijs passos esse, verum ambos necis propriæ fuisse authores, quẽadmodum & Cæsaris fuere prius. Has igitur Cassius Brutusq́ue dedere pœnas. Antonius Bruti cadauere inuento purpurea veste contegi, aboleriq́ue flãmis, reliquias verò ad Seruiliã eius matrem mitti iussit. Bruti milites cum primum eum interijsse vulgatũ est, legatos ad Cæsarem misere & Antoniũ, à quibus subinde veniam adepti, inter copias eorũ relati sunt, qui quatuor supra decem millium adimpleuere numerum. Munitiones vniuersas, quæ multæ ab his asseruabantur, simul tradiderunt. Cæsaris & Antonij exercitibus castra omnia diripere con

cessum. Ex illustribus autē viris qui circa Brutum extitere, nōnulli in bello periere, quidā imperatoribus se sponte tradidere, alij ex industria ad mortē vsq; produxere pugnā. Inter hos Lucius Cassius Cassij prioris ex fratre nepos, & Vticensis Catonis filius Cato nomine, qui cum plerumq; inter hostes irruisset, cedentibus tandē suis galeā exuit, vt vel notus fieret, vel egregie occūberet, vel vtrunq; potius assequeretur. Labeo sapientiæ nomine illustris, Labeonis eius parens, cuius ob legum experientiam celebre nomē est, locum in tabernaculo ad corporis sui modulum effodit, & quæ coniugi filijsq; indicaret, seruis suis ex ordine disseruit. Epistolas etiā familiaribus afferendas dedit. Vnū præterea ex his fideliorem dextra apprehensum ad se conuertēs, vt Romanis in liberādis seruis mos fuit, gladiū sibi tradidit, iugulūq; vltro obtulit: sic illi tabernaculum sepulcrū præstitit. Rascus Thrax multos ex mōtibus in exercitum adduxerat, quorū causa cū gratiā expeteret, Rascupolim germanū suū veniæ donari petijt: quod ab Imperatoribus facile concessum est. Ex quo satis liquet, non à principio inter se fuisse hostes, verū ob exercituum duorum magnitudinē, atq; ambiguitatem qui per regionem eorū transituri essent, in euentu dubios, fortunā inter se partitos esse, vt victus à victore conseruari posset. Porcia Bruti consors,

Catonis iunioris soror, intellecta amborũ nece, cum à domesticis diligẽtius custodiretur, prunas ab igne accensas rapuit, carbonesq; absorbuit. Ex cæteris illustriores, qui Thasum se contulerant, quidã enauigarũt alij se cũ residuo exercitu Messalæ Cornificio & Lucio Bibulo collegis tradidere, ut quæ pro seipsis deliberassent pari modo de omnibus consulerẽt. Nonnulli Antonio se dedentes, eodẽ Tharsum versus nauigante, quicquid pecuniarũ, armorum, cõmeatus, ac apparatus propè infiniti in oppido aderat, illi præbuere. Sic Cæsari et Antonio ob singularem quandã audaciã duobus pedestribus prælijs tã insignis victoria parta est, qualẽ neminẽ ante eos consecutũ fuisse constat. Nõ enim huiusmodi exercitus, tãq; ingens Romanorum manus utraq; ex parte ante eos bello dimicauit, nõ ciuili more instructa, sed ex optimis collecta viris, neq; bellorũ inexpertis adhuc, verũ iampridẽ inter se mutuis probatis armis, neq; alienigenas barbarasve nationes solitis euertere. sed qui eiusdẽ linguæ homines, eiusdẽ belli artibus instructos, eiusdẽ præterea exercitationis ac tolerãtiæ inter se inexpugabiles superare didicissent. Nec Illi profectò ũnquã tanto impetu & audacia in bello usi sunt, ciues simul existentes, tũ domestici sub eisdẽ assuetis ducibus. Argumentũ huius rei abunde erit defunctorũ multitudo, cũ æquata pugna non inferior apud victores consficeretur numerus Cæsaris

& Antonij milites imperatorũ suasionibus rite perfuncti sunt Vna die & Vno opere extremã famis necisq; formidinẽ, abundãti cõmeatu, stabilisq; salute, & illustri Victoria cõmutantes. Contigit nẽpe illis quod à prudentioribus ea in pugna Romano populo Vaticinatũ est, Vt eius Respublica eo ex prælio iudicium esset subitura, & ad Democratiã transiret denuo. Neq; Verò laboribus eum in modũ amplius Vexata est, Vnico duntaxat nõ multo post excepto opere contentione scilicet inter Cæsarẽ & Antoniũ nouissimè Romanis orta. Quæ autẽ sub Pompeio, & Cassij Brutiq; beneuolis hinc inde profugis post Brutũ gesta sunt, reliquias tam immensi apparatus obtinẽtibus, neutiquã præmissis audacia se æquarunt, neq; Virorum, ciuitatum've aut imperatorum ad prouincias impetu similia extiterũt, non enim illustrium illis quispiam, non senatus adhuc, neq; gloria ipsa, Vt Cassio Brutoq;, Vlterius accessit.

APPIANI ALEXANDRINI DE CIVILIBVS ROMANO. BELLIS LIB. V.

POST *Cassij Brutiq; necem Cæsar in Italiam profectus est, Antonius Verò in Asiam, quo in loco Cleopatra Aegypti regina ad eum Venit:*

ac protinus visa eundem ad amoris sui cupiditatem impulit. Qui tamen amor vtrosque simul & Aegyptum insuper extremis tandem calamitatibus inuoluit. Eam ob rẽ Aegyptus ipsa huius libri pars quadã erit, verũ modica, nec satis digna scriptione nostra, & propterea ciuilibus, quæ plura sunt, inserta bellis. Quippe alia post Brutum & Cassium ciuilia denuo insurrexere bella, nullo duce, vt in aliis præsidente omnibus, verùm per partes gesta, donec Sextus Pompeius magni Pompeij filiorum ætate iunior, Bruti seditionis residuus autor interijt, Lepidusq; à principatus sui parte collapsus est, ac omnis Romanorum vis atque potestas ad duos tandẽ, Antonium scilicet & Cæsarem peruenit, quæ singula in hunc ferè modum gesta referuntur. Cassius cognomine Parmensis sub priore Cassio & Bruto relictus in Asia, quò naues & exercitũ & pecunias colligeret, defuncto Cassio, nulla spe adempta Bruti rebus, Rhodiorum triginta naues, quas repleri posse existimabat, elegit. Reliquas sacra duntaxat excepta, ne quid noui molirentur igne cremauit, & cum eisdẽ proprijsq; comitatus inde discessit. Clodius ad Rhodios nauibus tribus supra decẽ missus à Bruto, Rhodios nouis rebus elatos intuẽs (iam enim Brutus decesserat) præsidia armatorum trium milium ex vrbe sustulit, & ad naualia cum reli-

quis

quis sese transtulit. Nam & Torulus alijs pluribus stipatus nauibus pecunijsq́; quas è Rhodo ad parandam eam classem sustulit, eò aduenerat. Et quicunq; circa Asiæ oras morabantur veluti ad potentiā quādam per partes ad huiusmodi ministeriū accesserāt, ac quibus potuerant armatis remigibusq́; ex seruis aut captiuis additis, ad insulas insularesq́; adnauigantes replerant classem. Venere insuper ad eos Cicero Ciceronis filius, et alij quicūq; illustres è Thaso perfugerāt, ac cōfestim multitudo & cōcursus imperatorū exercituū, nauiumq́; non contemnendus in vnum. Assumentes præterea à Lepido alias copias, quas Bruto ad Cretam attribuerat, ad Murcum & Domitium magna præditos classe delati, Ionium percurrebant æquor. Eorū pars cū Murco in Siciliā se transtulerat, & potentiam nō mediocrē Pompeio addiderat. Alij cum Domitio ipso persistentes, factionem quandam separatim per se fecerant. Hæ igitur quæ è Cassij Brutiq́; apparatus reliquiæ superfuerāt, tum primum firmauere vires, Cæsar & Antonius post victoriā in Philippis habitā, sacrificia dijs immortalibus adoleuere splendida. Deinde laudatis exercitibus, atq; adornatis victoriæ præmijs. Cæsar in Italiā, vt militibus agros domosq́; deligeret, profectus est. hoc enim onus ob valetudinē sibi assumpserat. Antonius ad nationes quæ vltra

mare incolunt, deflexit iter, pecunias in vnum coacturus. Quas enim prius polliciti fuerant, à primis collectas nationibus, exercitibus impẽderant: & quascunq; Lepidus habuerat, vlterius addiderant. Galliam porrò quæ intra Alpes sita est, ex decreto prioris Cesaris, nouo poscente Cæsare, immunẽ dereliquerant. Et quoniam Lepidus cum Põpeio conspirasse ferebatur, ex decreto statuerant, si calumniam accusatio saperet, Cæsarẽ alia pro his quæ habuisset conferre Lepido. Dimiserãt quippe ab exercitu ea tempestate multitudinem ingẽtem eorũ qui militiã integrè exercuerãt, octo millibus duntaxat exceptis: quos iterũ militare deprecantes, ipsi inter sese diuidentes, ad prætorias cohortes addiderãt. Residuus illis exercitus cum his qui à Bruto recesserant, legionũ vndecim peditum, quatuor supra decem milliũ equitum fuisse dicitur. Ex quibus Antonius peregre proficiscens, equitũ decẽ millia, legiones sex secum duxit. Equitũ duntaxat quatuor millia, legiones quinq; Cæsari attributæ sunt, & quos ex Antonij copijs cum Caleno in Italia relictis sibi assumpserat. Cæsar igitur in Italiam, vt prædiximus, profectus est. Antonius Ephesum delatus, Ioui magnificentissimè persolutis votis superstites è Bruti Cassijq; calamitatibus in templo supplices venia donauit, Petronio Quintoq; exceptis. Petronius quidem in Cæsaris ne

cem

tem conspirasse dicebatur. Quintus in Laodicea vrbe Dolabellam Cassio vltro prodidisse. Graecos insuper, caeterasq; nationes quae circa Pergamum Asiam incolunt, foederũ causa per oratorem conuocauit, quos subinde his verbis allocutus est. Vos quidem o Graeci, cùm Attalus vobis imperaret, ex testamento Respub. nostra dereliquit. ac confestim Attalo ipso potiores vobis fuimus. Nam quae eidem tributa pendebatis, vltro cōdonauimus, quousq; insurgentibus in nos ambitiosis quibusdã viris, cũ pecunijs egeremus, nō pro facultatibus et opibus imposuimus vobis onera, sine periculo tributa vendicare cupientes: verùm vnũquenq; fructuum suorum portionem, vt cum aemulis nostris communiter illis potiremur, afferre iussimus: qui tamen haec praeter Senatus autoritatē & cum iniuria extorquētes, multo plura à vobis exegerunt. Caius Caesar tertiã pecuniarũ partē quas illis contulistis, ex tributo dereliquit. Cōtumelias etiam sedauit omnes nam ab agricolis pecunias vobis exigere concessit: quem tamē clemētia huiusmodi vtentem optimi nostrorũ ciuium tyrannum appellarunt. His vos pecunias multas cōtulistis, quanquã benefactoris vestri percussoribus, & nobis hostibus, necem eius viri, vt par erat, vindicantibus. Iustam itaq; fortunam, non vt voluistis, sed vt dignum fuit. bello discernentes, vt aduersariorũ nostrorum

propug

propugnatoribus & beneuolis oportet vti. Mulctam igitur vobis inferre necesse est. Caeterum cum intellexerimus, non libenter quidem vos, sed necessitate potius ad id coactos esse, à maioribus pœnis abstinendum duximus. Pecuniarum tellurisq́ indigemus, tum vrbium, ad exhibenda quæ militibus victoriæ promissa sunt præmia. Octo & viginti armatorum legiones nobis adsunt, quæ cum reliquis ad bellum constitutis, centum & septuaginta millium, equitibus exceptis, adimpleuere numerum. Adest & alterius exercitus electa multitudo. Ex huiusmodi virorum copia necessitatem nostram discernere potestis: his agros & vrbes distributurus in Italiam concessit Cæsar, vel si vnico verbo rem explicare opus est, constituturus Italiam. Vos ne tellure, vrbibus, domibus, templis quoque ac sepulcris depellimus, pecunia mulctabimus, nec omni profectò quam habetis (non enim possibile id vobis) sed vt partem licet tenuem conferatis, quod optimè intelligentibus pergratum esse credimus. Nam quæ hostibus nostris duorum spatio annorum decem tributa persoluentes contulistis, eadem quoque nobis assumere perabunde fuerit, verùm vnicum intra annum. sic enim necessitas & conscientia vestra cogit charitatis, tantum duntaxat imponemus, quoniam nulli peccato par pœna impenditur. In

hunc

hunc modum Antonius elocutus est, octo supra viginti legionibus relaturus gratiam, quas tres supra quadraginta olim extitisse, cum Mutinæ inuicem conciliati sunt, & hæc quæ illis promiserunt, fuisse intelligo. Cæterum assidua bellorum clades ad tam infimum eas adduxere numerum. Hæc referente Antonio audientes Græci cum fletu humi se sternentes, necessitatem à Bruto Cassióque inditam, neque æquam erratibus eorum, sed misericordia potius dignam attulerunt. Daturos se sponte benefactoribus suis si haberēt, verùm ab hostibus spoliatos esse: quibus non pecunias solum conferre, sed apparatus omnes pro pecunijs adijcere coacti forent, illi autem in cudendis nummis absumpsissent. Tandem rogantes ac deprecantes vt nouem annorum tributa duobus annis conferre possent, exorarunt: quæ non solùm regibus, dynastis, liberisq; ciuitatibus, verùm iuxta vniuscuiusque potestatem iniūcta sunt. Eodem nationes peragrante, Lucius Cassij frater, & quicunque alij ex timore delituerant, intellecta venia quæ cæteris in Epheso concessa fuerat, vltro supplicatum accessere. Quos omnes, præter eos qui in Cæsarem olim conspirauerant (his enim implacabilis semper fuit) venia donauit. Vrbes quoque maximas oppressas calamitatibus consolatus est. Lycios tributis immunes esse iussit. Xanthios eorum

vrbem

Vrbem restituere adhortatus est: Rhodijs Andrum, Tenum, Naxum, & Gnidum tradidit: quas non multò pòst quasi ex sorte legalius illis imperantes abstulere. Laodicenses Tarsensesq; liberos, ac tributorum immunes esse voluit. ex Tarsensibus pretio venundatos edicto liberauit. Atheniensibus ad eum accedentibus vltra Tenum Aeginam quoque tradidit. Icum præterea, ac Ceum, Sciatum, Peparethū, Epipariumq;, Phrygiā insuper, Mysiam, Galatas qui Asiam incolunt, Cappadociam, Ciliciam, Syriam inferiorem, & Palestinam, Tureonamq;, & quascunq; alias Syriorum nationes grauioribus tributorum oneribus afflixit, quæ separatim regibus & populis imposuit, vt Ariarathi in Cappadocia, ac Syseno: cui etiam ad obtinendum regnum adiutor affuit, matris eius pulchritudine ductus ac festiuitate. In Syria tyrannos ex vrbibus pepulit. In Cilicia autem accedente ad eum Cleopatra, quòd Cæsaris laborum nullam attigisset partem, conquestus est. Verùm ea non tam se à crimine purgante, quàm actorum exhibente rationem, quòd quatuor legiones per Dolabellam emisisset, exercitumq; alium paratum tenuisset à tempestate præpedita, Dolabella celerrimè bello superato, minitante insuper Cassio ni vnà militaret, ipsis præterea in Ionio pugnantibus, cum exercitu & apparatu

ratu

ratu magno adnauigasset, nullo Caßij timore habito, aut Murci, qui classe maria omnia obsideret, quoad tẽpestate correpta naues omnes amisisset, ipsa graui valetudine ferè ad interitum oppressa esset. Quibus ex rebus gratiæ sibi potius habendæ forent, quàm posterius deuictis inferẽda arma. Antonius vltra aspectum prudentia eius stupefactus, iuuenili quodam amore subitò exarsit, quanquam quadragesimum ætatis attigisset annum, verùm pronior ad huiusmodi libidines semper habitus. Ferunt quippe eiusdem virgunculæ adhuc pulchritudine correptum, ardentius eam concupisse, cum Gabinio in Alexandriam proficiscenti ad bellum, ipsa præfectus equitum, adolescentior comes accessisset. Statim igitur, quæ Antonio ad omnia diligentia & cura affuit, vno impetu extincta est. Quicquid Cleopatra imperasset, nec difficulter quidem tam de iustis quàm de sacris exequebatur, posteaquam sororem eius Arsionem supplicem Mileti in Leucophryenæ Dianæ templo præmittens interemit, & Serapionem in Cypro pro ea depugnantem cum Caßio, & pro Tyrijs ad se supplicem profectum, Tyrios Cleopatræ tradere coegit, & alterum item deprecantem Aradios illi prodere. Hunc ignotum quendam Ptolemæo Cleopatræ fratre non apparente, nauali pugna, quæ in Nilo contra Cæ-

sarem

ſarem geſta eſt, Aradij habuiſſe dicuntur, qui ſe Ptolemæum profiteretur eſſe. Ac etiam in Epheſo Dianæ Flaminem, quem Megabyzum exiſtimant, quòd aliquando Arſinoëm velut reginam ſuſcipi imperaſſet, Epheſijs Cleopatram deprecantibus facilè conceſſit. Adeò Antonius ad omnia properè immutatus eſt: quæ paſſio principium ac finem omnium ſubinde calamitatum illi attulit. Enauigante etenim in patriam Cleopatra, Antonius equites ad Palmyram vrbem non longe ab Euphrate fluuio ſitam, modica quædam ciuibus imponens, vt eam diriperent emiſit, quoniam Romanis et Parthis finitima, ad vtroſque accommoda futura eſſet. Negociatores in ea habitantes ex Perſia Indorum res & Arabum ſolent convectare. Igitur veluti Romanorum partes diſpoſiturus in vrbe, re ipſa vt militibus in prædam traderet, adire illam iubet. Palmyrenei intellecta fraude, neceſſarijs in contrariam fluminis partem euectis, præparatis etiam arcubus in aduerſa ripa, ad quorum vſum promptiſsimi habentur, ſi quis vim afferre vellet, vrbem deſtituerant: quam vacuam offendentes equites, nullo cum ipſis inito prælio, ac ne præda quidem abacta diſceſſere. Quæ res non multò pòſt Antonio Parthicum videtur intuliſſe bellum, multis ex Syria tyrannis in eam fugientibus. Nam

Syria

Syria ad Antiochum vsque Eusebium & Antiochum eiusdem filium ab his qui à Seleuco Nicanore originem duxere, regebatur, vt à nobis in libro quem de Syrijs edidimus, perscriptum est. Pompeio deinde Syriam Romanis vendicante, & Scaurum prætorem in ea statuente, Senatus post Scaurum prætores alios instituit, & Gabinium qui Alexandrinos bello aggressus est, imposuit. Gabinij discessu Crassus ei prouinciæ præfuit, qui habito cum Parthis prælio vita excessit. Hunc Bibulus prætor insecutus est. Nouissimè post Cæsaris necem seditiones in ea à tyrannis emerserunt: quibus Parthorum imperium secutis, à Crassi clade Parthi Syriam occuparunt tyrannis potissimum fauentes, quos in Parthianem fugientes Antonius vrbe expulit, plurimis tributa grauiora inferens: ac Palmyreneis illata iniuria, prouinciam tumultu excitam, minimè confirmare aggressus, militibus per vrbes in hyberna distributis, in Aegyptum post Cleopatram profectus est. Illa venientem apparatu splendido suscepit. Eo loci Antonius depositis imperij signis atq; apparatibus, priuato habitu victuq; transegit hyemem: siue quòd alieno in principatu & regia vrbe moram duceret, siue quòd hyemē veluti in spectaculis quibusdam ageret. Exutus nempe curis omnibus, & imperij obsequijs, stolam quadra-

tam Græcorum more pro patria & domestica induit. Calceamenta candida, qualia Atheniensium sacerdotes, & Alexandrinorum, quos Phecasios vocant, deferre consueuerunt, sibi assumpsit. Deambulabatque vel ad templa aut gymnasia, aut ad philologorum conuersationes, aut Græcorum conuenticula sub Cleopatra, cum qua præcipuè in aduentu hæc peregit. In his itaq; obuersabatur Antonius. Cæsarem interea Romam redeuntem grauior valetudo afflixit, ita vt non sine periculo Brundusium delatus, ex rumore interijsse crederetur. Conualescens deinde vrbem ingressus est, & Antonij præfectis literas quas attulerat exhibuit. Hi Calenum duas Cæsari legiones concedere iusserunt. In Lybia præterea ad Sextium misere, vt Lybia excederet, eamq; prouinciam ex mandato illi traderet. quæ omnia ab ipsis perfecta sunt. Cæsar Lepido, cùm nihil indignum egisse comperisset, Libyam priorum nationum loco adscripsit, ac reliqua quæ ex proscriptione in publicum allata fuerant, cœmere curauit. Cum verò milites per colonias distribuere, agrósque illis aßignare niteretur, magna solicitudine & cura tenebatur. nam vrbes quæ à principio illis pollicitæ fuerant, ad belli præmia poscebant. Quæ res totam ferè Italiam vel illorum libidini subijcere, vel ad alia loca ex neceßitate eos mittere cogebat. Agrorum

rum præterea pretia expetebant, nullis aßistentibus pecunijs. Quæ palàm facta cùm iuuenes pariter ac senes intelligerent, Romam continuè per partes aduentabant. Mulieres porrò cum pueris in foro templisq́ passim illacrymabant, nihil impium egisse dictitantes: seq́, cùm Itali forent, ab agris domibúsque veluti belli iure captos indignè deturbari. Super quæ audientes Romani angebantur animo, atque deflebant, potißimum cum nulla vtilitate vrbis, sed eorum causa, ac Reipub. mutatione, bellum geri animaduerterent, præmiáque obinde illis dari, Colonias etiam concitari, ne popularis status vlterius locum esset habiturus, cohabitantibus vnà cum ducibus mercenariisque exercitibus, qui ad omnia quæ illi concupissent, parati aßisterent. At verò Cæsar neceßitatem exponebat vrbibus, quæ neutiquam sufficere adhuc illis videbantur. Neque se cohibebant milites, verùm finitimos non sine iniuria aggreßi, longe plura quàm illis pollicita essent rapiebant, quæ potiora etiam forent auferentes, neque increpante eo qui munera exhibebat. Ad multa quippe Cæsari silentium indixerant, potißimum cum imperatores ad tuendum principatum illis indigentes vltro spernerent. Iam enim annorum quinq́ tempus illi effluxerat, & neceßitas securitatem vtrorumq́ exopta-

re videbatur. Nam & imperatoribus ad tuendum principatum exercitu opus erat: & exercitui, vt quæ abstulerat retinere posset, stabili opus erat imperio: & cum seipsos ad id agendum impotentes cernerent, ex necessitate interim coacti depugnabant. Multa præter hæc indigentibus è sacris mutuò sumpta tribuerat Cæsar. Qua ex causa ad illum quamprimum vertebant oculos, & plurimorum gratia illi accesserat, vt pote qui agros, vrbes, pecunias, habitacula quoque esset præbiturus, & omnium non sine inuidia qui hæc adepti forent, celebraretur voce, & contumelias exercitus gratia perferret. Quæ singula mente repetentes Lucius Antonius Antonij frater tum fortè consulatum gerens, & Antonij vxor Fuluia, & ex absentia Antonio fauens Lucius Manius, ne vniuersa Cæsaris opera agi viderētur, ne've solus gratiam sibi assumeret, Antonius beneuolentia & charitate fraudaretur, habitationes militum absente Antonio differri suasere. Cum difficile id esset ob instantem militum solicitudinem atque curam, qui Antonij legiones per habitacula disponerent, decernendos esse, eósque abse exigendos postularunt, quas decreto Antonij solum Cæsari concessas dicerent, Questi insuper neque dante Antonio concessas esse, ipsi Fuluiam Antoniúque liberos inuidiosè admodum in exercitum ducent

sentes, ne Antonij gloriæ benignitatis've obliuiscerentur, aut beneficiorum quæ ab illo suscepissent, precabantur. Creuerat iam enim & apud milites, & apud alios Antonij gloria belli in Philippis acti ob Cæsaris valetudinem, cum id opus Antonij tantummodo arbitrarentur esse. Cæsar eorum quæ in illum tentarentur, minimè ignarus, Antonij tamen gratia facilè concessit. Sic habitationes qui Antonij legionibus impenderent, eorum arbitrio permissi sunt. Illi militibus subinde contulerunt, & vt Cæsare indulgentiores erga suos viderentur esse, multos adhuc amplius iniuria affecere. Nam & pleraque vrbes non longe ab ijs quæ distributæ fuerant incolebantur, quæ plura à militibus indigna sustinentes, ad Cæsarem clamabant, habitationes huiusmodi proscriptionibus longe iniquiores esse, illas quidem in hostes, has ad nihil delinquentes instrui. Hæc Cæsar minimè ignorabat, verùm difficillima illi erant. Nam argentum quod cultoribus in telluris præmium daretur, nequaquam aderat, neque victoriæ præmia incumbentibus adhuc hostibus suscipere ab vllo poterat, Pompeio maria obsidente, & famem indicente vrbi. Aenobarbo præterea & Murco exercitum & classem aliam in vnum comparantibus, despectiores se quoque apud illos futuros intelligebant.

bant, ni præmia priora suscepissent, plurimum illis consumptum ad quinquennale imperium, & exercitus beneuolentia longe amplius opus esse, & ob id contumeliarum ac contemptus nullam rationem habēdam existimabat. Nempe in theatro præsente illo miles quidam sessione indignus ad equitum processit ordines: qua ex re populus turbatus est. Cæsare illum assurgere imperante, milites ira conciti, ac illum circunstantes, excedentem theatro iterum reuocant, eos qui minimè inspexerant, ad rixam concitare rati. Nam redeuntem è carcere duci prodiderunt. abnuentem deinde illum, & ut res gesta fuerat palàm enarrantem, arguere & ueluti communia prodentem increpare incipiunt. hæc autem in theatro facta sunt. Vocati deinde ad distributionem milites Martium in campum, ex festinatione etiam noctu peruenerunt: Cæsare tardius ad eos accedēte, ira sublati sunt. Cum Nonius turmarum dux summa fiducia eos argueret, & honestatem ab ipsis ad imperatorem deferret, ualetudinem porrò non superbiam eius excusaret, ut adulatorem salibus primum insectati sunt increbrescente in maius ira, conuitijs aggressi, è campo pepulerunt, ac fugientem insecuti, cum fortè ad Tybrim declinasset, præcipitauere in fluuium, exceptum quoq; eo loci abiecere, quo Cæsari iter futurum erat ad campum

acce

accedēti. Amici itaque ut à congressu illorum abstineret, iramque vehementiorem euitaret, monuerunt. At is vltro ad illos venit, ratus se furorem militum incensurum magis si conspectum eorum euitasset. Deinde corpus proiectum intuens cùm paulùm è via declinasset, veluti paucorum facinus id esse questus, vt in futurum sibi ipsis mitiores forent, adhortatus est: nullàque interiecta mora, agros partiri cœpit, & vt digniores dona exposcerent concessit, ac indignis quibusdam præter mentem eius contulit, quoad multitudo grauitatem eius admirata, post pœnitentiam gauisa est, quasi sibi ipsi culpam inferens, eósque qui Nonio attulissent manus, si agnosceret, vt puniret persuasit. Ille eos se cognoscere professus, sibi soli notum præter cæteros punire velle dixit, neque vllam apud eos esse culpam. Sic milites venia simul & honore donisque adornati, confestim ex mutatione præconijs eum extulere plurimis. Huiusce verò indignitatis & arrogantiæ erga imperatores maximè duæ verisimiliter coniecturæ afferri queunt. Et fortassis causa erit, quòd prætores vt plurimum creandorum munerum, vt in ciuilibus bellis expertes erant, nec exercitus eorum vllis patrijs moribus ad comitia accersebantur, neque vtilitate patriæ potius, aut Reipublicæ communi bono, quàm ducentium eos auspicijs in vnum

conspirauerant, neque necessitate legum, sed pollicitationibus allecti proprijs, neque ad communes, sed ad proprios duntaxat ferebantur hostes, neque in exteros sed in ciues & collegas pugnaturi. Hæc enim omnia militarem illis ademerant timorem: non enim militare se magis existimabant, quàm ex eorum voluntate & gratia afferre opem. Imperatores quoque ducentibus ipsis ad propria ex necessitate transisse credebant. Causam etiam attulisse dixerim, vt quod olim apud Romanos transfugam haberi venia indignum fuit, tunc munerum quæ offerebantur, gratia dignum habebatur. Quod & exercitus ex multitudine agebant, & illustrium præterea nonnulli non transfugas se arbitrantes, cùm ad sibi similia transissent. Nam similia tunc erant omnia, nec alia ipsis ad communem cum Romanis inimicitiam dissimilitudo inerat: & eadem imperatorum simulatio, quasi omnes ad vtilitatem patriæ auxilium afferrent. Quæ res proniores ad mutationem eosdem reddidit, veluti qui omni in loco patriæ se opem allaturos crederent. Hæc prætores eorum intelligentes, non legum causa potius quàm munerum & vtilitatum imperatores suos perpessi sunt. Sic omnia ad seditionem denuò collapsa, quæ exercitus ad indignitatem contra seditionis duces impulit. Interea fames vrbem perurgebat. Nihil

hil enim è mari ob Pompeium, aut ex Italia bellorum causa distributis ad culturam agris ferebatur: quicquid autem ex his fieret, ab exercitibus consumebatur. Multi adhuc per noctem latrocinijs vniuersam infestabant vrbem: & quod deterius erat, nullo timore in omnes grassabantur: eius rei culpa potissimum ad milites referebatur. Iam multitudo praeclusis officinis duces sibi erexerat, vtpote quae nullis artibus aut magistratibus necesse sibi duceret in desolata & exhausta vrbe. Lucio igitur Antonio populari admodum triumuiratus munus detestante, asserentéque nullo vnquam tempore cessaturum esse, offensiones multae in Caesarem prodibant, ampliorésque in dies rixae pullulabant. Cultores omnes qui è proprijs expulsi agris, potentis cuiuslibet supplices effecti erant, ad se venientes solus admittebat, auxiliúmque pollicebatur, ipsis ad quaecunque libuisset, pari modo opem suam offerentibus. Qua ex causa Antonij exercitus de ipso grauissimè conquestus est. Sic Caesar Fulniam quae Antonio contraria essent operari fassus, intempestiuum illi praeparare aiebat bellum, donec Manius malignè admodum Fuluiam tandem in deterius conuertit. Is nempe quiescente Italia Cleopatram Antonium detenturum praedicabat, insurgente verò bello quamcitissime ad se redi-

iurum esse. Fulvia mulebri passione ducta, Lucium ad contentionem sponte impulit. Egrediente itaque Caesare ad residua militibus praebenda loca, Antonij filios qui eum sequerentur cum Lucio emisit, ut non amplius apud milites authoritatis Caesari quàm filijs inesset. Equitibus igitur Caesaris ad Brutiorum maritima, quae Pompeius olim diripuerat egressis, ratus Lucius, sive sponte à seipso commentus, equites in Antonij filios emitti, ad Antonij colonias celeri cursu se proripuit, multisque ad tutelam sui in unum comparatis, Caesarem apud milites arguere conatus est veluti Antonio infensum: Caesar contrà omnia sibi cum Antonio communia & pacifica esse edocuit, Lucium alia ratione inter eos lites serere, ut triumuiratum oppugnaret, per quem colonias sibi ascriptas tuto demum essent habituri, Equites in Brutios ad mandata eius exequenda processisse. Haec praefecti exercituum ducésque audientes, cum eodem in Theano collocuti, his verbis convenere, Consules quae patriae necessaria solum forent, providere. Neminem ex Triumuiris illos prohibere. Nulli ex ijs qui in Philippis militassent, agros impartire posse: pecuniásque in publicum redactas, & condemnationes eorum qui venales adhuc essent, non attingere. Antonij exercitum per Italiam aeque partiendum esse.

neque

neque alium ex Italia amplius eligendum. Cæsari in Pompeium militanti, duas Antonij legiones tribuendas fore. Alpes patere ijs qui à Cæsare in Iberiam proficiscerentur, neque Asinium Pollionem prohibere vlterius. Lucium his contentum, custodiam corpori amouere, intrepidéque in vrbe vitam agere. Hæc per exercitus primores ad inuicem decreta: ex quibus duo postrema illa solùm confecta sunt. Et Saluidenus licet inuito eo Alpes transgressus est. Cùm cætera neutiquam fierent, vel in longum ducerentur, Lucius Præneste profectus est, Cæsarem se vereri inquiens principatus causa circumseptum armis, cùm ipse nullo custode in publicum prodiret. Secessit & Fuluia, Lepidum sibi exemplo esse referens, vt filijs caueret. Hæc enim in primis Cæsari obijciebantur, quæ ab vtrisque Antonio pariter conscripta sunt, & amici cum epistolis ad eum missi, qui singula edocerent. Quæ si minimè perquirens inueniret, apertius rescriberet. Subitò itaque exercituum præfecti iureiurando sancientes, se quod iustum esset, inter imperatores iudicaturos esse, & dissentientes ad idem inducturos: eos qui cum Lucio erant, vicissim postularunt. Non assentientibus illis, Cæsar inuidiose admodum ad exercituum duces, Romanorúmque optimos de his conquestus est. Illi ad Lucium arrepto cursu,

Vt

vt Vrbis Italiaq; misereretur, ob ciuilium bellorum metus deprecati sunt: aliquem quoque eligeret, qui medius inter eos & imperatores eorum iudicaret. Erubescente Lucio non ob ea solum quæ dicebantur, sed ob eos etiam qui referrent, Manius audacter admodum Antonium nil aliud quàm in exteris pecunias accumulare dixit, Cæsarem exercitus & opportuna quæque Italiæ muneribus & obsequijs sibi asciscere. Celtarum prouinciam Antonio antè concessam, decepto eo, libertati restitutam esse. Italiam ferè omnem octo supra decem Vrbium loco militibus attribui: & quatuor Vltra triginta legionibus, pro octo ac Viginti, qui Vnà militassent, impendi. Non agros modò, sed pecunias è templis ab eo eripi, quasi in Pompeium esset profecturus, ad quod impotens omnino esset, Vrbe iampridem fame laborante. Diuidere præmia militibus, Vt in Antonium eos iritaret, cum quæ in publicum relata forent, non Venundare magis quàm elargiri Videretur. Necesse esse si re ipsa pacem cupiat, eorum quæ constituta forent, subire rationem. In futurum Verò quæ communi Vtilitati consulentibus Visa sint, ea solum facere. Sic Manius singulari audacia, nec Cæsarem alicuius operis fore dominum, nec Antonio pactionem Vllam affirmandam esse censuit: Vtrunq; cum iniuncta peregisset, Imperatorem

habend

habendum esse, & eorum quæ publicè Vendarentur, admuicem retinere potestatem. Omnino itaque Cæsar se ab his oppugnari intuens, nonnihil Verebatur, & se Vterque eorũ præparabat. Duæ legiones olim Cæsari paternæ aderant in Ancona Vrbe constitutæ, quæ cum Antonio militabant. Hæ Vtriusque apparatum sentientes, ob communem beneuolentiam ac familiaritatem Verecundia ductæ, legatos inuicem misere Romam, qui ambos conciliarent. Cæsare illis referente, non cum Antonio pugnare se, sed à Lucio oppugnari: exercituum primores allocuti, ad Lucium oratores destinant, qui eum cum Cæsare in iudicium Vocarent. Iam enim quæ facturi essent, si id recusarent, clarè licebat intueri. Lucio conditionem admittente, locus causæ diffinitus est, Vrbs scilicet Gabiorum, inter Romam Prænestéque media, & sessio Vicissim iudicibus adscripta: Tribunalia insuper duo in medio erecta, Veluti in iudicio facturis Verba. Primus Cæsar aduenicns, equites ad locum per quem Lucius transiturus erat emisit, insidias si quæ fortè adessent scrutaturos. Illi equitibus quibusdam Lucij præcursoribus, ac Vicissim exploraturis ea loca, obuiam facti, nonnullos interemere: Qua ex causa Lucius aggreßionem, Vt aiebat, Veritus, retroceßit. Reuocantibus deinde illum exercituum præfectis, & tutò affuturum

turum illum pollicentibus, neutiquam assensus est. Sic conciliationes nullo perfecto opere soluuntur, bellúmque ab vtroque meditari cœptum: acerbioribus etiam epistolis inter se contendere aggreßi sunt. Lucio sex legionum exercitus aderat, quas ipse ad consulatum accedens congregarat. Huic Antonij vndecim aliæ accesserant, quibus Calenus præsidebat, & hæ per Italiam distributæ omnem. Cæsaris legiones quatuor Capuæ fuere, & prætoriæ quædam circa ipsum, sex quoque alias Saluidenus ex Iberia adduxerat. Aderant & Lucio pecuniæ à nationibus quæ minimè ab Antonio expugnatæ fuerant. Cæsari verò quas ab omnibus acceperat atque expugnarat, Sardis exceptis, & quas mutuò ex sacris retributionis gratiam pollicitus assumpserat Romæ à Capitolio, ab Antoniano Libanubio, à Nemis ac Tybure, quibus in locis thesauri nunc vel maximè sacrarum pecuniarum adseruantur copiosißimi. Nam quæ Italiam extra idem possidebat, eo tempore turbationibus dißidijsq; agitabantur. Nempe Pompeius ob proscriptiones, & exercituum incolatus, Lucij præterea dissensionem, ad summum gloriæ potentiæq; peruenerat. Quicunque enim pro seipsis soliciti, aut qui propria abstulissent, aut Rempub. penitus auerterent, ad illum ferebantur. Alia porrò iuuentus lucri causa ad militiam festinans,

nans, & sub quo potissimum militaret haud multifaciens, cùm vbique Romanis misceretur ad Pompeium præcipuè inclinabat, veluti iustiores eligentem partes, & qui ad ingẽtem opum abundantiam ob prædas mari abactas peruenisset: naues plurimas haberet, maximum quoque rerum apparatum. Nam Murcus duas agens legiones sagittarios porrò quingentos, pecunias multas. Ad hæc naues octoginta ad illum venerant, aliumq́; exercitum ex Cephalenia accersierat: sic vt à nonnullis creditum sit Pompeium, si se audacter his rebus intulisset, Italiæ tunc fame dissensionibúsque laborantis, & ad ipsum inclinantis, maximè fuisse potiturum. Cæterùm Pompeio ob inscitiam non Italiam aggredi, sed opem potius afferre visum, donec res eius inferiores tandem effectæ sunt. Quippe Sextius equitum Antonij præfectus in Libya iam antea exercitum iubente Lucio Fagioni Cæsaris præfecto dederar, & subinde qui repeterent ad eum miserat. Quo recusante, cum eodem gerebat bellũ, nonnullos ex militantibus, aliámque Libycorum multitudinem, & à regibus quàm multos in vnum congregans. Fagio pugna superatus, vtroque amisso cornu, exercitibus se inuicem suscipientibus, ex proditione id euenisse ratus seipsum interemit, ac confestim Sextius vtrámque Libyam assecutus est. Lucius Bocchum

chum Maurusiorum regem, vt cum Carrina bellum gereret, qui Iberiam Cæsari tradiderat, adhortatus est. Aenobarbus octoginta nauibus, duabus præterea legionibus: ac sagittariorum funditorúmque; necnon velitum & gladiatorum ingenti manu Ionium depradabatur æquor, & quæcunque Triumuirûm subiecta imperio depopulabatur. Ad Brundusium quoque delatus, Cæsaris triremes prælio aggressus, partem interceperat, partem igne comburens, Brundusinis intra mœnia conclusis, regionem deuastabat omnem. His ex causis commotus Cæsar, militum legionem Brundusium ire iussit, & Saluidenum in Iberiam euntem magna celeritate ad se reuocauit: vnaque Cæsar & Lucius qui exercitus per Italiam colligerent, continuè mittebant. Exterorum quoque incitationes maiores minorésve ab vtroque fiebant: insidiæ etiam plerunque interueniebant. Verùm Italorum beneuolentia vt plurimum ad Lucium inclinabat, quasi pro ipsis in sortem distributis depugnantem. Neque solum vrbes exercitibus descriptæ, verùm vniuersa Italia timore ducta, ne similia illis pateretur, assurrexerat. Et qui pecunias ex eorum sacris ob Cæsarem abstulerant, ex vrbibus expellentes populi, interficientes've, mœnia in potestate sibi assumpserant, & ad Lucium vnà confluebant. Itidem & ad Cæsarem, qui per

per colonias ab eo distributi fuerant accedebant, veluti ad domesticum iam inter se diuisi bellum. Quibus ex rebus Cæsar Senatum equestremq́ ordinem in vnum conuocans, his verbis allocutus est. Despicior equidem, satis scio, ab his qui circa Lucium sunt, quasi ob debilitatem timiditatem've eos minimè vltus fuerim, propter quæ nũc ordines vestros alloquentem me vituperant. Mihi quidem validior indies exercitus fit, atque audacior, quicunque contumelia mecum affectus à Lucio sortitione sua spoliatur, omnisq́ alius quicunq́ adest, validiora etiam & cætera exurgunt, vna duntaxat sententia excepta. Non enim mihi iucundum ciuilibus concertare bellis, nisi ad ea necessitate impellar maxima: neq́ in reliquis adinuicem abuti ciuibus, potissimum ciuili bello, quod à vobis non ex Macedonia aut Thracia audiendum sit, sed in ipsa Italia agendum, quæ vltra tot virorum cladem atque interitum, tot ingentes calamitates, veluti stadium quoddam effecta nobis, passura videatur. Hæc quippe ego addubito, & adhuc testor neq́ iniuria me affecisse Antonium, neque ab illo affectum esse, solum vos vt Luciũ eiusq́ sequaces arguatis persuadeo, meq́ illi vt concilietis vehementer cupio. Qui si mihi non obtemperarint, minus've crediderint, faciam vt vniuersi intelligant, consilij rectitudinem vsque

nunc affuisse mihi, non timiditatem. Vos autem vt apud Antonium testes mihi sitis deprecor, & ob Lucij suspicionem vnà consurgatis. Hæc à Cæsare palàm dicta, quorum causa hi denuo Præneste profecti sunt. Quibus Lucius hoc solum retulit, cur ad horum assumptionem operum vterque eorum delatus esset, dissimulare Cæsarem, qui nuper legionem vt à reditu prohiberet, Antonium Brundusium emiserit. Manius etiam Antonij epistolam protulit, siue confictam à se, siue verè editam, hac sententia: pugnaturum se, si quis dignitatem eius destruat. Rogantibus ijs qui è Senatu aderant, quis dignitatem eius impugnaret, & ob id eos in iudicium vocantibus, Manius plura alia sophisticè admodum his inseruit, quoad illi infecto negotio abiere, nec ad iudicium cum Cæsare vlterius venere, siue à seipso vnusquisque renuntiaret, siue alia ex causa, siue rubore duceretur. Sic bellum continuò apertum est, ad quod Cæsar proficiscens, Lepidum duabus cum legionibus custodia vrbis dereliquit. Ea tempestate multi illustriũ tum vel maximè triũuiratum detestari visi sunt, nã ad Luciũ trãsiere omnes. Belli autem principia huiusmodi fuere. Duæ Lucij legiones apud Albam desidentes, eiectis ducibus ad defectionem inclinarunt. Festinantibus ad has Cæsare & Lucio, præueniens Lucius iterum pecuniarum

oblatio

oblationibus pollicitationibusq; leniuit. Firmio deinde exercitum alium ad Lucium ducente, Cæsar Firmium aggressus, accurrentis ad collem exercitus postrema inuasit. Cum nocte ad Sentiam Vrbem accessisset, quæ earundem partium dicebatur esse, Cæsar insidias veritus, minimè nocte insecutus est. Orta luce Sentiam simul & Firmij exercitum obsedit. Lucius Romam properans, tres acies præmisit, quæ in Vrbem accurrentes neutiquam per noctem conspecta sunt. Ipse magno exercitu equitum gladiatorúmque processit. Nonio custode per portas illum admittente, & exercitum qui sub eo fuerat, exhibente, Lepidus ad Cæsarem aufugit. Lucius Romanos affatus, Cæsarē ac Lepidum nefandi magistratus pœnas continuò daturos esse dixit. Fratrem eius eundem magistratum vltro ponere, & consulatum qui legalior habetur, pro eo accipere, & legitimam patriamq; dignitatem pro tyrannica velle assumere. Ob quæ exultantibus cunctis, & triumuiratus dignitatem dissolui existimantibus, ipse imperator à populo appellatus, in Cæsarē progreditur, exercitumq; alium ex colonijs ab Antonio conditis in vnum congregans, Vrbes in potestatem redegit. hæ autem Antonij partes sequebantur. Barbatius Antonij quæstor, nonnihil Antonio infensus, & ob id reuersus in patriam, interrogantibus

tibus dicere solebat, Antonium his qui in Cæsarem pro communi eorum potestate depugnarent, subirasci. Qua ex re ferè omnes, nisi si quis circumuentus esset, Barbatio assentientes, à Lucio ad Cæsarem transibant. Lucius autem Saluideno cum ingentibus copijs à Celtis ad Cæsarem proficiscenti occurrit. Saluidenum Asinius Pollio Ventidiúsque sequebantur Antonij prætores: qui progredi vlterius ipsum vetuere. Agrippa Cæsari amicissimus, ne Saluidenus intercluderetur extimescens, Subrium intercepit, locum Lucio accõmodissimum, ratus Luciũ omisso Saluideno in ipsum moturum copias, & Lucio à tergo instante, Saluideno auxilium afferre posse. Nec eum fefellit opinio: nam Lucius spe defraudatus, versus Asinium Ventidiúmque processit. Insurgentibus vtroque ex latere Saluideno & Agrippa, opperientibusq; vt illum inter angusta deprehenderent: cum insidiæ apparuissent, Lucius vtrosque aggredi non ausus, Perusiam se contulit, vrbem mœnibus copiisque munitam: iuxtaq; eam castrametatus est, Ventidij copias opperiens, ac simul ipsum Perusiamq; vrbem Agrippa, Saluidenus, & Cæsar superueniens, tribus exercitibus circundedere. Porrò exercitum alium Cæsar omni ex parte magna celeritate comparauit, quasi in hoc belli moles vniuersa consideret, si quis

Lucium

Lucium oppreßißet. Præmisit & alios, qui ad Ventidium venientibus se obijcerent. At hi per seipsos accelerare non ausi, subsistere, prælium neutiquam expectantes: neque Antonij mentē adhuc clarè discernentes, cum ad exercitus imperium iuxta dignitatem neuter eorum aßisteret. Lucius neque in pugnam progredi ausus, pluribus ac longè melioribus bellicosioribusq; incumbentibus, cum ipse exercitum maiori ex parte nouis collectum copijs haberet, neque ad iter se apponeret tot vndique illum circunstantibus, Maniū ad Ventidium Asiniumq; præmisit, vt obsesso celerem afferrent opem. Tißinium etiam cū equitibus quatuor millibus ad diripienda Cæsaris oppida ire iubet, vt inde discederet. Ipse Perusiā ingressus est veluti munitißima in vrbe transacturus hyemē si neceßitas impelleret, donec Ventidij copiæ acceßissent. At statim Cæsar vniuerso exercitu summa celeritate Perusiam vallo fossaq; præcinxit, sex & quinquaginta stadia complexus ob montuositatem vrbis brachia longè vsq; ad Tyberim protēdens, ne quis vrbem ingrederetur. Ex aduerso Lucius alijs foßis vallisq; in illum nitebatur, montis semitam vndique communiens. Et Fuluia Ventidium & Asinium, Ateium quoque & Calenum ex Celtis accelerabat, vt Lucio auxilium afferrent. Alium insuper exercitum in vnum

congregans, Plancum ad Lucium præmiserat. Plancus Romam proficiscente Cæsare, legionē in itinere deprehensam ad internecionem ferè amisit. Asinio ac Ventidio segniter admodum cunctantibus, nendum satis perspecta Antonij voluntate, cùm à Fuluia & Manio subinde exciti ad Lucium accelerantes, obstantes quosque repellerent, Cæsar Agrippa comite, relicta vrbi custodia, illis occurrit. Hi neq; insimul congressi, neque ea qua decuit celeritate retrouersi, Rauennam vnus, alius Ariminum fuga petiere, Plancus ad Poletium iter arripit. Cæsar vnicuiq; eorum separatim apposito exercitu, ne in vnum conuenirent, Perusiam denuo reuersus, fossas magna celeritate muniuit, profunditatem etiam in duplo adauxit, latitudinem quæ triginta pedes vtraq; ex parte excederet, adiunxit, murū excelsum erigens, & turres ligneas sexaginta pedum in circuitu ad quingentas supra mille constituens, pinnis septas densissimis, omnemq; alium apparatum à fronte obijciens, vt non minus obsessos quàm exterius irruere tentantes repelleret. Hæc autem multis experimentis varijsq; prælijs inter vtrosque confecta sunt: cùm Cæsaris milites iaculandi arte præcellerent, Lucij gladiatorum in morem ad congrediendum cominus essent potiores, multósque complexi trucidarent. Postquam verò hæc omnia à Cæsare

confecta

confecta sunt, fames Lucium inuasit. ea clades dietim augebatur, quòd nihil ab Vrbe connectari poßet. Id Cæsar intelligens, custodias diligentius agere cœpit. Anni solennibus in sequentem diem futuris, Lucius festum obseruans, quòd hostes ea die negligentius custodias acturos putaret, ad portas nocte procurrit veluti præludio quodam alium in eos ducturus exercitum. nam magnæ copiæ nõnunquam illic aderant. Proxima autem legione ad præsidia existente, Cæsare insuper cum prætoriis cohortibus celeri cursu afferente opem, quãprimum Lucius pugnans repellitur. Hisdẽ diebus militibus frumentum Romæ præseruantibus, multitudo victoria belloq́ue sublata, apertè tumultuari cœpit, & ad domos ciuium delata, vt frumentum scrutaretur, omne quod subinde inuentum est dirripuit. Ventidij milites Lucio fame oppresso verecundia ducti, vt Cæsaris exercitum vrbi aßistentem vi repellerent, Perusiam versus iter capiunt. Agrippa & Saluideno longè amplioribus copijs aduersum prodeuntibus, veriti ne in medio amborum clauderentur, ad Fulcinium locum declinarũt, qui per sexaginta supra centum stadia à Perusia distat. Eo in loco Agrippa eos obseruante, ignes plures excitarunt, per quæ Lucio signa aduentus eorum proderent. Ventidius & Asinius iter pugna faciendũ consulebant. Plan-

cus Cæsaris & Agrippæ in medio existentes, quæ facienda essent præstolari adhuc amplius aliis suadebat. Vicit tandem Planci sententia. Qui Perusiæ aderant, conspectis ignibus exhilarati sunt. Tardantibus ipsis vicissim ab hostibus præpeditos esse, demum cessante igne ab eisdem profligatos esse crediderunt. Lucius incumbente fame, noctu iterum à prima custodia ad aurorã vsque munimenta omni ex parte oppugnare cœpit. Verum repulsus Perusiam iterũ redire cogitur. ibi reliqua cibaria in vnũ comportata, seruis dari prohibuit, custodiri insuper eos diligẽtius iussit, ne quis aufugeret, & extremæ difficultatis cognitio ad hostes perueniret. Deprehensa est igitur seruorum multitudo ingens, qui & in ipsa vrbe ciciderũt, & vsq; ad proprium vallum, pabulum si quod reperissent, & ramalia edentes reperti sunt. Hos fame vitam expirantes Lucius ingentibus fossis obrui mandauit, ne igni imposita cadauera indicium aperirent hostibus, aut putrescentium vapor fœtorem cæteris & morbos gigneret. Cũ verò neq; famis neq; mortis finis vllus videretur esse, turbati milites ob instãtẽ cladem Lucium adeunt, rogántque vt hostium munimenta denuo aggredi velit: sperare se per vim ea omnino erupturos esse. Lucius promptitudine eorum commendata, non digne, inquit, iampridẽ cum huiusmodi necessitas adesset,

set bello decertauimus. nunc autem si vosmet-ipsos dedere necesse est, aut si id morte dete-rius videtur, & ferro dimicare placet, vsque ad mortem censeo pugnandum. Conditione ab omnibus promptissime accepta, ne qua occasio vt in nocte euenire posset, ad auroram se du-ci postularunt. quos Lucius ante diem mo-uit, instrumenta ad euertendos muros ferrea, scalas plurifariam ad vniuersa fabricatas se-cum ferens. Aduehebat & machinas quas-dam ferreis hamis ad superandas fossas per-accommodas. Turres fixiles, quæ asseres muro appellerent: omnis generis iacula, lapidesque, tum crates quas sudibus iniicerent. Aduo-lantes itaque vehementi impetu fossas statim repleuere, lignáque in transuersum ducta su-perarunt. Deinde muris propiores facti, non-nulli vallum fodere, alij scalas afferre prope-rabant, quidam turres admouentes, nullo mor-tis habito respectu saxis, sagittis, fundísque nitebantur. Et hæc quidem per partes haud minima gesta sunt. Sed cum hostibus multis in locis distributis, omnia apud illos infir-miora conspexissent, asseribus muros qua-tientes, non sine periculo summa vi depugna-bant. Quippe asseribus ipsis insistentes, sa-gittis ex transuerso telisque omni ex parte petebantur. Tandem violentia summa vsi, licet pauci, murum conscendere, quos alij con-

mm 5 *festim*

festim insecuti sunt. Et fortasse aliquid, non sine labore tamen ac desperatione perfecissent, nisi quod optimi ex Cæsaris exercitu, qui in subsidijs constiterant, machinarum huiusmodi inopiam apud eos intuentes, milites labore vacuos defessis obiecere. Tum verò præcipites è muris deturbantes, machinásque conterentes, non sine contemptu ex alto ad ima pepulere: quibus in terram procidentibus, arma simul corporáque proterebantur. Deficiente illis ad clamandum voce, non sine promptitudine tamen persistebāt. Cùm autem eorum qui supra murum expirauerant, corpora armis spoliata intuerentur, facinoris magnitudine commoti, contumeliam ferre non poterant, verum aspectu illorum conturbati, parumper quid agerent incerti morabantur, vt in gymnicis certaminibus ij qui à labore aliquantulum respirant, facere consueuerunt. sic se habentes miseratus Lucius, tuba reuocari imperat. Ob hoc exultantibus Cæsaris militibus, & vt in victoria mos est, arma quatientibus, Luciani dolore exciti, scalas denuo assumunt: cúmque turribus carerent, ad muros desperatione magna deferuntur. Hos igitur in hostes nihil peragentes (non enim poterant) circuncurrens Lucius ne frustra pugnare vellent precabatur. Eóque modo suspirantes

inuito

inuitósq; à prælio abduxit. Sic murorum oppugnatio tanto impetu cœpta, ac furore, in hunc modum desijt. Cæsar ne hostes simili audacia ad muros denuo redirent, exercitum omnem qui gestis rebus interfuerat super mœnia constituit, docuitque per murum alium aliò continue deferri ad tubæ sonum, quanquam nemine cogente, ut suis pugnandi peritiam adijceret, hostibus verò timor augeretur. Tristitia ob hæc Lucij militibus, ut in talibus fieri consueuit, adaucta est: ac custodes derelicta urbis cura, uniuersa negligebant, ita ut ex simili incuria plerique dietim ad hostes pertransirent, neq; abiectiores tãtum sed ex primoribus nonnulli id agerent. Versus est itaque ad conciliationem Lucius, tantæ multitudinis, quæ indies deperibat, misericordia commotus: iterúmque ab inimicis quibusdam Cæsaris, qui pro seipsis verebantur, persuasus, ab incepto destitit. Postea verò quàm Cæsarem transfugas ad se venientes benignius suscipere, multorúmque impetum ad conciliationem inclinare vidit, dubitare cœpit, ne illis aduersando & ipse traderetur, experientia quadam ad id facta, nec incerta spe. Exercitum igitur in unum conuocauit, quem hisce verbis allocutus est. Mens mihi fuit ô commilitones patriam vobis restituere ac Rempublicã, tyrãnidẽ triumuirorum & principatum intuenti: sed nec occasio affuit.

Cassio

Caßio Brutoq́ defunctis, Lepido insuper magistratus sui parte spoliato, Antonio longè à nobis pecunias duntaxat in ynum colligente, cum hic solus ad voluntatem eius cuncta ministraret, Romanorum Respublica vt figura quædam & irrisio effecta esset. Eapropter ad libertatem pristinam popularem statum immutare cupiens, cum præmia militibus petita traderentur, monarchiam dissoluere arbitratus sum. Cumq́ nihil profecissem, in consulatu meo neceßitate id quadam efficere tentaui. At hic non mediocri me apud milites calumnia affecit, quasi sortitiones ipse prohibuissem, agricolarum ductus pietate. Hoc profecto diutius me latuit, sed neq́ cũ intellexissem, quicquam in animum induxi meum, incolas qui sortitiones vobis præbituri essent, ad me inclinantes intuens. Verum nonnullos hæc calumnia ad ambitum induxit, & ad illũ veluti in nos pugnaturi, vt existimant, delati sunt, cum tempore à seipsis militare formidantes. Hæc ego vobis testor, qui potiora elegistis, & vltra posse tam ingentia mala perpeßi estis. Victi quippe sumus non ab hostibus, sed à fame, quoniam à præfectis nostris derelinquimur. Mihi quidem honeste cesserit pro patria ad extremam pugnasse fortunam, & honestam laudem vsq́ in finem à conscientia mea suscepisse. Sed nec propter vos deficiam, quos

gloriæ

gloria mea fautores semper habui. Mittam ad eum in cuius manu potestas est, rogabóque vt pro salute vestra me solum arbitratu suo enecet, vobis mei causa veniam impendat, ciuibus & militibus quondam suis, & qui nihil vsque nunc inique peregistis, nec nisi honesta ex causa induistis arma, nec bello magis quàm fame superati estis. Sic ille locutus est, nulláque interposita mora tres ex potioribus, qui pro cæteris verba facerent, ire monuit. Multitudo iureiurando assensum præstitit: cum quidam ipsorum gratia, alij imperatoris mente ducerentur, vt qui optimus, & democraticus illis videretur, & extrema tandem necessitate est superatus. Tres illi ad Cæsarem profecti, exercitus vtriusque generis, & eiusdem nationis edidere viros, & qui vnà aliquando militassent. Affinitatis etiam illustrium, & parentũ virtutis meminere, quæ neque ad implacabilem seditionem eos impulissent, & quæcunque alia his similia ad sedandum eum retulerunt. Cæsar partem eorum insolentem intuens, partem pro sortitionibus vltro depugnantem, arte vsus in hunc modum reddidit. His qui sub Antonio militiam egissent, sponte veniam elargiri velle, veluti qui gratiam illi redderet. alios vt voluntati suæ se subijcerẽt edicere. hæc in conspectu omnium ab illo dicta. Vnum deinde ex tribus Furnium priuatim ad se euocãs, maiore

re charitatis spe erga Lucium, caterósque, proprijs exceptis hostibus incendit. Qui igitur Cæsari aduersabantur, separatim Furnium cum eodem locutum esse eorum causa suspicati, redeuntem conuitijs insectati sunt, Luciúmque vt vel pro ipsis cū cæteris iniret fœdus, vel ad necem vsque depugnaret, exorarunt. non enim priuatim ipsis inimicum Cæsarem, sed communem pro patria hostem extitisse. Lucius commendatis ipsis, collegarū misericordia & charitate ductus, alios ad id munus eligere velle ait: & neminem se pōtiorem esse inquiens, nullo præcone comitatus, iter arripit. Præcurrentibus nonnullis, qui Cæsari Lucium aduenire nunciarent, Cæsar obuiam illi prodijt. Conspicui itaque adinuicem apparuere, amicis comitati, præclari quoque eodem vestis ornamento, militarem in modum pariter amicti. Lucius sepositis amicis, cum duobus lictoribus progressus est, simul mentem eius ab aspectu indicans: quem Cæsar proficiscens ad exemplum imitatus est, quasi beneuolentia quadam erga illum teneretur. Lucium deinde ad vallum properantem intuens, vt palam omnibus se ad eum conuersum faceret, præueniens è vallo progressus est, ita vt Lucio consulendi de se, ac iudicandi libertas esset. in hunc modum se à nutu vestéque indicantes, adinuicem congreßi sunt. Cum autem supra fossam constitissent,

tissent, salute inuicem accepta, redditaq́ᵹ, Lucius prior hæc loqui orsus est. Si quidem exterus essem, ò Cæsar, turpe mihi existimarem in hunc modum à te bello superatum esse, turpiorem adhuc deditionem à me factam ducerem, cuius dedecus atque erubescentiam facilè à meipso potuissem euitare. Ex quo verò eum ciue contendere ac collega pro patria contigit, neutiquam indecorum mihi arbitror, huiusmodi occasione tali viro in bello concessisse. Hæc quippe refero, qui minimè quæcunque velis pati recuso. ob hoc enim in hunc tam ingentem, nullo fœdere à te habito, profectus sum exercitum, sed vt alijs veniam & tuis congruentem rebus iustè expetam. Oportet autem hæc me indicantem, orationem pro illis & me æque diuidere, vt harum rerum causam à me processisse intelligas, & in me vno iram tuam esse colligendam. Neque fiducia commotum quicquam reprehendere velle existimes: intempestiuum id quidem: sed vt veritati potius innitar, quæ nemini me excepto nota est. Ego bellum contra te suscepi Cæsar, non vt te superato principatum mihi assumerem, sed vt optimam Rempublicam Triumuirorum potentia patriæ nostræ ademptam, in melius restituerem: quod nec ipse arguis. Nam cum in vnum conuenissetis, fassi id imperium periniquum esse, vt necessarium,

&

& tempori accommodum esse indicastis, Cassio & Bruto persistentibus adhuc, cum illis conciliari minime possetis. At verò defunctis illis, qui dissensionis huiusce capita fuere, aliorumq; reliquijs siqua extiterant penitus extinctis, non bellantium illa Respublica, sed vos formidantium visa est. Igitur quinquennij finiente principatu, magistratus ad patrios mores reuocandos duxi, non fratrem patriæ anteponens, quem redeuntem ad id compellere vltro credidi, idq; vt fieret in consulatu meo, properaui. Quod si ipse occepisses, solus eius rei gloriam assecutus esses. Ex quo igitur vt pareres minimè tibi suadere potui, Romam proficiscens per vim ad id inducere putaui, ciuis existens, & notus, & consul. Hæ igitur suscipiendi à me belli causæ extitere. Hæ inquam solæ, non frater, non Manius, non Fuluia, non sortitiones eorum qui in Philippis depugnarunt: non denique agricolarum misericordia, quibus propria auferebantur: ex quo fratris mei legionibus, qui habitacula tribuerent, impendi, qui plura ab agricolis dementes, militibus ascriberent. Sed tu hac me infamia apud eos aspersisti, belli causam ad sortitiones à te tranferens. Qua ratio potissimum eos inuoluens in me conuertit. non enim sub me militare amplius, aut, vt inique agentem ope prosequi confisi sunt. Dissimu

simulare etenim bello vtentẽ te oportuit, vt victoriam assequereris, & si hostis patriæ esses, me hostem iudicare, in his quæ illi conferre videbuntur ob famem consulentem. Hæc ipse tibi refero, me tuis concredens manibus, quicquid de me deliberes, vt dixi clare effundens qualia de te prius sensi, & adhuc sentiens solus ad te proficisci volui. hæc pro me dixisse sat erit. Pro necessarijs autem meis, amicisq́; & vniuerso exercitu, nisi siquid de me suspicari mauis, quæ vtilissima tibi sunt, apertè cõsulam. Nihil iniquè eos ob mutuam inter nos contentionem egisse aio, neque hominem quempiam fortuna vtentem in re dubia prohibere eos qui in casibus & opportunitatibus propter te pericula subire velint, cùm ex lege tua intelligant difficulter saluari posse nisi vicerint. Sin hostile consilium vt suspiciosum & infidum respuis, hoc te adhortari audeam, ne amicos meos ob delictum fortunámve puniri pergas, sed in me vnum vniuersa ingeras, cunctorum causam, ex quo illos à sententia mea penitus absolui, ne fortè existimes audientibus illis, pro meipso studiose verba facere. Hæc cùm dixisset Lucius, & subinde siluisset, Cæsar in hunc modum illi reddidit. Sine fœdere ad me venientem te intuens ò Luci è castris proprijs quam celerrime obuiã profectus sum, cum exterius adhuc esses, vt tui compos, per te consule

re, & ea dicere & facere posses, quæ vtilia tibi esse arbitrareris. Postquam verò delinquentium in morem, & peccata sua confitentium, teipsum potestati meæ subijcis, nihil vlterius habeo quod redarguam ex his quæ in me dissimulanter admodum mentitus es. A principio quidem me lædere instituens, nunc vel maximè lædis. Fœdera etenim mihi imponens, à victore & iniuria pariter affecto consecutus es: Cum te, amicósque tuos, & exercitum sine fœdere mihi credidisti, iram ademisti omnem, potestatem quoque eripuisti mihi, quam ex necessitate fœdus tibi impartiens attribui, quos æquitas expugnasse fuit, et vos quæ obuenissent patienter ferre. Verum quæ me digna sunt præponere institui per deos, per me ipsum, & te Luci, hac spe quæ erga me fidenter vsus accessisti, neutiquam te falli sinam. Hæc inter se locuti sunt, velut è commentarijs quibusdam referentes elata voce, quoad licuit, quæ dicturi fuerant, ex animo prius meditati, seque inuicē censentes. Cæsar Lucium laude & admiratione prosecutus est, quòd nihil, vt in aduersis, imprudēter ignauéque dixisset. Lucius Cæsaris modestiā, breuitatemque loquendi vel maximè laudauit. Reliqui, eorū quæ dixissent, ex vtriusque aspectu facile tulere sententiam: Lucius deinde ad tribunos militum misit, vt exercitus signum à Cæsare exposcerēt. Illi militum nume-

rum

rum ad eum detulerunt, quæ consuetudo nunc etiam à nostris obseruatur. Mósque est Tribunum signum expetentē diurnalium librum afferre regi, exercitus numerum præsentis continentem. Illi igitur signum assumentes, custodias quoque ad manus habuere. Cæsare quæ sua essent, vtrosq; ea nocte custodire imperante, cum illuxisset, sacrificia iniit. Lucius exercitum ad illum misit, arma deferentem, & veluti in agmine ad iter apparatum. Milites Cæsarem vt imperatorem à longe salutarunt. Legiones quoque per partes statuentes, eo in loco, quo idem iussit, firmauere signa, qui sortitiones deposcebant scilicet, ac tyrones separatim ab illis distributi. Cæsar rite peractis sacris, lauro redimitus. quod victoriæ signum erat, tribunal ascendit, omnibúsq; vt arma ponerent eo in loco quo constiterant edixit. Cum deposuissent, qui sortitiones expetebant, propius accedere monuit. Quibus cognitis, ingratitudinem eorum improbauit: minisque conterruit. hoc enim facturum esse illum iam antea cognouerant. Cæsaris igitur milites, siue consulto moniti, vt in rebus plerunque solitis, siue passione ducerentur vt ad viros domesticos atque necessarios, destitutis ordinibus quibus præsidebant, Lucianis propius mouere gradum, ac veluti commilitonibus suis circunfusi, arctiúsque complexi, fletum edidere, Cæsa-

nn 2 remq;

rémque pro illis precari cœpere. Nec prius à clamore temperatum est, ipsis inter se complexis, & communicantibus dolorem, tyronibus quoque idem factitantibus, ita vt nihil inter eos diuisum, aut diuidi posse videretur, quam Cæsar à sententia propria excussus est, vt vix clamorem cohibens, his proprios milites quiuerit affari. Vos ô commilitones sic continue mihi aduersamini, quasi nihil à me feliciter possitis consequi. Ego nuper militantes, ex necessitate cum Lucio militare existimo. Eos igitur plerunque nobiscum assuetos, & nunc à nobis conseruatos alloqui in animo statueram, quid à nobis passi, aut qua gratia indigni habiti, aut quid ab aliis maius expectantes, in me, vósque ac se ipsos arma mouerint. Hæc enim in quibus defatigor, ad sortitionem pertinent, quarum pars ad istos spectat. Quod si annuitis, & id intelligam non suadentium, sed incessanter deprecantium esse signum, quæcunque cupieritis vltro indulgeam. Discedent quippe à reorum numero impune illi, qui in futurum paria nobiscum sentient. Vtrisque pollicentibus, gratiæ votaq; in Cæsarem reddita, ac nonnullis eorum quosdam attribuit vt susciperent. Multitudinem verò tabernaculum eo loco in quo prius consederat collocare iubet, donec vrbes ad hyemandum opportunas & aduersantes in vrbibus illis

illis traderet. Ipse pro tribunali sedens Lucium è Perusia cum Romanorum legione ad se venire iussit. Venere igitur plurimi è Senatorum numero, plurimi etiam ex equestri ordine, aspectu mæsto & miserando, vt in subita mutatione persistentes. Et cum Perusiam egressi essent, custodia vrbi apposita est. Accedentibus illis, Cæsar Lucium penes se constituit, alij alios ex Cæsaris amicis, alios duces turmarum suscepere, præmonitos omnes in honore & insigni custodia futuros esse. Perusinos autem è muris deprecantes, sine Senatu exire monuit: venientibus quoque indulsit. Senatores custodibus attribui mandauit, qui non multo post interfecti sunt, Lucio Aemilio excepto. Is Romæ cum iudicium de C. Cæsaris nece haberetur, absolutionem protulit, & vt omnes idem facerent, quasi solutos omni odio suasit. Perusiam Cæsar militibus prædæ subijcere statuerat. Verùm Cestius quidam insolentior, qui prælio gesto in Macedonia Macedonicum se olim appellauerat, domum propriam incendens, se, suáque iniecit igni. Hunc venti insurgentes per vrbem effudere, sicq; vniuersa ciuitas consumpta est: Vulcani duntaxat templum superfuit. Hunc finem Perusia habuit, vetustatis gloriam & dignitatis in se continens, quam ab Tyrrhenijs iampridem in Italia conditam, inter duodecim

primas Vrbes fuisse memorant, & ob id Iunonem Tyrrheniorum more in ea coli solitam. Qui reliquias Vrbis ex sorte delegerunt: Vulcanum deum patrium, Iunonis loco statuere. Postridie Cæsar inducias concessit omnibus. Exercitus neutiquam à tumultu conquieuit, donec nonnulli ex illis necarentur: & erant hi potissimum Cæsaris hostes, Canutius scilicet & Caius, tum Flauius, Clodiusq́; Bithynicus, alij quoque. & hic finis Lucij obsidionis in Perusia fuit, bellúmque hoc modo dissolutum est, quod omnium grauius ac diuturnius in Italiam futurum timebatur. Nam Asinius statim, & Plancus, Ventidius insuper & Crassus, Ateiusq́; & quicunq; eiusdem factionis extitere: exercitum haud contemnendum deducentes (tres enim supra decem legiones, equites quingentos supra mille pugnaces habebant) rati potissimam huius belli partem ex Lucio pendere, ad mare alius alio itinere profecti sunt, quidam Brundusium, alij Rauennas, nonnulli Tarentum. Fuere qui ad Murcum proficiscerentur & Aenobarbum, alij qui ad Antonium se transferrent: subsequentibus continuè Cæsaris amicis, & inducias illis offerentibus, & recusantes clade aliqua circa pedites maximè afficientibus. Ex his solus Agrippa duas Placum legiones, quæ in Camerijs relictæ fuerant, sibi tradere suasit. Effugit & Fuluia

comit

comitantibus filijs in Dicæarchiam: ex Dicæarchia verò Brundusium accessit, equitum tribus millibus illam subsequentibus, qui à præteribus veluti ductores ad eam missi fuerant. Eo ex loco nauibus quinque longis comitata, quæ à Macedonia aduenerant, alijs quinque prius existentibus iter cepit, cum qua & Plancus vnà profectus est, exercitus residua ob timorem derelinquens, qua Ventidium Imperatorem sibi delegere. Asinius & Aenobarbus amicitiam cum Antonio inire decreuerunt, misereque ambo ad Antonium transitum, commeatúmque, vt in Italiam celerrimè veniret, pollicentes. Inter hæc Cæsar alium Antonij exercitum, quem Fusius Calenus magnis copijs circum Alpes deducebat, Antonium iam infensum sibi existimans, assumere tentabat, ratus si in amicitia idem permansisset, exercitum sibi conseruare: sin hostis fieret, magnam vim adijcere suis rebus. Id cum facturus esset, nec indecorum videretur, Calenus morte præuentus est. Sic Cæsar ad vtrunque occasionē nactus, ac illuc proficiscens, exercitum assumpsit. Celticam insuper prouinciam, Iberiamque suscepit, quæ olim Antonio parere consueuerant, Fusio Caleni filio ex nouitate pauefacto, & vniuersa sine armis illis exhibente. Sic Cæsar vno opere legiones vndecim prouinciásque ingentes consecutus, prætores earum magistra-

tibus absoluit, proprijsq; appositis ad Vrbem se conuertit. Antonius hyeme persistente adhuc legatos qui ad eum sortitionum causa profecti erant, penes se detinuit, quæ mente conceperat, occultius adhuc cohibens. Ex Alexandria deinde Tyrum profectus, ex Tyro Cyprum, ex Cypro verò Rhodum & Asiam enauigans, quæ in Perusia facta erant, intelligit. Fratrem igitur, Fuluiámque causatus, & in primis Manium, Fuluiam Athenis morantem reperit ex Brundusio profectam. Iuliam porrò matrem ad Pompeium fugientem, qui clariores circa illum extitere, ex Sicilia triremibus ad eum præmiserunt. Lucius autem Libo Pompeij socer, & Saturninus, & alij quicunque Antonij magnificentiá vtilitate ducebantur, vt cum Pompeio societatem iniret, vnáque cum illo in Cæsarem insurgeret, enixe suadebant. At ille gratias Pompeio quammaximas habere recepta matre professus est, eásque in tempore redditurum fore. Se quidem, si cum Cæsare pugnandum esset, Pompeio vt socio in bello vsurum: sin in his quæ pollicitus erat permansisset Cæsar, daturum operam vt Pompeium illi conciliaret: sic ille respondit. Cæsar verò è Celtis in vrbem proficiscens ab his qui ex Athenis venerant, Antonij responsum satis intellexerat: cæterum rei effectum haud clare intuebatur. Itaque quis sortitiones

tiones suscepissent, in Antonium iritare pergit, veluti Pompeio agrorum cultores reducere tentante quos ipsi poßiderent: multi quippè ex illis ad Pompeium se contulerant. Et quanquam ea persuasio facile eorum animis hareret, tamen qui sortitiones sibi assumpserant, haud prompte in Antonium capiebant arma. Tantam illi victoria in Philippis habita apud omnes gloriam attulerat. Cæsar Antonio, Pompeióque & Aenobarbo armatorum multitudine longe superiorem sese existimans (habebat enim ea tempestate legionum quadraginta haud inferiores copias) tamen cum classem nullam obtineret, & tempus ad eam praparandam minime sufficeret, illi quingentas naues poßiderent, ne Italiam circumnauigantes fame opprimerent, non ineptè verebatur. Hac igitur animo contemplans, virginibus quampluribus in connubium oblatis, ad Mecænatem misit, vt ex his Scriboniam, qua Libonis Pompeij soceri soror erat connubio sibi adiungeret, vt si conciliatione opus esset, occasionem ad id promptam & paratam obtineret. Id intelligens Libo, ad necessarios & ipse misit, & vt sponsionem eam cùm Cæsare inirent persuasit. Cæsar Antonij familiares & exercitus quos suspectos habuit, occasione assumpta alios aliò dimittere curauit. Et primum quidē Lepidum in Libyam ex decreto sibi traditam

præmisit, sex Antonij legiones suspectiores deducentem. Lucium deinde ad se euocans, ad fratris beneuolentiam adhortatus est, vt si qua Antonij sententia subesset animo eius, proprium illi crimen obiectaret. Exprobrauit illi autem ingratitudinem, qui tanto in honore apud ipsum habitus, nihil de Antonij mente retulisset, qui palàm cum Pompeio conuenisse diceretur. Hæc ego tibi fidens edisseram, inquit. Defuncto Caleno exercitum, prouinciasq́; sub illo positas, ne principatus sui parte fraudaretur, per amicos proprios Antonio disponere curaui: nunc insidijs eius apparentibus, omnia illa mihi subijcere institui, téque ad fratrem si abire cupis, adhibita venia facilè concedo. Sic illum affatus est, siue vt Lucium tentaret, siue vt quæ ab eo dicta essent, ad Antonium deferri cuperet. Lucius vt à principio iterum locutus est. Ego Fuluiam monarchiam esse intelligens, fratris mei exercitibus ad omnium vestrum directionem vsus sum. Quod si nunc ad monarchiæ euersionem accedit frater, clam palámque ad illum proficiscar, pro patria contra te gesturus bellum, quanquam erga me beneficium expertus sim. Sin idem dicit, & cum collegis ad id decernere intendit, tecum pariter in illum assumam arma, quousque te monarchiam constituere nolle intelligam. Hoc enim pro patria semper anteponam, gratia simul,

mul, genereq́; reiectis: sic Lucius retulit. Quem Cæsar ut prius admiratione prosecutus, neutiquam se inuitum & reluctantem ad fratrem missurum esse ait: cæterùm tanti viri fidei Iberiam omnem, exercitúmque in ea existentem, Speduceo & Lucio præturam gerentibus, velle committere. Sic Cæsar Lucium cum honore pariter ac dignitate à se dimisit, ab his qui sub eo militabant, haud apertè custoditum. Fuluiam interea morbo laborantem Antonius in Sicyone dereliquit. Ipse è Corcyra in Ionium classe peruenit, haud ingenti vectus exercitu, nauibus solum ducentis, quas in Asia perfecerat, enauigans. Sentiens deinde Aenobarbum magno exercitu & ingenti classe ad se properare, cùm nonnullis haud satis tutum ex induciarum præmissione videretur (fuerat enim ex his Aenobarbus, qui in causa pro Caij Cæsaris nece habita, in damnatorum numerum relati, vlterius inter proscriptos habebantur, & in Philippis contra Cæsarem & Antonium arma sumpserant) nihilominus nauigare perseuerauit, & nauibus quinque præstantioribus euectus, vt fidem illis præbere videretur, reliquam classem ex interuallo subsequi iussit. Aenobarbo deinde vniuerso exercitu & classe celeri remigio ad eum nauigante, Plancus Antonio proximus, formidine correptus est; & vt cursum contineret, aliquósque

ad

ad Aenobarbum periclitandæ rei causa, Vt ad Virum ambiguum emitteret admonuit. Antonius fœdere recepto, mortem prius subire Velle inquiens, quàm formidine prælata salutem adipisci, nauigare pergit. Iam in conspectum Venerant, & rates præcedentes ex signorum Vexillis apparebant & ad cursum Vt se inuicē adirent hortabantur, cum lictor Antonio ante proram assidens Vt mos fuit, siue quòd ambiguum illum Virum ignoraret, qui tanto exercitu propriòque ad eos nauigaret, siue à generositate animi id expromeret, Vt inferioribus dignitate Viris, signum è naui deponere imperauit: Quod ab illis factum est, nauémque ad Antonij latera nauis appulere: ibi se inuicem dignoscentes complexi sunt. Domitij exercitus Antonium imperatorem appellauit. Quo facto, Vix tunc quidem Plancus fiduciam assumpsit. Antonius Aenobarbo intra nauem propriam recepto, in Paloentam adnauigauit, quo in loco peditatus eius seruabatur. Aenobarbus tabernaculum egressus, Antonio loco cessit: inde ad Brundusium Venere ambo, qui locus à cohortibus Cæsaris custodiebatur. Brundusini Aenobarbo Vt hosti Veteri, Antonio Vt hostem adducenti clausere portas. Antonius animo turbatus, & id lenocinio quodam fieri existimans, re autem Cæsaris mandato prohiberi aditu Vrbis, Isthmum muro pariter

fosß

fossíque vallauit. Est autem ea Vrbs insulæ in modum telluri addita, stagno lunæ in formam circunclusa, ita vt præciso colle, & muro communito, neutiquam ex continenti ad illam ire liceat. Portum igitur Antonius magnitudine amplissima, insulásque in eo existentes crebris custodijs omni ex parte circunsepsit, & ad maritima Italiæ præmittens, ad opportunitatem incitabat omnes. Iussit & Pompeium Italiæ inferre classem, & quæcunque posset bello inuadere. Ille Menodorum magna classe, quatuor legionum instructum apparatu in id bellum misit: qui Sardiniam Cæsari parentem, duásque in ea legiones sibi assumpsit, ob Antonij conspirationem cum Pompeio metu territas. Itaque Sigiuntam in Ausonia Antoniani sibi vendicarunt, Thurios & Consentiam Pompeius obsedit: regionem quoque equitibus attribuit. Cæsar subita aggressione omnibus in locis confestim facta, Agrippam, qui Ausonijs bello laborantibus afferret opem in primis misit. Agrippa ex itinere, qui tellurem ex sorte consecuti erant, ex interuallo sequi iubet, quasi in Pompeium sumpturos arma. Illi ex Antonij sententia hæc fieri intelligentes, clanculum ad propia vertere gradum: quæ res Cæsarem maximè conterruit. Brundusium itaque proficiscens alio comitante exercitu, his ipsis à casu obuiat, admonétque

nétque, & qui ab se in coloniis distributi fuerant, verecundia correptos iterum reuocat, inter se secrete volutantes Antonium Cæsaremque inuicem conciliare velle, vt si non obsequeretur Antonius, ipsi Cæsari ope adsisterent. Cæsar in Canusio per nonnullos dies morbo conflictatus est. Omnino igitur secundum multitudinem Antonio superior, Brundusium adhuc circumuallātes reperit, nec aliud quam prope aßidens castrametabatur, & quæ fierent intentus obseruabat. Cæterùm Antonius munitiora quæque facile adeptus, vtpote qui multo plura tute expugnare posset, exercitum ex Macedonia summa celeritate ad se euocat. Interim circa vesperam naues longas rotundásque clanculum populari multitudine replere statuit, quæ deinde per diem ex interuallo nauigantes atque armatæ cursum caperent, veluti è Macedonia tunc primum redeuntes, vt intuente Cæsare, machinas ab illo destitutas ipse inuaderet, quibus Brundusinos aggredi sperabat, turbato Cæsare, quòd nihil illis præsidij afferre posset. Circa vesperam vtrisque nunciatur Sigiuntum ab Agrippa occupatum fuisse, Pompeianos à Thurijs reiectos, circa Consentiam adhuc habere castra: pro quibus Antonius cōturbatus est. Cum verò Seruilium ducentis supra mille equitibus stipatum ad Cæsarem transisse nunciatum est, Antonius nulla

interp

interposita mora, ab ipsa statim cœna cum amicis, quos paratos reperit, & equitibus ferè quadringentis audacissime prouectus. mille & quingentis circa Hyriam Vrbem quiescentibus celeriter inuehitur, eósque nullo marte sibi asciscit: eadémque die Brundusium iterum redit. Sic Antonium Vt inuictum, belli opinione in Philippis acti, Verebantur omnes. Qua gloria insuper elata prætoria cohortes, quæ cum illo militabant, ad Cæsaris castra per partes proficisci ausa sunt, & cum eo castrametantes conuitiis incessere, quòd ad oppugnandum Antonium Vnà conuenissent, qui eos in Philippis saluos præstitisset. Reclamantibus illis quòd in ipsos pugnaturi potius Venissent, sermones inter astantes coorti, conuitiáque adinuicem obiecta Antoniani exclusionem Brundusij, ac Caleni copiarum surreptionem referebant: Cæsaris milites contrà Brundusij exclusionem, obsidionémque exprobrabant: Ausoniæ præterea excursionem, quódque cum Aenobarbo percussore Caij Cæsaris, ac Pompeio communi hoste iniissent fœdus. Postremo Cæsaris milites qua mente continebant, cæteris aperiunt, quod Cæsarem Videlicet secuti essent, neutiquam immemores Antonij Virtutis, sed conciliationem inter Vtrosque meditati, in Antonium, si abnueret, sumpturi arma: & hæc etiam Antonij Vallo appropinquantes referebant. Dum hæc

hæc inter eos agitantur, subinde Fuluiam decessisse nunciatum est, quæ ex Antonij querelis valetudine correpta, ob eiusdem iram morbum sponte produxisse ferebatur: ægrotantem quippè reliquerat, neque cum relinqueret, adierat. Visum est itaque vtrisque eius mortem in rebus haudquaquam contemnendis permaxime conferre, muliere ambitiosissima è medio sublata, quæ Cleopatræ Zelo tam ingens exsuscitasset bellum. Eius obitum Antonius perfacile perpessus est, vtpote qui mortis suæ causam à se prodijsse sciret. Erat Lucius Cocceius Cæsari & Antonio pariter amicus, & qui superiore æstate cũ Cecinna in Phœniceam à Cæsare legatus Antonium adierat. Is redeunte Cecinna, cum Antonio moram trahens, commoditate tẽporis ad hæc sumpta, se ad Cæsarem iturum, quasi illum inuisurus simulauit: annuente Antonio, idem tentandi gratia, an aliquid ab Cæsarem nunciari velit interrogat, literas eius causa se delaturum esse spõdet. Cui Antonius, quid adinuicem scribemus, inquit, hostes existentes, nisi vt calumnias mutuo loquamur? Has enim per Cecinnam iampridem scripsi: quarum si cupis antigrapha, vltro accipe. quo dicto ridere cœpit. Ad hæc Cocceius Non sinã, inquit, Cæsarẽ hostem dici, qui talem erga Lucium cæterosq́; Antonij amicos se præstiterit. Tum ille, Qui è Brundusio, inquit, me excluserit, nationésque

mi hi

mihi subditas, & exercitum tam ingẽtem sub Caleno eripuerit, hic amicis beneuolus solum tibi apparet. At is non amicos meos saluos esse, sed pro beneficio inimicitiam reddere velle videtur. Cocceius de quibus quereretur intelligens, nihil vlterius acerbitatem eius irritare ausus, ab eo ad Cæsarem transit. Qui cũ illum aspexisset, cur nõ celerius ad eum rediisset admiratus est. non equidem, inquit, fratrẽ tuum, vt inimicus mihi esses, conseruaui? Tum ille, quid hoc, inquit? amicos inimicos vocas, & exercitus illis eripis & prouincias? Ad hæc conuersus Cæsar, non defuncto Caleno inquit, necesse fuit adolescenti filio, absente Antonio, tam ingentes concredere copias, quibus Lucius irritatus desæuiret? Asinius & Aenobarbus propinqui in nos vicissim vterẽtur, ex quo Planci legionẽ summa celeritate, ne ad Pompeium transiret, interceperam: nam equites eorum in Siciliam delati sunt. Ad hæc Cocceius, aliter, inquit, hæc verba referuntur, quibus nec fidẽ adhibuit Antonius, quousq; à Brundusio vt hostis exclusus est. Tum Cæsar nihil huiusmodi se mandasse, aut aduẽtum eius cognouisse ait, neq; cum hostibus eum venturum credidisse, verum Brundusinos ac præfectum eo loco derelictum, ob Aenobarbi excursiones à seipsis Antonium prohibuisse aditu, cum Pompeio communi hoste conspirantem, &

Aenobarbum parentis sui percussorem adducētem, decreto ac iudicio proscriptioneq́ʒ dānatum, & post bellum in Philippis habitum, Brundusij etiam Vrbem obsidentem, Ionium porrò omne in circuitu depradantem, qui insuper naues eius succēdisset, Italiámque Vniuersam excursioni prædaq́ʒ subijceret. Tum Cocceius. Cōuenistis, inquit, cum quibus Velletis fœdera pariter inire, neqʒ cū percussore aliquo fœdus iniјt Antonius, nihil minus quàm tu, parentem tuum in honore ducens. Aenobarbus porrò in percussorum numero nequaquam fuit, neqʒ decretum Vllum in eum ex ira illatum est. Non enim consilij eius particeps fuisse dicitur, neqʒ sic amico Bruto non ignouisse existimamus. Nec profectò Vel modicum preueniremur succensentes omnibus, neqʒ cū Pompeio Vnà depugnare pollicitus est Antonius, sed cum à te oppugnaretur, sociū sibi assumere, aut illum tibi conciliare, nihil intolerabile hucusqʒ peragentem. Tu autem & horū causam tibi assumis. Siquidē per Italiam bellum minimè passurus est Antonius, neqʒ etiā cum his legationes initurus. Hæc quippe de Antonio confido. His auditis Cæsar, Quid Italiam, inquit, nominas? me quidē cum ipsa Manius & Fuluia Luciusq́ʒ bello persecuti sunt: neqʒ Pompeius primum, Verū nunc Antonio confisus maritima inuasit. Ad hæc Cocceius, non

Antonio

Antonio confisus, sed ab Antonio præmissus, Non enim hoc tibi celabo, inquit, ut reliquam Italiam classem nullam cōtinentem ingenti classe percurrat, ni vos in unum cōuene-ritis. Cæsar huiusmodi dicēdi artem haud incuriose audire visus, cum paulum se continuisset, in hunc modum retulit. Sed nec gloriabitur Pompeius nequam malè nunc ex Thuriјs expulsus. Cocceius sermonum ambiguitatem utraq; ex parte intuens, Fuluiæ mortem cœpit recensere, modum quoq; eius retulit, quodq; ob Antoniј iram grauius contraxisset morbum, & ex mæstitia in longū languisset, cum Antonius nec ægram inuisere curasset, & ob id mulierem interiјsse non ambigeret. Ea igitur è medio sublata, nihil inter vos, inquit, necesse arbitror: quàm ut eorum quæ subdubitatis, vera fateamini. In hunc modum Cæsarem leniēs Cocceius, ea die apud illum hospitatus est, & veluti iuniorem maiori natu nonnihil ad Antonium mittere suasit. Ille belligeranti adhuc quicquā scribere velle renuit: non enim illum ad se scripsisse. De matre verò eius palàm sequeri professus est, quòd cum illi generis affinitate iungeretur, præ cæterisque ab se coleretur, diligereturq;, ex Italia fugisset, quasi apud neminem filio excepto diuertere liceret. Hæc quidem Cæsar studiosè machinatus est. & ad Iuliam præmittere curauit. Cocceio egredienti

exercitum, multi ex præfectis & ordinum primoribus exercitus mentem prodidere. Cocceius cum alia multa, tum hæc etiam Antonio referre studuit, ut si Cæsari se minimè coniungeret, milites in eum pugnaturos esse sciret: consuluitque ut Pompeium ab his quæ populabatur, auertens, in Siciliam præmitteret, Aenobarbum etiam aliquò legaret, dum inter utrosque fœdus iniretur. Matre itaque illum adhortante, (nam à Iulijs genus deducebat) rubore motus vereri se dixit, ne succedentibus minimè fœderibus, iterum cum Pompeio societatem inire cogeretur. Non desperante matre ea fore secutura, Cocceio insuper instantius urgente, & ampliorem spem adhuc illi pollicente, Antonius tandem assensus est, Pompeioq; in Siciliam redire persuasit, quasi eorum quæ promisissent consilia initurus: Aenobarbum in Bithyniam, qui prouinciæ illi præesset, delegauit. Hæc exercitibus Cæsaris cum innotuissent, oratores ad utrunq; inter sese decreuere, qui calumnias cõpescerent, quasi non inter illos iudiciũ laturi essent, sed inuicẽ conciliaturi ambos, Cocceiũ à seipsis veluti communem utrisq; amicum eligentes, ex Antonij verò parte Pollionem nominarunt, ex Cæsaris amicis Mecænatem, qui Cæsari & Antonio præteritorum obliuionem primum nunciarent, deinde in futurum beneuolentiam

utrique

vtrique indicerent. Nuperrime autem defuncto Marcello, qui Octauiam Cæsaris sororem matrimonio sibi adiunxerat, ex fœdere æquum statuere Cæsarem Antonio eandem vxorem tradere. Quod celeriter effectum est, séque inuicem imperatores complexi sunt, ac confestim clamores ab vniuerso exercitu, laudationes ad vtrunque nulla intermissione per vniuersam diem noctémque patuerunt. Sic Cæsar & Antonius Romanorum principatum denuo inter se partiti sunt. Terminos verò imperij Codropolim Illyriorum, quæ Ionij finium in medio potissimum sita est, inter se statuerunt, Antonio deinde ab oriente ad Euphratem vsque fluuium desuper populos insulasq́ue subesse: Cæsari quæ ad occidentem pertinerent, vsque ad oceanum parere voluerunt. Lepidum Libyæ præesse ab Cæsare concessum. Cæsari Pompeio inferre bellum, ni vnà conuenirent: iniunctum est, Antonio Parthos adoriri ob cladem præter fœdera Crasso illatam. Aenobarbo easdem cum Cæsare, quæ cum Antonio fuissent, manere sponsiones, exercitum ex Italia vtrunque posse deligere. Hæc nouissima inter Cæsarem & Antonium fœdera fuisse referuntur, ac confestim vnusquisque ad ea quæ celeritate indigebant, amicos præmisere. Ventidium in Asiam Antonius, qui Parthos Labienúmque per ocium Syriam

ad Ionium vsque percurrentes contineret. Quæ verò Labienus Parthique à Ventidio passi sunt, eo libro quem de Parthis scripsimus, priuatim referuntur. Helenum autem Cæsaris prætorem magno impetu Sardos inuadentem, Menodorus Pompeij prætor iterum è Sardis expulit. Qua ex re maximè conturbatus Cæsar, Antonij suasiones, qui Pompeium sibi conciliare cuperet, contempsit vltro. Romam deinde reuersi ambo, nuptias solenni more celebrarunt. & Manium quidem Antonius, vtpote qui Fuluiam ad bellum iritasset, ad Cleopatræ calumniam neci tradidit, tantorum malorum causam afferentem. Saluidenum insuper perfidiæ apud Cæsarem accusauit, quòd defectionem priuatim cogitasset, cum exercitum eius circa Rhodanum deduceret, sibiq; ad Brundusium castra habenti per nuncios id ipsum intimare curauisset. Hæc igitur ab Antonio peracta, non omnium tamen iudicio comprobata sunt, ob naturam eius subitam, nimisque procliuem ad beneuolentiam. Saluidenum igitur Cæsar summa celeritate, quasi eo solo opus esset, ad se reuocauit, extemplóque ad exercitum remissum, cum denuo reuerteretur, conuitijs prius impetitum confodi iussit. Exercitum quoque sub eo existentem veluti suspectum Antonio tradidit. Inter hæc fames asperius inuasit vrbem, nullis ab

lis ab oriente negotiatoribus, ob Pompeij timorem, Siciliaq́; adiacentis, maria adnauigantibus, neque ab occidente ob Sardiniam & Corsicam, quas idem obtinebat, neq; ex superioribus Libyæ, ratibus eius vtraq; ex parte maria infestantibus. Quamobrem vniuersa calumnijs referta erant, causaq́; vel præcipua ad contentionis duces referebantur, quos subinde increpabant, & ad conciliationē cum Pompeio ineundam incitabant. Cæsare nec sic quidem conciliationem admittente, Antonius vt bellum in eum acceleraret, ob famem hortabatur. Obstante pecuniarum inopia, descriptio in publicum prolata est, eos videlicet qui seruos possiderēt quinq; & viginti drachmarum pretio, dimidium pro quolibet ad onera conferre oportere, quod alias bello in Cassium & Brutū gesto factum videbatur. Conferre insuper & sortem qui ex testamentis fructum suscepissent, Hanc descriptionem furibundo impetu turbatus populus statim lacerauit, questus eos qui æraria publica olim exhausissent, prouincias præda subiecissent, Italiam ipsam tributis, vectigalibus, & bonorum publicatione oppressissent, non in bellis ex acquisitis imperare posse; sed in proprios hostes ob domesticas solum grassari dignitates, quorum causa proscriptiones & occisiones famésque ex omni dolorum genere emersissent,

& adhuc residua inter se partiri cuperent. Instantes itaque clamabant, & eos qui minimè vnà insurgerent, reÿciebant à se, eorumq́ domos diripere, ac igni subÿcere velle minabantur. Dum igitur multitudo omnis tumultu fluctuat, Cæsar cum quibusdam ex amicorum numero, & scutiferis paucis comitatus in medium venit, eos alloqui, & querelam huiusmodi ab his inquirere affectans. Illi quamprimum in conspectum venientem fœde repulere, & nec se sustinentem aut offerentem amplius, vulneribus quibusdam impetitum irrisere. Quæ cum ad Antonium relata essent, vt illi opem afferret properabat. Per sacram igitur viam descendentem non vtique expulere ciues, veluti ad Pompeÿ conciliationem inclinantem, verùm reuerti suaserũt: quibus cum minimè pareret, repulerunt. At ille armatos quamplures extra murum considentes ad se aduocat non permittentibus illis, milites inter se diuisi per transuersa itinerum foriq́ vertuntur, obuios quosque cadentes. Sed nec facilis illis euadendi exitus, cum à multitudine oppreßi locum fugæ haudquaquam inuenirẽt. Cædes igitur immensa oritur, plagæ vndiq́, et ab tectis vlulatus vocésque strepebant: ita vt Antonio vix subterfugiendi pateret iter: qui tamen Cæsarem ab instanti tunc quidem periculo absoluit, & intra domus penetralia, tutum

tum

tum reddidit. Fugiente multitudine: ne reliquos aspectus rei conturbaret, iacentia passim cadauera in Tybrim iaciebāt, ac subinde aliorum insurgebat fletus, corpora à fluuio delata contemplantium, circunsidentibus ea militibus, maleficisq́ue. Quæ enim honesta erant, vt domestica facilius ferre poterant. Verùm hæc tandem non sine imperatorum odio ac timore consopita sunt. Interim fames dietim augebatur, & populus nil præterquam quiescens suspiria emittebat. Antonius Libonis necessariis, vt eundem ex Sicilia accerserent, veluti magnum quippiam acturum, ex generi consensu suadebat: Liboni quippe se securitatem abunde præstiturum. quod ab illis summa celeritate effectum est. Pompeius quoque Liboni assensum præstitit. Progressus igitur Libo ad insulam quam Enariam vocant, in anchoris constitit. Id intelligens populus, iterum in vnum conuenit, multisq́ue fletibus Cæsarem deprecatus est, vt Liboni ad eum pro pace venienti fidem securitatémque præmitteret. Itaque Cæsar quanquam inuitus tandem annuit. Populus insuper Mutiam Pompeij matrem, ignem comminatus ni filium conciliaret, vnà misit. Libo igitur hostibus ad id inclinantibus, duces vt ad se venirent adhortatus est, quasi inuicem concessuros quæ illis viderentur. Impellente itaque per vim populo,

Cæsar & Antonius Baias vsque progreßi sunt. Pompeio intereà vt pacem iniret alij omnes sine vlla dubitatione suadebant. Menodorus solus è Sardis præmittens, vt vel bellum prosequeretur, vel pacem vlterius differret, quasi fame pro ipso depugnante, & fœderibus cum placitum esset, in melius illi longè successuris, hortabatur. Quibus cum Murcus aduersaretur, Pompeius eundem tacite custodiri iußit, quasi imperium sibi asciscere quærentem. Iam enim anteà cum ob dignitatem atq; interiorē eius mentē grauiter perferret; tum vel maximè ob hæc ipsa aspernari videbatur, nec vlla in re colloquium cum illo inibat. Murcus ob hæc conturbatus, Syracusas conceßit, ibi nonnullos ex custodibus se subsequentes contemplatus, apertè de illo conquestus est. Pompeius ductore turmæ, ac Tribuno eius prius interfectis, qui Murcum etiam occiderent instruxit: feruntq; illum à seruis quibusdam interfectum esse, quos Pompeius ad tegendum scelus crucibus affigi iußit. Non latuit tamen id odium in Bithynicum secundo exercens, erga hominem bello inclytum, & qui à principio ob beneuolentiam partes eius secutus fuerat, in Iberia benefactorē quondam suum, & ad illum sponte profectum in Siciliā. Murcus igitur in hunc modū perijt. Cæteris deinde Pompeium ad conciliationem

impel

impellentibus; & Menodorum vt regni cupidum palàm arguentibus, qui non heri sui beneuolentia potius quàm vt exercitum prouinciámque adipisceretur, his obstaret, assentiēs Pompeius, multis nauibus ac sexremibus inclytis Enariam enauigauit: indéq; Dicaearchiam circa vesperam, insigni pompa & apparatu, inspectantibus hostibus cursum tenuit. Orta luce, modico interuallo lignis per transuersum intra mare fixis, asseres apposuere, per quas inferius additis stramentis, Caesar & Antonius ad ea quae telluri propiora erant applicuere. Pompeius autem & Libo ad id vsque quod adnauigari poterat, modico subeunte salo, ne adinuicem clamantes audirentur, firmauere ratem. Cum Pompeius se ad principatus communionem Lepidi loco admitti posceret, illis reditum in patriam duntaxat polliceri dicerent, nullo confecto negocio ab inuicem digressi sunt. Legationes deinde amicorum crebra hinc inde volitabant, varijs petitionibus ab vtrisque emergentibus. Petebat Pompeius vt proscriptis & Caij Caesaris percussoribus, qui secum vnà conuenissent, fuga sine dolo pateret: caeteris reditus in vrbe praeberetur. Substantia insuper quam perdidissent, restitutio illis fieret. Accelerantes itaque ad conciliationem, partim à fame, partim à populo coacti, vix hoc quartum

tam

tandem annuere, vt à possidentibus emerent. & hæc proscriptis subinde annuntiarunt, sperantes hæc ipsis abunde suffectura. At illi iam Pompeium ob Murci odium nonnihil formidantes, omnia hæc vltro suscepere, et ad Pompeium profecti, vt fœdera iniret, suadebant. Ob hæc Pompeium vestem discidisse aiunt quasi ab illis proderetur: quorum causa Menodorum pugnare, & vt prætorium virum solúmque beneuolum crebrò conclamare cœpit. Demum matre Mutia, ac Iulia Antonij matre compellentibus, iterum hi tres viri in circunclusum vndique & veterem conuenere aggerem, & custodiarijs nauibus appositis in hæc conspirauere fœdera. Bellum inter eos terra marique dissoluere. negotiatores omni in loco libere commeare posse: Pompeium custodias quascunque in Italia haberet, subitò educere: Seruos ad se fugientes non admittere, neque nauibus Italiæ oram vlterius percurrere, Sardiniæ, Siciliæ, Corsicæ'que imperare, alijsq; quas tunc contineret insulis, cæteris Antonio Cæsaréque præsidentibus: Romanis præterea ex longo cumulati, vt illis mitteretur curam suscipere frumenti, Peloponnesum vltra hæc sibi assumere: Absentem per amicum quem eligeret consulatum administrare, & pontificem inter sacerdotes nominari posse. hæc Pompeio concessa. Illustrioribus præter hæc

redi

reditus in Vrbem datus, nisi si quis ob necem C. Cæsaris decreto aut iudicio damnatus exularet. Substantiam cæteris qui ex timore profugissent, reddendam censuere, & quæ existentia illis vi sublata essent, nauigantibus exceptis in integrum restitui debere. Proscriptis, & his qui cum Pompeio militassent, quartam partem adscribendam fore: Seruos liberos esse: Liberis cum à militia cessassent, eadem quæ Cæsaris & Antonij militibus concessa fuerant, præmia esse tribuenda. His itaque inter se conuenere, eáque conscripta, & signis proprijs munita sacris Virginibus custodienda misere Romam. Post hæc sortito adinuicem ordine inter se hospitati sunt. Primus in sexremi Pompeius, quæ ad aggerem proxima constiterat, cæteros ad cœnam inuitauit, deinde Antonius ac Cæsar, tabernaculo super aggerem apposito, & veluti ad occasionem omnes in littore conuiuium egerunt, & fortasse ad securitatem nulla suspicione addita: quanquam nec sic quidem negligenter se habuere, verùm naues ad eos accesserunt, custodésque circunquaque perstitere. Et hi ensibus pariter accincti clanculum ad cœnam assederunt. Ferunt Menodorum illis in naui considentibus, ad Pompeium nuncium misisse, qui ad hos viros animum conuertere, & parentis fratrisq; supplicia pariter vlcisci, Imperiúmque pater-

num

num ex tam subita occasione vendicare illum admoneret. se etenim ita nauibus prouisurum esse, vt nemo posset euadere. Cui Pompeium quæ genere eius & necessitate digna essent, his verbis respondisse aiunt. Menodoro sine me hoc facere profecto licet, cui peierare fas est: Pompeio verò non vtique, Despondere præterea hoc conuiuio Pompeij filiam, Libonis neptem, Marcello Antonij primogenito, Cæsaris consobrino. Postridie consules in quadriennium Antonium ac Libonem primos creauere, contrà constituente Antonio quem prius ipse eligeret. Post eos Cæsarem & Pompeium, deinde Aenobarbum & Sosium, postremò iterum Antonium, & Cæsarem tertio tunc futurum consulem, sperantes eundem Rempub. populo subinde restituturum fore. Hisque peractis abinuicem diuisi sunt. Pompeius nempe in Siciliam enauigauit, Cæsar & Antonius Romam rediere. Quæ intelligentes Romani, vniuersaq; Italia, laudes passim concinebant, quasi ex gentili bello ad pacem aspirantes, filiorum direptione, custodiarum contumelia, seruorum fuga, agrorum populatione, denique agricultura vacatione, ac famis ad extremum ipsos opprimentis clade liberati. Sic proficiscentibus ipsis, veluti saluatoribus publicis vbique sacrificia fiebant: & in vrbem venientibus, summo splendore & apparatu

obui

obuiam progredi statuerant, nisi quòd pompam euitantes illi, clam noctu Romam ingressi sunt. Soli animo angebantur, qui agros sub Pompeio distributos alijs, ipsi ex sorte datos sibi assumpserant. Nam eandem tellurem simul vendicantes, vt implacabiles hostes affuturos, seque cum licuisset inuasuros formidabant. At qui circa Pompeium moram duxerant, maiori ex parte Dicaarchiam profecti, illúmque complectentes, ac gratulantes, Romam nauigarunt. Quo facto, reliqua multitudo omnis exultabat, voces varia cum lætitia & gaudio resonabant vndique, tot præclaris viris tam insperatæ saluti redditis. Post hæc Cæsar ad Celtas tumultu concitos profectus est. Antonius ad Parthorum bellum iter cæpit, ac Senatu, quæcunque fecisset, aut acturus esset, ex decreto comprobante, iterum duces suos ad varias orbis partes delegauit, & quæcunque alia animo conceperat, effecit. Instituit & reges, quos ipse comprobasset, tributis ex ordine descriptis, Ponti Darium Pharnacem, Mithridatis filium, Idumæorum & Samareorum Herodem, Pisidorum Amyntam, partis Ciliciæ Polemonem, aliósque alijs nationibus præesse voluit. Exercitum verò quem secum in hybernis habere decreuerat, ex abundanti ornare & exercere constituens, partim ad Parthianos misit, gentem Illyriam, Epidamni

damni quondam incolam, cuius opera Brutus in bello promptissimè vsus fuerat: partim in Dardanos aliam Illyriorum gentem, continuè Macedonibus bello infensam: reliquum in Epiro quacunque in circuitu patet, manere iussit. Ipse hyemem Athenis peracturus, Furnium in Libyam ire monuit, legiones quatuor quæ à Sestio tenebantur, in Parthos deducturum, neutiquam satis fisus Lepidum eas Sestio adempturum esse. His hunc in modum constitutis, hyemem Athenis cum Octauia vxore egit, quemadmodum in Alexandria cum Cleopatra prius egerat. Quæ enim ab exercitibus missa fuerant, solum detulere. Ipse simplicitate quadam priuati cultus, principantis loco vsus est. nam veste quadrangula, calceamento Attico vtebatur. Ante fores solitudo & quies, & egressus eius pari modo seruabantur, nullis præcedentibus signis, duobus solum amicis comitatus, subsequentibus totidem seruis ad præceptorum contubernia aut recitationes ferebatur. Conuiuium Græcorum more instruebat. cum Græcis quoque hyemem vnà transigebat, festiuitates & solennia cum cantu vicissim celebrans, assistēte Octauia, cui plurimum obsequebatur, vtpote ad muliebres lasciuias procliuis & subitus. Finiente hyeme, quasi alius effectus esset, iterum immutata veste, aspectum quoque variabat. nam signorū ra-

ptim

ptim multitudo ducum armatorúmque fores eius obsidebat, vniuersa strepitu pauoreq; resonabant. Legationes à principio silere iussæ, tunc primum admittebantur, discernebantur & causæ, naues attrahebantur, & omnis alius apparatus simul mouebatur, & Antonius ad omnia præsens ventitabat. Cæsari interim à Pompeio fœdera prius inita dissolui visa sunt, aliјs vt existimant ex causis. quas autem Cæsar palàm referebat, huiusmodi fuere. Peloponnesum Pompeio Antonius tradiderat, poscens vt quæ sibi Peloponnesij deberent, ipse traderet, vel se suscipiente prouinciam, redditionem ipse assumeret, aut actio eorum in integrum maneret. At ille prouinciam super his minimè suscepisse aiebat, ratus cum debitoribus vnà adscriptam esse. Turbatus itaque vel eorum causa, vt Cæsar asserebat, vel quòd mente minus fideret, aut eorum zelo qui exercitus maiores continerent excandesceret, aut à Menodoro irritatus, qui inducias potius quàm firma fœdera iniјsse illum diceret: naues denuo alias, remigésque in vnum comparabat, & ad exercitum oratione habita, omnino se apparare ob hac necesse esse prædicabat. Deprædatores igitur clam denuo maria omnia infestabant, parúmq; aberat, Romanos à prima famis clade perurgeri, sic vt palàm conclamarent, non ob malorum liberationem, sed ob quarti tyranni

susceptionem, fœdera inter eos inita esse. Cæsar nonnullas à piratis naues assecutus, nautas supplicio affecit, qui cum se à Pompeio missos dicerent, rem populo vt acta erat notam fecit, & ad Pompeium ipsum misit. Ille pro his verba reddidit, deinde Peloponnesi gratia contrà postulauit. Quicunque igitur ex illustribus cum illo aderant, libertis assiduè parentem intuentes, quosdam ex his interemere, siue à seipsis meditati, siue Cæsaris gratia vt in Menodorum irritarent, quasi dominū in seruum adhortantes. Quidam etiam Menodori potentiæ aduersi, libenter id agebant. & Pompeius ad contentionem cum Menodoro continuè agebatur. Hisdem diebus Philadelphus Cæsaris libertus ad Menodorum frumenti conuectandi causa nauigauit, qui Menodoro fidissimus, etiam de pugna eius ad Cæsarem agitare cœpit, pollicitus Sardiniam Corsicamque cum tribus legionibus illi tradere, amicorum quoque multitudinem aliam adijcere. Quod opus siue Philadelphi, siue Menodori causa processisset, ob calumnias ad Pompeium antea delatas, Cæsar confestim non admisit, meditatus pacem re & opere quamprimum soluere. Itaque Antonium ex Athenis Brundusium ad definitam diem euocauit, cum eodem de bello consilia initurus. Naues longas ex Rauennis, & exercitum ex Celtis

tis apparatúmque alium Brundusium & Dicæarchiam summa celeritate accedere mandauit, omni ex parte, si Antonio placeret, Siciliam Pompeiúmque inuasurus. Et ille quidem ad definitam diē cum modicis applicuit. Non inuento autem Cæsare inde discessit, vel quòd belli sententiam contra fœdera assumpti minimè probaret, vel quòd apparatum Cæsaris ut ingentem contemplatus formidaret. non enim suspicio ineūdi principatus ex animo eius penitus excesserat, vel signis terrefactus id egisset. Nam ex custodibus ad tabernaculū eius excubantibus, vnus à feris laceratus inuentus est, facie adempta, quasi ad indicium auferendum, cum neque vocem emittere, nec à quoquam cum eo quiescentium audiri potuisset: & lupum circa auroram è tabernaculo eius fugientem Brundusini se vidisse dicerent. Ad Cæsarem tamen scripsit, ne quæ inter eos composita fuerant, dissolueret. Menodoro quoque, ne abiret, vt seruo eius fugitiuo comminatus est. Fuerat enim Pompeij magni seruus, cuius substantiam Antonius vt hostis ex lege venundatam ad hastam emerat. Cæsar tamen nonnullos in Sardiniam & Corsicam misit, sumpturos quæ Menodorus illi tradidisset. Iam enim Italiæ maritima omnia custodijs multis occuparat, ne Pompeius iterum illa inuaderet. Ad hæc triremes alias

Romæ, alias Rauennis commorari iußit, & exercitum plurimum ex Illyrio accersiuit. Menodorum ad se profectum liberum confestim ex liberto declarauit, & his quas adduxisset nauibus præesse noluit, sub Caluisio prætore classem deducentem. Hæc constituens Cæsar, & apparatum ampliorem in vnum colligens, bellum differebat, questus Antonium neutiquam absentem opperiri voluisse. Apparatum autem omnem cum in vnum contulisset, Cornificium ex Rauennis celerrimè Tarantum adducere imperat. Eo classem deducente ingens tempestas subitò exoritur, & ex omni classe nauis quæ Cæsari parata aderat, mari obruitur. quæ res futuram calamitatem significare videbatur. Inualescente dietim suspicione quasi præter fœdus id bellum iniretur, Cæsar quò suspicionem in populo dilueret, ad vrbem misit. Ipse etiam exercitum edocuit, Pompeium, quòd mare latrocinijs inuaderet, fœdera inter eos icta dissoluisse: idque piratas sibi retulisse. Menodorum præterea interiorem eius mentem prodidisse referebat, idque intelligere Antonium: ob eamque causam Peloponnesum, vt ad inuadendam Siciliam pernecessariam sibi retinuisse prouinciam. Ipse ex Taranto, Caluisius autem ex Sabinis, & Menodorus ex Tyrrhenia confestim deduxere. peditatum quoque omnem

Rhe

Rhegium accelerare iubet. Vniuersa denique summa diligentia solicitudinéque parabat. Inter hæc Pompeius Menodorum ad Cæsarem transfugisse eo iam adnauigante audiens, vt vtrinque ad classem paratior adesset, in Messana Cæsarem opperiri statuit. Caluisio insuper & Menodoro inimicissimum, sed præcipue Menodoro ex libertis eius Menecratem vniuersæ classis præsidem instituit. Menecrates circa vesperam inclinante iam sole in conspectu hostium ex alto apparuit. Illi in sinum supra Cumas fuga deferuntur, ibique per noctem quieti persliterunt: Menecrates Enariam versus iter arripit. At illi oriente luce sinum circa littus submissiori classe enauigare pergunt, ne hostes cum ad locum se conferrent: ac repente Menecrates iterum in conspectu illis affuit, magnáque vi ac celeritate ad illos propius accessit. Nihil igitur operæ pretium in hostes longe à pelago diuisos se conari posse existimans, ad prærupta eos compulit. Illi igitur trudebantur simul, & ex nauium rostris in eos decertabant. Erat hostibus redeundi inuadendique ad libitum facultas, & aliarum nauium commutatio per vices. Ipsi verò ex petris duntaxat & præruptis insurgebant. Cúmque naues conuertere non possent, quasi è terra ad eos qui in mari erant depugnabant, neque declinare ho-

stes neque insequi potentes. Inter hæc Menodorus ac Menecrates se mutuò intuentes, omni alio postposito labore, cum ira & acclamatione quam promptissime inter se naues concitant, in eo victoriam & belli caput consistere arbitrati, qui alterum prælio primus superasset. Naues igitur magno impetu ab vtrisque concitæ, se inuicem concussere ambæ: & hæc quidem nauis quæ Menedorum vehebat, rostrum perculit atque confregit: altera verò Menecratis gubernaculum prorsus euertit. Deinde manicis inter se complexi ferreis, neutiquã nauali opera indigebant, vtraque ad bellum firma persistente. Viri igitur veluti è terra nihil laboris aut virtutis omisere, tela crebra, sagittas, lapidésque emittentes. Cataractas ad hæc proiecere è nauibus, per vim inscensuri. Menodori itaque naue eminente altius, cataractæ ad imum pronæ, faciliorem audacibus ad inscendendum præbebant aditum, & quæ projiciebantur, vtpote ex alio, vehementiore ferebatur impetu. Occumbentibus plurimis, cum reliqui vulneribus affecti minus acriter pugnarent, Menodoro brachium sagitta traiectum est, telúmque subinde euulsum. At verò Menecrates cum iaculo ad Iberorum formam multis hamis ferreis inserto, femur saucius, subitò telum educere non posset, & ob id bello inutilis existeret, reliquos ad pugnam hortaturus

turus constitit. Postremo intercepta naue, seipsum mari iniecit. Nauis à Menodoro vinculis iniecta ad terram delata est, cum & ille nihil agere vlterius aut conari posset. Sic in læuo classis cornu hunc in modum pugnatum est. Ex dextro autem Caluisius ad sinistrum sponte adnauigans, nonnullas Menecratis naues fregit, fugientésque in Peloponnesum insecutus est. Demochares Menecratis conlibertus, ac sub eo tunc quidem præturam gerens, reliquas Caluisij naues aggressus, partem in fugam vertit, partem ad petras compulit, virisque ab his expulsis naues incendit: donec Caluisius ab insecutione se conuertens, fugientes retinuit, ignémque à cæteris inhibuit: ac nocte insurgente omnes eo loco quo pridie morati sunt. Sic nauale bellum inter vtrosque finitum est, in quo Pompeij classis longe superare visa. Demochares autem Menecratis necem non secus ac belli cladem ægrè perferens (duo quippe hi maritimis in rebus Pompeio perutiles in primis habebantur, Menecrates & Menedorus) omißis omnibus ex acie in Siciliam transiuit, veluti Menecratis corpore cum vnica duntaxat naui, non autem vniuersa Pompeij classe in discrimine periculóque destituta. Caluisius quo ad Demochares adnauigaret operiens, eodem loco quo insederat moratus est, haudquaquam prælio decertare ausus, nauibus quæ potiores

fuerant, in bello amißis, reliquis verò ad ineundam pugnam prorſus inutilibus. Sed dum in Siciliam curſum mouere intelligit, paratis nauibus & ipſe littus enauigare cœpit, vt ſinum derelinqueret, interea Cæſar multis nauibus ingentique exercitu ex Taranto Rhegium applicuit, vt Pompeium circa Meſſanam quadraginta ferè naues continentem inopine inuaderet. Id enim amici eius vel imprimis ſuadebant, vt ex tempore tanto ſtipatus apparatu modica adhuc claſſe circunſepto priuſquam reliqua aduenirent ſubitus occurreret. Quibus ille Caluiſium operiri ſtatuens, neutiquam aſſenſus eſt: præfatus non vtile conſilium id eſſe, quod periculis obijceret: eóque modo auxilia ſuorum intentus expectabat. Demochare in Meſſanam delato, Pompeius Apollophanem, & hunc quidem libertum eius, Menodori & Menecratis loco vnà cum Demochare claßi præeſſe voluit. Cæſar eorum quæ circa Cumas geſta erant certior factus, Pontum adnauigare pergit, vt Caluiſio obuiam prodiret, qui per Porum vt plurimum ad illum aduentabat, & iam ad Stylida delatus, Siciliam verſus moturus videbatur. Pompeius ex Meſſana decurrens: poſtrema claßis aggreſſus eſt, antecedentes quoque naues inſecutus, mox omnibus inuectus, in pugnam prouocabat. Illi quãquam ab eo vexarentur, minimè tamen ſe ad pugnã

conu

conuertere, non permittente Cæsare, siue quòd in arcto bellum detrectaret, siue quòd à principio instituerat venturos operiri, nec sine Caluisio bellum inire cuperet. Tandem ex eius sententia omnes ad littus concessere, ibique in anchoris firmauere rates, ac simul à prora irruentes repellebant. Demochare duas ad quancunque earum naues opponente, tumultu concitæ aliæ ad petras deferuntur. Ibique per inertiam, vt apud Cumas prius euenit, vndis assurgentibus impleri, collidique cæperunt hostibus nunc ab insultu, nonnunquam ab regressu eas eludentibus, repellentibusq́; . Nec longe periculum aberat, cum Cæsar naue egressus ad petras ex alto se proripuit, & à pelago enatantes ad sese recepit: ad montes quoque superius ire monuit. Cornificius verò & quicunque alij prætores aderant, se mutuò adhortantes, nullo mandante, naues anchoris exoluunt, & in hostes celeri cursu feruntur, vtilius arbitrati aliquid potius agẽtes perpeti, quàm per inertiam nullo prælio ab illis opprimi. Singulari itaque audacia fretus Cornificius prætoris nauem primo impetu inuadit, intercipitque: qua ex causa Demochares in aliam subitò desiluit. Labore igitur & cæde hunc in modum succrescentibus, Caluisius & Menodorus à longe nauigantes conspecti sunt: non tamen à Cæsaris militibus è terra aut mari videri poterant. Cæte-

rùm Pompeij naues liberiore pelago excetæ, eos aspexere: quibus visis retrocedere cœperunt. Iam enim nox imminebat, nec defessos recentibus opponere audebant. Horum aduentus reliquis ex priori inutilitate commoditatem attulit. Increbrescente quippe nocte nauibus egressi, ad montes confugerunt, ignibúsque passim incensis, cæteris nauigantium aduentus signa prodiderunt. Eodem igitur sine cibo & obsequio vllo omnium indigi per noctem traxere moram: quos Cæsar simili modo affectus, & hincinde discurrens solabatur, & vt ad lucem vsque perferrent suadebat. Laborante itaque inter milites Cæsare atque sustinente, cum Caluisius nondum adesse cerneretur, neque ex nauibus quicquam vtile sperari posset, illo ad tempestatem enitente atque occupato, fortunæ benignitate quadam tertiadecima legio ad montes propius accessit, extemplóque milites intellecta clade per aspera quæque ex ignibus iter arbitrati, capere cursum. Eo loci imperatorem cæterósque cum illo fugientes conspicati, labore faméque confectos alij alios suscipientes conseruarunt. Ad hæc primores ordinum Cæsarem ad eorum tabernacula ducentes, cum nemo ex seruis, vt in nocte tumultúque turbatis atque diuisis superesset, consolati sunt. Dum igitur varia ad loca qui se saluum esse dicerent emittit, Caluisius cum

nauibus adesse nunciatur. Sic duplici & insperato fortunæ euentu recreatus paulum conquieuit. Orta quamprimum luce, ad maria visum dirigit, ac naues igne succensas flagrantésque intuetur, nonnullas semiadustas, & adhuc ignem sustinentes, quasdam derelictas: velis ad hæc, gubernaculis vasisq; passim repletum mare. Ex his verò quæ integræ mansissent, nonnullas maiore ex parte laborantes. Caluisium itaque in aciem constituens, rates quæ celeriores aderant, in transuersum obiecit hostibus, quiescentibus illis, siue ob Caluisij aduentum, siue quòd insurgentes aggredi pararent. Sic vtrisque classem continentibus, circa meridiem Notus creber paulatim surgens, inter angusta ac mari peruia vndas ingentes extulit. Pompeius intra Messanæ portus classem continebat. Cæsaris naues inter prærupta littorum & importuosa quæque per vim compulsæ, mutuò ad petras trudebantur, ponderibus minus integrè illas continentibus. Menodorus tempestate quamprimum orta, vtilius fore arbitratus ad interiora pelagi sese contulit, ibique in anchoris classem sistit, leuiores ob profunditatem sustinens vndarum motus: remigium præterea erexit, ne ab impetu ferretur: quē aliqui vicissim imitati sunt. Reliqua autem multitudo dum ventorum motum, vt in vere, cito inclinaturū putat, naues anchoris

vtra

Vtraque ex parte à pelago pariter terráque firmauit, ratésque inter se fluctuantes contis adinuicem propellere cœpit. Vehementiore deinde insurgente vento, omnia in vnum cōfusa sunt, nauesque ab anchoris excussæ, passim conteruntur, & ad terram delatæ ad littus colliduntur. Clamor itaque confusus oritur ab his qui trepidabant, simulque querebantur, & se inuicem inter tumultum inuocabant. Non enim voces discerni poterant, furente vento: nec gubernator à remige quicquam differebat aut peritia artis, aut imperio, sed confusio inter omnes par erat, siue intra naues, siue cum quis ab illis excidisset, vndis, æstu, lignisq; propellentibus. mare autem velis, remis, viris, cadaueribusq; inundabat. Si verò quis effugiens ad littus enataret, vel ad terram illidebatur, vel ad petras impellente vnda trudebatur. At cum mare scinderetur, quod circa littus plerunque euenit, insuetos nouitas rei conturbabat, & rates tum vel maximè circumlatæ in vnum ferebantur, conterebantúrque. Ventus quoque vt in nocte difficilior erat ad ferendum, cum non in luce vlterius, sed in tenebris obruerentur vndis. Fletus igitur per vniuersam noctem resonabant. Necessariorum porrò inuocationes per littus discurrentium, & qui in mari erant nominatim appellantium opplerant aures. Vlulatus ad hæc & gemitus, cum quos inuocarent,

rent,

rent, veluti defunctos nullis exhibitis vocibus lugerent. Contrà eorum quos per pelagus unda inuoluerat, & in littore existentes ad opem conclamabant, audiebatur fletus. Admirabilis quædam malorum facies utrisque inerat. Nō enim mare duntaxat his qui in ipsum desilierant, aut naues inscenderant, terrorem afferebat, verùm fluctibus longe periculosior imminebat tellus, ne incumbens illis unda inter saxa petrásque collideret. Nouis itaque modis inter æstus vexabantur, telluri proximi, nec illam ingredi, nec ab illa in pelagus demum regredi, aut in medio consistere potentes. Nempe angustia locorum, & natura inaccessi littoris, & incumbens unda ventúsque ab astantibus aspirans montibus, & in procellas variè confractus, profundi quoque maris separatio in utranque partem prouoluta & exæstuans, neque manendi illis, neque fugiendi præbebat aditum. Tenebræ ad hæc intensæ, nocte potissimum obscura turbarant omnia, ut se minimè intuentes morerentur, quidam conturbati & clamantes, alij taciti casum sustinentes. Erant qui se inuicem conficerent, quasi omni salute desperata. Instante huiusmodi clade, omni animaduersione longe maiore atque grauiore, ita ut fortuitorum quoque spem ex animis adimeret, subitò illucescere, & ventus paulatim dissolui visus, &

heb-

hebescere, & cum sole penitus extingui. & subinde vento undique cessante, vix in lignum tamen sheimentia quieuere aequora, ut tam ingentis tempestatis motus incolae earum partium haud unquam se meminisse dicerent. Haec igitur consuetudine & opinione amplior, maiorem Caesaris nauium virorumq; contriuit partem: cum etiam bello quod superiore die gestum fuit, plures amisisset. His ergo duobus fortuitis inuicem conflictatus casibus, ad Hipponium eadem nocte per montes summa celeritate perrexit, tantae rei cladem haud intuens sustinens, cui nihil praesidij ferre poterat. Ad amicos etiam ac praetores misit, ut omnes parati assisterent, ne qua aliunde, ut in aduersis subita calamitas insurgeret. Misit & pedites ad uniuersa Italiae littora, ne ob recentem casum aliquid è terra moliretur Pompeius. At ille nihil tale meditatus, non ad praesentis classis reliquias, abeuntis've, instante adhuc tempestate quicquam molitus est. sed scaphas ex his quae poterant adhuc annectentes, & vento ad Hipponium ultro nauigantes aggredi neglexit: siue quòd cladem illam abunde sibi sufficere putaret, siue ad consequendam victoriam esset inexpertus, siue ut à nobis alibi scriptum est, ad aggrediendum mollis foret & ignauus, ac solum insurgentes repellere contentus. Caesari ne dimidium quidem classis ea

ex

ex tempestate superfuisse creditum est, & id quoque difficultate summa ac labore. Derelictis igitur nonnullis ad eius curam, turbatus animo Campaniam versus iter arripit. Non enim alias naues continebat, multarum indigus, neque ad fabricandum tempus aderat incumbente fame, populo quoque pro ineunda pace plurimum instante, bellúmque veluti aduersus fœdera susceptum improbante. Pecuniarum quoque distinebatur inopia, Romanis nihil conferentibus, neque tributa quæ meditatus erat, sustinentibus, promptis tamen ad ea quæ vtilia erant, exequenda. Mecœnatem ad Antonium destinat, vt de quibus nuperrime inter se questi erant, rationem redderet, eúmque in societatem simul aduocaret. Cui si minus paruisset ille, armatos onerarijs nauibus in Siciliam præmittere statuerat, & omisso pelago, per terram inceptare bellum. Dum his curis angeretur Cæsar, Antonium cum eo ad belli societatem conuenisse intelligit, victoriam quoque è Celtis qui Aquitani dicuntur, ab Agrippa perillustrem in bello habitam. Protinus itaque amici eius ac ciuitatum nonnullæ naues illi pollicitæ sunt, simúlque præstiterunt. Deposita igitur solicitudine omni, apparatum priore longe splendidiorem raptim congregauit. Incipiente vere, Antonius ex Athenis tre-

centas

centarum nauium classe comitatus Tarantum peruenit, Cæsari auxilium allaturus, vt promiserat. At ille conuersa mente, nauibus iam fabricatis suos intulit. Vocatus denuò quasi sufficientibus his quæ Antonio aderant, & vicissim apparatis, alias occupationes protulit, vt iam clarum esset illum cum Antonio in contentionem venturum, aut societatem eius ob necessariorum copiam haud multifacturum esse. Antonius quanquam animo turbatus, tamen persistit, ac iterum in societatem eundem vocare perseuerauit. Nam præbitione nautica desessus, cum exercitu Italo in Parthos indigeret, naues cum Cæsare permutare constituerat, cum ex fœdere sancitum esset vtrunque ex Italia copias posse deligere. Sed cum difficile ipsis videretur, tum vel maximè Cæsari cui Italia ex sorte obuenerat, Octauia quæ pro illis posceret, ad Cæsarem peruenit. Cæsar suos periculis obiecisse circa Pontum aiebat. Illa Mecœnatem hoc exclusisse respondebat. Ille Calliam libertum ab Antonio ad Lepidum missum esse, vt Lepidum in eum concitaret. Illa scire se Calliam nuptiarum causa ad Lepidum iuisse: velle quippe Antonium antequam Parthicum iniret bellum, filiam eius Lepidi filio in vxorem dare, quemadmodum profiteretur: sic enim Octauia. Antonius verò Calliam vt

Cæsar

Cæsarem torqueret, ad Lepidum præmiserat. Hæc igitur minimè admisit, vt autem vnà in colloquium veniret, illi annuit: & inter Metapontum & Tarantum conuenere amb : quo loco fluuius eiusdem nominis medius interfluit. Congredientibus ad fluuium illis, fortuna quadam Antonius ex ripa ad occurrentes naues properans, scapham solus insiluit, & ad Cæsarem quasi amico se concredens pertransibat. Quem cũ intueretur Cæsar, imitatus est. Sic fluuij in medio ambo conuenere, alterius in ripa vterq; descendere velle contendentes. Vicit tandem Cæsar, & veluti ad Octauiam Tarantum profecturus, in Antonij ripa penes eum simul constitit. Taranti quoq; ad eius diuersoriũ nullo munitus custode pertransiuit, & noctu iuxta illum armatis nullis circunseptus conquieuit. Similia & ab Antonio postridie gesta sunt. Sic illis continua ad suspiciones ob principatus ambitum, & ad fidem subinde in necessitates mutatio inerat. Classem igitur in Pompeium præparandam Cæsar in nouum tempus distulit, Antonio in Parthos expeditionem vlterius differre nequeunte. Tradidereq; adinuicem Cæsari quidẽ Antonius naues viginti supra centum; quas propere Tarantum missus illi dedit. Cæsar Antonio bis mille Italos armatos, quos missurum se spoponderat, exhibuit. Octauia insuper

fratrem donis prosecuta est, & decem onerarias naues ex fortioribus amplioribúsque phaselis triremicis immistis ab Antonio petitas, illi tradidit. Cæsar Octauia mille ad custodiam probatos viros, quos Antonius eligeret, elargitus est. Finiēte verò principatus tempore, quod ex decreto tribus concessum fuerat, eundem denuo in quinquennium sibi desumpsere, nihil vlterius populo indigentes: eóque modo abinuicem digressi sunt. Antonius in Syriam profectus est: Octauia penes fratrem cum filia, quam ab ea sustulisset, derelictis. Intereà Menodorus, siue ex innata proditione duceretur, siue quòd Antonij minas extimesceret qui eum tanquam fugitiuum bello adeptum abducere velle dictitabat, siue quòd se minus ac sperauerat in honore haberi cerneret, siue quòd ab alijs Pompeij collibertis assiduis impeteretur conuitijs, qui eum infidelitatis erga herum arguebant, & ad reditum post Menecratis necem hortabantur, fide data acceptáque ad Pompeium septem sublatis nauibus fugam arripit, Caluisio classis præfecto nequaquam aduertente. qua ex causa Cæsar Caluisium à præfectura classis amouit: Agrippámque eius loco praeesse voluit. Cum parata adessent omnia, Cæsar classis exercitum hoc modo perpurgauit. Altaria primùm maris in litore sita alluūtur vadis, multitudo omnis

circunq

circunquaque magno silentio per naues assidet: Sacerdotes in mari considentes sacra faciunt, térque per exercitum scaphis circumuecti purgamina sacra deferũt. ducibus vnà adnauigantibus, & purgamina extollentibus, vt ab exercitu infelicia quæque depellant. Diuidentes deinde ea, partem in mare proijciunt, partem altaribus impositam flammis adolent ac protinus multitudo omnis ea benedicit. Sic Romani classem solent perpurgare. Cæsar igitur ea die ex Dicæarchia discedere statuerat eodémque tempore Lepidum ex Libya, Taurũ ex Taranto Siciliã versus mouere iusserat, vt illũ tandẽ ex aurora simul & occidẽto meridié ve sequerentur. Sic Cæsaris motus ea die omnibus præfinitus fuerat, decima solstitialis scilicet. quam nonnulli Romanorũ nouam lunam mensis appellant: in quo primo Cæsari exhibetur honos, cui Iulio pro Quintili nomen est inditum. Hanc igitur diem Cæsar elegerat, religione fortasse motus ob parentem eius assiduis victorijs bello illustrem. Pompeius in Lilybæo Plinium Lepido opposuit, legionem armatorum, aliámque multitudinem leuiter armatam continentem. Ad hæc ab oriente in occidentem vsque Siciliæ maritima omnia, & in primis Liparam, & Cossyriam insulas custodijs præsidiísque munierat, ne Cossyria Lepido, Lipara autem Cæsari sta-

tiones quasdam ad inuadendam Siciliam offerrent. Præcipuum verò totius classis in Messana collocauit, promptum quocunque in loco necessitas exigeret. sic vtrique apparatus suos tenuere. Noua luna sole iam radijs contingente terram, Lepidus ex Libya mille onerarijs nauibus, octoginta longis comitatus cursum mouet, legiones duodecim, equites Numidas quinquies mille, aliumq; apparatum peringentem secum agens. Taurus ex Taranto ex Antonij nauibus numero centum ac triginta, duas supra centum duntaxat aduehebat, reliquarum enim remiges ex tempestate amiserat. Cæsar ex Dicæarchia discedens, sacris libaminibusq; peractis, à prætoria naue in pelagus placidis ventis, & immobili Neptuno, marique nulla fluctuante vnda, vt aduersus parentis hostes properanti propitij adesse vellent, vota obtulit. Inde nonnullis maris profunditatem antè se perscrutantibus, æquora permeare cœpit. Appius multitudine nauium stipatus, post eum classis custos sequebatur. Tertia à discessu die Notus incumbens, quamplurimas Lepidi naues onerarias euertit. Impetu tamen ab eodem in Siciliam facto, Plinium in Libybæo obsedit, plerasque ex vrbibus sibi asciuit, quasdam vi cepit, Taurus incipiente vento Tarantum denuo reuersus est. Appio circa Athenien-

sium

sinum rupes deducente classem, quadam è nauibus ad petras delatæ colliduntur, nonnullæ inter abrupta ab impetu pelluntur, aliæ non sine vitio proiectæ sunt. Cæsar oriente tempestate in Eleatem sinum inhospitúmque profugit, sextremi duntaxat vnica amissa, quæ circa rupes confracta est. Libyco deinde suscipiente Notum, sinus in vesperam patescens commoueri cœpit, ita vt ex eo egredi non amplius liceret, aduersante loco vento, neque remi rates continere, aut anchoræ vlterius cohibere possent, sed adinuicem inter petras collisæ truderentur. Atra incumbebat nox, eóque periculum difficilius adhuc illis videbatur. Increbrescente clade, Cæsar cadauera humari, saucios curari iubet. ipse è mari enatantes vlterius assumpsit, aliisque adornauit armis: exercitum quoque omnem qui supererat, paulatim recreauit. Sex è nauium numero quæ grauiores fuerant, tempestate contritæ sunt, leuiorum sex supra viginti amissæ. Liburnicæ maiore adhuc numero disiectæ referuntur. Et cum ad reparandam classem triginta dierum spatio videretur indigere, optimum factu visum est, bellum in futurã æstatem denuo differre. Cæterum instante populo ob vrgentem famem, naues magna celeritate littori appulsas reparare pergit: porrò earum onera quæ corrupta fuerant, Tauri na-

uibus inanibus deuehenda transtulit. Vt igitur maiore in calamitate, Mecœnatem Romam ire monuit, & eos qui ob magni Pompeij beneuolentiam elati fuerant, diligentia comprimeret. Non enim præclari viri memoria ab eorum animis penitus exceßerat. Ipse, qui tellurem sortiti fuerant, per Italiam discurrens, hortabatur, & ex timore eorum quæ gesta fuerant, perterritos ad spem erigebat. Eadem celeritate Tarantum proficiscens, classem quæ sub Tauro erat contemplatus, ad Hipponium rediit, peditatúmque ibi existentem consolatus, nauium quoque fabricationem accelerare monuit. Et iam proxima aderat in Siciliam secunda profectura claßis, cum Pompeius huiusmodi opportunitate neglecta, tot naufragijs insurgere haud æquum duxit, sed mari duntaxat ac Neptuno contentus peregisse sacra, se filium eius vocitari passus est, ratus non sine Dei auxilio æstatis tempore bis hostes naufragio obrutos. Ferunt ob hæc gloriabundum, solitam ab imperatoribus deferri chlamydem, Neptuni in morem, ex purpureo in ceruleum mutasse colorem. Sperans igitur Cæsarem classem iam tandem soluturum esse, cum denuo naues præparare, eadémque æstate venturum audiuisset, animo collapsus est, vt qui cum inuicto nomine, & indesinenti apparatu, bellum

lum se gerere animaduerteret. Ergo propere Menodorum septem quas adduxerat stipatum nauibus, qui classis subductionem Caesaris inuiseret, & si quid posset vicissim molitur, ire iubet. At is iampridem animo turbatus, cum classis praefecturam nondum sibi redditam doleret, ac satis conscius cum his solum quas abduxerat, ob suspicionem ab illo demitti nauibus, fugam denuo inire statuit. Verum prius intra se meditatus quemadmodum ad omnia sibi fidos redderet qui illum sequebantur, aurum omne quod secum habuit, inter eos partitus est, & trium dierum remigio delatus, per mille & quingenta stadia continuè progressus est, primisque qui Caesaris classem obseruabant, fulguris in morem subitus insiliens, protinúsque regrediens, post duas aut tres ex custodiarijs nauibus è medio ereptas, ex onerarijs, insuper quae frumentum conuehebant, illis insurgentes, aut enauigantes, quasdam per vim submersit, alias vinculis iniecit, aut igne cremauit: ita vt omnia tumultu ob Menodorum repleta essent, Caesare absente, & Agrippa ad conuectandam materiem profecto. Ludibundus igitur ad arenam littori finitimam atque palustrem, nauem per contemptum vltro impulit, séque à limo detineri simulans immotus perstitit, donec hostes è montibus casum conspicati, ad

 eum

eum veluti ad prædam paratam decurrere, quibus appropinquantibus iterum conuersa naui cum risu abijt. Cæsaris exercitum mœror simul & admiratio secuta est. Cum abunde id egisset, & vtrum hostis an amicus foret prodidisset, tandem capto Rebillo consulari viro, eundem libertati reddidit quid acturus esset corde meditatus. Erat illi cum Mindio Marcello quodam ex Cæsaris necessarijs ante fugam priorem amicitia. His igitur qui circa se fuerant, Mindium transfugere velle affirmat: deinde hostibus propior factus, Mindium ad se conferendi gratia ad insulam quampiam venire rogat. Cum accessisset, nemine alio audiente, se ad Pompeium ob iniurias à Caluisio illatas, cum classi praeesset, transfugisse ait: cæterum præturam suscipiente Agrippa, ad Cæsarem, à quo nil mali pertulisset, redire velle, si fides præstaretur. Hæc Mindius absente Agrippa ad Messalam detulit. Inquit enim redeuntem insigni aliquo facinore emendaturum quæ prius commisisset: donec autem fides præberetur, quempiam ex Cæsaris exercitu inuasurum, ad suspicionē euitandam: idq́ executus est. Messala cum veluti in re turpi nonnihil dubitaret, tandem assensum præstitit, siue quòd has belli necessitates esse crederet, siue ex Cæsaris mente quicquam præsentisceret, siue intra se idipsum

cogit

cogitaret. sicque Menodorus ad eum fugit. Adueniente demum Cæsare, in conspectu eius supplex procidit, & vt fugæ causam minime reddenti, veniam impartiri vellet, deprecatus est. Cæsar salutem illi ob inducias concedere respondit, & protinus clanculum custodiri iussit. Triremium autem ductores ab illo transferens, quocunque libuisset abire permisit. Parato exercitu Cæsar classem confestim mouit, & ad Hipponiū enauigans, Messalam cum duabus peditum legionibus quas ducebat, in Siciliam supra Lepidi exercitum transire imperat, & ad sinum qui ad Tauromenium deducit, castra ponere. Tres preterea legiones ad Stylida misit ac superum mare, obseruaturas quæ fierent. Taurum ad Stylaceum promontorium, quod vltra Tauromenium adiacet, ex Taranto adnauigare iubet: quod ille ad pugnam remigiúmque paratus protinus effecit: & cum eo peditatus omnis pertransiuit. equitibus tellurem, liburnicis verò maria scrutantibus. Sic se habentibus rebus, Cæsar ex Hipponio decurrens, circa Scylaceum sese obtulit, & susceptis ordinibus, ad Hipponium iterum rediit. Pompeius, vt à nobis præscriptum est, omnes ad insulam ingressus custodiri iussit, naues verò in Messana cōgregauit, vt quocunque opus esset, auxilia demitteret. Sic vterque in hoc apparatu constitit.

tit. Lepido interim ex Libya onerariæ naues residuum exercitus, quatuor scilicet legiones, adducebant. Quibus ex Pompeij parte Papias ab alto occurrit, easq; vt amicos admittentes penitus euertit. Credidere quippe naues à Lepido præmissas ad eos aduentare: & illæ quidem à Lepido tarde ferebantur: sic vt iterum ad eas accedentes, vt priores alias hostiles arbitrari declinarent, donec ex ipsis aliæ combustæ sunt, aliæ captæ, quædam dispersæ, nonnullæ in Libyam retro nauigarunt. Ex exercitu duæ legiones in mari submersæ: ex quibus nonnulli enatarunt: & hos quidem Tisinenus Pompeij prætor ad terram prodeuntes interemit: alij ad Lepidum demum redierunt, quidam statim, alij posterius. Papias ad Pompeium reuersus est. Cæsar ad Strongylam, vnam ex quinque Aeoli insulis, vniuersa classe, perscrutato prius pelago, ex Hipponio peruenit. Exercitum verò ingentem in aduersa Siciliæ ripa contemplatus in Peloride, Mylis, & Tyndaride, Pompeium ibidem adesse credidit, eoque loco Agrippam bellum gerere præcepit. Ipse ad Hipponium denuo redijt, & ad Tauri exercitum cum tribus legionibus Messala comite procurrit, quasi Tauromenium inuasurus absente Pompeio, qui insultum illi duabus ex partibus præbere videbatur. Agrippa ex Strongyla ad

gyla ad Hieram enauigauit, & Pompeij custodijs minimè eum sustinentibus Hieram intercepit: & sequenti die Mylas inuasurus videbatur, Demochare Pōpeij pretore quadraginta duntaxat naues continente. Pompeius animaduerso Agrippæ impetu, naues quinque supra quadraginta vltra primas à Messana Demochari præmittit, Apollophane eius liberto deducente. Ipse cum octoginta alijs sequebatur nauibus. Agrippa nocte incumbente ex Hiera dimidiū classis adducit, veluti cum Papia solo congressurus. Visis deinde Apollophanis nauibus, ac octoginta alijs aliunde prodeuntibus, protinus Cæsari indicat Pompeium cū magna classe in altum aduentare. Ipse grauiores per mediū educit, reliquas naues ab Hiera celeri festinatione aduocat. Erat apparatus vtrinq; longè splendidus, & turres è nauibus à puppe proráque eminebant. Quamprimum igitur adhortationes, vt æquum erat, inter illos factæ, signaq; è nauibus elata sunt, se inuicem aggrediuntur, hi quidem à fronte, alij in circuitu, magno clamore, et nauium impetu, varioq; stupore omnium. Erant Pompeio naues perbreues agiléśque leuitate ad inuadendum nauigandúmque, Cæsari verò maiores ac grauiores, & ob id ad tarditatem pronæ, maiore tamen robore ad inferendos impetus, & ad vulnerandū haud euitari faciles.

Ex

Ex viris Pompeiani ad pelagus amplius exerciti: illi firmiores ad bellandum. Hi non aggressionibus, sed circumuentionibus solis longe superantes, maiorum gubernacula & transtra perfringebant, aut remos incidebant aut omninò naues retrahebant, & denuo incursionibus non minora inferebant damna. Cæsaris naues ex incursibus illas vtpote breuiores perfringebant, aut concutiebant, aut omnino lacerabant: & cum in vnum congrederentur, veluti humiliores ab alto facile insilientes, coruos aut manus ferreas ad eas iaciebant. At illi cum opprimerentur in mare protinus desilientes, à Pompeij nauibus ad auxilia paratis circuncurrentibúsque leuabantur. Agrippa ad Papiæ nauem potissimum delatus, & ad ligna quæ extra proram nauis eminebant, magno impetu inuectus nauem perfregit, et ad infima vsq; disiecit, eósq; qui in turribus constiterãt, excussit. nauis mare per rimas protinus admisit. Ex remigibus igitur Thalamiæ primum omnes destituti sunt. alij per foros elapsi, pontum enatarunt. Papias ab occurrente naui susceptus, in hostes iterum se conuertit. quem Pompeius è regione contemplatus, naues proprias ascẽsoribus vacuas, cum hostilibus iampridem congressas parum vtiles existimaret, classemq; ab Hiera ad Agrippam aduentantem intueretur, signo dato suas cum ordine redire imperat.

rat.

rat. Quod illa insurgentes, & se subinde paulatim conuertentes effecere. Verum Agrippa incumbente acrius, fugam protinus arripiunt, non ad littorum oras deducentes sed quacunque fluuiorum vada, qua in mari decurrentes egerant, vltro subeuntes. Quamobrem Agrippa prohibentibus illum gubernatoribus tam exiguo pelago maiores naues concredere, in anchoris intra mare constitit, hostes si opus esset, etiam per noctem aggressurus. Amicis deinde illum admonentibus ne inani audacia frustra duceretur, neve exercitum vigilia laboréque confectum vlterius contereret, neque quieto & tranquillo mari vltra ac fas esset fidem adhiberet, vespera iam instante classem retro uertit, & Pompeiani triginta nauibus amissis, quinque solum ab hostibus ademptis, ad portum deduxere classem, cum necessaria plura perdidissent, & ab alijs adempta vicißim sustulissent: quos Pompeius laudibus prosecutus est, quòd aduersus tam ingentes naues depugnâtes, terrestre potius quàm maritimum pertulissent bellum. Eos porrò veluti victores donis adornatos exhortatus est vt intra Pontum, vt pote leuiores ab fluxum, moram ducerent, præfatus nõnihil se ad nauium altitudinem velle adijcere. Et hic finis naualis pugnæ circa Mylas inter Agrippam & Papiam fuit. Cæsarem autẽ Pompeius, vt re ipsa effectum est, ad

Tauri

Tauri exercitum acceßisse, & Tauromenium aggredi velle intelligens, propere Messanam post cœnam aduauigat, parte suorũ intra Mylas derelicta, vt Agrippa illum denuo adesse crederet. Agrippa refocillato exercitu quantum necessitas postulabat, ad Tyndarida se dedentem est profectus, ac statim ingressus repugnantibus strenuè ijs qui custodiæ præerant, repellitur. Adhæsere tamen ei aliæ ciuitates, custodiásq; admisere. ipse circa vesperam reuersus est. Iam Cæsar ex Leucopetra ad Scylaceũ adnauigarat. Sentiẽs deinde diligentius Pompeium ex Messana ob Agrippam ad Mylas peruenisse, ex Leucopetra supra pontum ad Tauromenium per noctem accedere statuerat: verum classem adesse intelligens, immutato proposito, non per noctem clàm adnauigare, cæterum per lucem alacri exercitu transire potius deliberauit. omnino quippe Pompeium Agrippam opperiri existimabat. Perscrutato igitur per diem mari è montibus, cum hostibus vacuum esse deprehendisset, classem mouit, exercitum quantum naues capere potuerant, secum agens, Messala ad reliqui exercitus curã derelicto donec naues ad eum rediissent. Ad Tauromenium itaque delatus, copias velut ingressurus emisit. Non suscipientibus ipsum custodibus, vltra Onobalam fluuium, & Veneris templum classem impulit, & ad Archigetem

getem cursum dirigit, deum quasi vallum eo loco positurus, & Tauromenium abinde expugnaturus. Archigetes quidem ex Apollinis habetur simulacris, quod primum illi sacrum statuere in Siciliam sedes transferentes. Eo in loco naui egrediens Cæsar lapsus est, simúlque in terram concidit, & ob id retrocessit. Ipsi igitur adhuc constituenti exercitum, Pompeius magnis copijs occurrit. Res immeditata, & summa admiratione digna visa est. iam enim vltra Agrippam, Cæsarem debellare crediderat. Aderat Pompeio equitatus è classe sublatus, & pedites alio ex loco protinus emicuere, adeò vt omnes trepidarent, in medio trium hostilium destituti copiarum: trepidaret & Cæsar, nescius quo pacto Messalã accerseret. Equites itaq; Pompeij primi trepidationẽ intulere, Cæsare adhuc metãte castra. ad hos pedites classisq; superueniunt. Et forte quid magnũ à Põpeio perfectum esset, nisi quòd belli inexpertus, nec trepidationis satis cõscius quæ Cæsaris castra inuaserat, dubiúsq; ne in vesperam pugnare cogeretur, à prælio abstinuit. Et eorum quidem pars in Coccineum montem ascendit, pedites propius ab hostibus haud satis fisi castra ponere, ad Phœnicem vrbem diuerterunt: ibiq; per noctem quieuerunt. Interim Cæsaris milites vallum perfecere, verum labore & vigilia adeo affecti sunt, vt ad pugnam inutiles esse videren-

derentur. Legiones tres Cæsari aderant, equites quingenti, nullis tamen equis assistentibus leuioris armaturæ mille, ex socijs sorte electis bis mille numero, exceptis qui ex ordine descripti fuerant, maritima ad hæc potentia. Peditatum igitur omnem Cornificio attribuens, aduersum eos qui terram ingressi fuerant, bellum iussit capessere, & quod necesse fuerat confestim exequi. Ipse prius quàm illucesceret, ne ab hostibus circunueniretur, mare nauibus ingressus est. Dextrum cornu Titinio, sinistrum Carcino attribuit. Liburnica igitur prouectus ac omnes circunnauigans ad pugnam hortabatur. post adhortationes verò, vt in periculo, prætoria signa deponi imperat. Insurgente itaque Pompeio, bis inter se congressi sunt, præliúmque in nocte finitum est. Captis & incensis Cæsaris nauibus, nonnullæ breuiora velorum erigentes, spretis monitis, Italiam versus cepere cursum, quas paulò post insecutæ Pompeij naues, postremas earum auertentes quasdam abduxerunt, nonnullas incenderunt. Si qui ex ipsis è pelago enatantes in terram emersissent, à Pompeij equitibus aut capti sunt, aut interempti. Alij ad Cornificij castra fugientes, ab eodem ad accurrentes insurgente perimuntur. leuiter armatis solum abire concessum. non enim vtile visum est phalangem diffidentẽ commouere, assistentibus ex aduerso peditibus, &

vt in victoria sese extollentibus. Cæsarem inter ministros ad multam interim noctem considentem atque consulentem vtrum ad Cornificium per medium tam ingentis naufragij, an ad Messalam potius aufugeret, fortuna quædam ad Abalam portum, vno armigero duntaxat comitatum attulit, nullis assistentibus amicis, aut scutiferis, ministrisue. Quidam itaque è montibus casum suspicati, & ad rei fidem occurrentes, ipsum anima corporéq; torpentem offendere. Quem ex cymba in cymbã transferẽtes, vt lateret, ad Messalam tandem non lõge castra habentem detulere. Ipse quanquam ministerij omnis indigus, ad Cornificium Liburnicam propere emittit. Item ad montes finitimos quosdam destinat, qui se saluum esse nunciarent: vniuersósq; ad Cornificium præsidia afferre admonet: quem & ipse per epistolas certiorem facit, auxilia ad eum aduentare. Post hæc curato corpore, cum paulum quieuisset, ad Stylidam nocte processit, & ad Carrinam qui tres legiones sub Messala continebat, per nuncios imperat, vt Liparam adnauigaret, quem ad locum & ipse erat profecturus. Ad Agrippam quoque perscripsit, vt periclitanti Cornificio Laronium cum exercitu celerrimè ire iubeat. Mecœnatem porrò Romam vt proficisceretur, admonuit, eorũ causa qui res nouas moliebantur: ex quibus nonnulli

titubantes supplicio affecti sunt. Messalam insuper Dicæarchiam præmisit, & legionem quæ prima nominatur, ad Hipponium adducere imperat. Hic est Messala ille quem tres viri in Roma morte proscripserunt, & pecunias qui illum interfecissent libertatémque polliciti sunt. Verum is ad Brutum fugiens & Cassium, defunctis illis exercitum per inducias Antonio tradidit. quod nunc ad Romanæ virtutis æmulationem commemorare libuit: quòd cum proscribentem, in tanta clade solum nactus in potestate, vt imperatorem tamen iuuit, salutique restituit. Cornificius cum á castris hostes facillime repellere posset, ex inopia coactus suos in aciem eduxit, hostésque ad bellum prouocauit. Pompeio pugnam capessere cum ijs qui in armis duntaxat spem haberent, detrectante, fame coactus vlterius progreditur, & per medium eorum qui è nauibus perfugerant, ipse classis expers iter capit. Aggressus deinde ab equitibus, acriter per media camporum, asperis verò in locis, ab his qui leuiter armati insequebantur (Numades hi quidem erant ac Libyci) vt plurimũ sauciato exercitu, ab impetu repellitur. Quarta vix demum die ad tellurem inaquosam, quam ignis riuum nominant, peruentum est. Hæc ad mare vsque oppositos excludit agros, cursus etiam aquarum extinguit

guit omnes, ac per eam finitimi noctē solum proficiscuntur suffocationem exhalantem, & puluerem cinere permistum. Cornificij igitur milites neque noctu per ea loca proficisci audebant, luna nullo emicante lumine, ob viarum difficultates & insidias: neque per diem facile carpebant iter, suffocatione oppressi & angustia: pedes quoque illis veluti in æstate caloréque adurebantur, potissimum qui nudi incedebant: & cum moram ducere nequirent, vrgente siti, neminem insurgentem repellebant hostem, sed indefessi vulneribus obijciebantur vndique. Cum ad exitus adustæ telluris peruenissent, alij apparuere hostes, quos nudos debilésque intuentes, contempsere primo, mox ad colla prosilientes incredibili audacia, quoad vires suppeterent, opprimebant. Verum eos detinentes salutis propriæ obliti, à calore laboréque conficiebantur. Auocante eos Cornificio, & fontem iam propinquum ostendente, tandem plures ab ipsis repellentes interficientésque cessere. Cæterum alij fontem occuparant hostes & omnino Cornificio mæstitia extrema inerat: cum sic se habentibus Laronius à longe apparuit, tribus eum legionibus præmissus ab Agrippa: non tamen adhuc an amicus aduentaret, clare intuebantur milites. Verum spe ducti, ac huiusmodi fore suspicati, ad eum deferuntur. Postea verò quàm

hostes, fontem deserentes, ne in medio eorum clauderentur, animaduertunt, clamorem ob lætitiam ingentem extulere: Reclamante ad eos Laronio, cursu ad fontem deferuntur, quos duces confertim haurire prohibebant. Qui vero minus paruissent, haurirentque auide, extinguebantur. Sic ex insperato Cornificius exercitus sui parte deleta, ad Agrippam ac Mylas saluus peruenit. Et paulò ante Agrippa Tyndaridam acceperat, locum commeatu refertum & ex mari accommodum ad gerenda bella: ad quem Cæsar equites peditésque deduxit. Aderant quippe illi in Sicilia copiæ omnes armatorum vna vltra viginti legiones, equites ad viginti millium numerum: leuis armaturæ vltra quinque millia: & adhuc Mylas. Ex Mylis verò nauicularias, Peloridam, & maritima omnia Pompeij præsidia obtinebant. Quæ timore potissimum Agrippæ ignes continue adurebant quasi nauigantes incensuri. Vti aque etiam angusta locorum circa Tauromenium & Mylas à Pompeio tenebantur: exitus insuper montium manibus occluserat, & Cæsarem à Tyndarida vlterius euntem ne congredi posset, infestabat. Rumore exorto Agrippam nauigare, ad Peloridem relictis circa Mylas angustijs locorum sese proripit, eáque Cæsar protinus inuadit, & cum his Mylarum & Artemisij exigua oppida, in quibus Solis boues fuisse

memo-

memorant. & Vlyßis somnium. Fama deinde ex Agrippa vt inani euanescente, Pompeius angusta illa intercepta audiens, Tisienum cum exercitu aduocat. Tisieno Cæsar occurrere decreuerat: cæterum itinere delapsus, circa Myconium montem sine tentorio vllo pernox constitit. Imbre deinde vehementißime coorto, vt autumnali in tempore, nonnulli ex armigeris scutum Celticum nocte perpetua supra illum tenuere. Horridi porrò Aetnæ fætores, & ingentes mugitus, fulguráque circa exercitum late splendentia, illos terruere, adeò vt Germani præ timore è stratis exciti, auditionem earum rerum quæ de Aetnæ fluxu referuntur, nõ inanem inter tot admiranda arbitrarentur esse. Post hæc Palestinorum agros depopulatus est, & Lepidus frumentatum profectus illi obuiat, ambóque circa Messanum locauere castra. pluribus igitur prælijs per vniuersam Siciliam leuiter inter eos gestis, nullo insigni peracto opere, Cæsar Taurum qui Pompeij commeatus interciperet, & vrbes necessaria illi subministrantes inuaderet, emittit. In qua re maximè exagitatus Pompeius, maiore prælio de omnibus decertare instituit: & peditatum veritus Cæsaris, cum classe longe superaret, ad Cæsarem destinat, & vt secum maritimo prælio de vniuersa re decernere velit, expostulat. Cæsar à maritimis abhorrens prælijs, ne for-

tuna interueniente concideret, cum ab illo denuo prouocaretur, iam mari assuetus, ac turpe ducens bellum detrectare, conditionem accipit. Statuta est illis dies in qua trecentæ naues vtrique adessent, omnifariam telorum genera ferētes. ad hac turres & machinas, quas ipsi excogitassent. Agrippa vltra hæc quædam instrumenta machinatus est, quæ harpagæ appellantur. harum forma huiusmodi fuit. Lignum quinque cubitum ferro circumplexum, fibulas ab vtroque capite fixas, continet, quarum vni falx ferro curuata inhæret, alteri funes plurimi connexi insident, falces machinis attrahentes, cum hostilis nauis ex impetu capta est. Cum dies prælio destinatæ illuxisset, protinus remigum contentio clamórque tollitur. Telorum deinde partim ex machinis, partim è manibus excussorum intuebatur multitudo. Ad hæc lapides ignemq́; ferentes machinæ, sagittæ'que volitabant. Postremo naues magno impetu in vnum delatæ, simul connectuntur. Hæ quidem è latere, aliæ è tignis proram superantibus, nonnullæ rostris concurrentes, quo ex loco vehementiores plagæ, concussiones, & insultus permaxime prodibant, nauésque ob id debiliores reddebantur. Quædam etiam pariter ferebantur remis insultantes, iaculantésque, & ministerijs delapsos suscipientes. Manuum denique vi, nautarum

fortē

fortitudine, gubernatorum arte & clamore, necnon ducum adhortationibus & machinis strepebant omnia. Optimum itaque inter cætera apparuit falcis instrumentum, quod plerunque nauibus ob leuitatem à longe inijci, immissumque percommode funibus attrahi ad se posset. Non enim facile incisionem admittebat, ferro circumplexum, & longitudo eius inaccessibilem ad secandos funes prabebat aditum, quod nec antea perceptum fuerat. Vt falces quæ pilis anneEluntur. In hoc igitur vt in re immeditata stupebant hostes & repulsa naui, puppem inuadere certabāt. Quoa cum fieret, æqua amborum conspiciebatur vis. Cum verò instrumentum accessisset, proprium tum quidem id erat opus. Appropinquantibus inuicem nauibus, omni ex parte certabatur seque mutuò inuadebant, nec facilè hostes inter se dignosci quibant, paribus adsistentibus copijs, & eisdem vt plurimum grassantibus armis, & eadem voce Itala vtentibus. Depugnantiū quoq; concursus ad vtrosque ferebatur, & ex hoc insidia plurima vartaq; prodibant, & diffidentia ad eos qui loquebantur. Inscitia denique maxima eos detinebat potissimum in mari, cædibus, armis, naufragijsq; redundante. Nullam quippe experientiam belli omiserant, excepto igne: hunc enim primi insurgentes ob congressum euitarant. Inter hac pedestes copia

 vtri

vtriusque exercitus. cum timore pariter ac sollicitudine è terra ad mare prospectabant, eo in bello propriæ salutis spem sitam arbitrantes, Nihil tamen discernere poterant, quanquam ad maria flectentes oculos. sexcentis nauibus magno ordine à longe consistentibus. Acclamationes solum eiulatúsque, qui modo ab his, modo ab illis reddebantur, audiebant, turrésque inter se congredientes aspectabant. Agrippa plures ex Pompeij nauibus defecisse intelligens, assistentes quasi victoria adepta adhortatus ad pugnam, ac fortiter incumbens, nullo labore omisso strenuè progressus est, quoad vi ingenti conati milites, & turres prosternentes, naues in fugam adigunt. Ex his septem supra decem celeri cursu reliquas antecedentes ad Pontum deferuntur. Alia intercludente Agrippa, partim ab insequentibus ex impetu repulsæ sunt, partim insurgentes confractæ, aut igne absumptæ. Quæcunque verò in mari pugnam sustinebant, quæ gesta erant intuentes, seipsas dedidere hostibus. Sic Cæsaris exercitus magno clamore victoriæ hymnum in mari prodidit: eius pedites vicissim è terra extulere vocem: Pompeij autem fletum edidere. Pompeius ipse ex classe se proripiens, Messanam subito confugit, nulla peditum ob consternationem suscepta cura. Qua ex causa & illos Cæsar Tisieno per inducias tradente suscepit, dein-

de

de equites ducibus eos exhibentibus pariter accepit. Tres ex Cæsaris nauibus mari immersæ, Pompeij octo supra viginti: reliquæ aut combustæ sunt, aut redactæ in potestatem, aut ad terram compulsæ perierunt, septem & decem duntaxat fuga elapsis. Pompeius ex itinere cognita peditatus defectione, ad hostes, vestem immutauit, & ex imperatoria priuatam sibi induit. Ad Messanam quoque præmisit, vt quæcunque licuisset classi propere inferrent: quippe omnia iampridem parata habuerat. Plinium ex Lilybæo cum octo quas ducebat legionibus ad se summa celeritate aduocat quasi cum illis fugam arrepturus: & quidem Plinius ad illum properabat. Transfugientibus deinde reliquis Pompeij amicis præsidijs, exercitibúsque ac hostibus adnauigantibus Pontum non expectato Plinio, quanquam in vrbe egregie septa mœnibus, ex Messana profugit, & septem supra decem, quas præmisimus, comitatus nauibus, ad Antonium iter dirigit, vtpote qui illi matrem iam antea seruasset incolumem. Plinius non inuento eo, Messanam ingressus, vrbem in potestatem redegit. Interea Cæsar intra exercitum qui classi inerat deducta mora, Agrippam Messanæ copias admouere imperat. Agrippa cum Lepido pariter ad vrbem castra posuere. Plinio ob inducias legatos emittente, Agrippa vt Cæsarem

vpperiri vellet ad auroram vsque suadebat. Verùm Lepidus inducijs oblatis, Plinij exercitu sibi ascito, cum reliquis copijs ad diripiendam vrbem conspirauit: & hi soli pro salute eius precabantur, lucrum incredibile in Messana deprehendentes per noctem integram cum Lepido diripuere vrbem, & cum eodem vnà posuere castra. Lepidus duarum supra viginti legionum, illis additis, effectus imperator, equites multos excitauit, ita vt Siciliam facile adepturus videretur, occasione habita quòd primus ei insulæ intulisset bellum, pluresque ciuitates in ditionem redegisset. Nam ad eas præsidia subito demisit, ne à Cæsare proficiscentes ingredi possent, angusta locorũ adeptus omnia. Cæsar sequenti die ibidem profectus, per amicos de Lepido conquestus est, qui se belli socium in Sicilia venire diceret, non vtique eam insulam sibi vendicantem. Lepidus è primo magistratu se expulsum esse referebat, solum Cæsarem eum obtinere: velle autem Siciliam Libyámque dimittere eius loco. Ob hæc conturbatus Cæsar, & ipse cum ira pariter accessit, Lepidum ingratitudinis vltro accusans. Sic inter se comminati subinde discessere: ac confestim custodiæ diuisæ sunt, nauesque ex anchoris solutæ secesserunt. Increbruerat quippè rumor, Lepidum ignem classi inferre velle. Quibus ex causis milites contristati sunt, veriti denuò

aliud

aliud ciuile inire bellum, nec vnquam ab huiusmodi dissensionibus vacare posse. Non tamen eodem in honore Lepidum quo Cæsarem habebant, non ipsimet qui cum Lepido vnà militabant. Nam Cæsaris virtutem admirabantur maxime, negligentiam verò Lepido ascribebant: ac de rapinis eius conquerentes, se earum causa haud impares victis esse fatebantur. Quibus perceptis Cæsar, quæ vtilia visa sunt, clanculum ad singulos præmisit, eos adhortatus. Ob quæ plurimi inter eos corrupti referuntur, & præcipuè hi qui cum Pompeio militauerant, timore ducti, inducias neutiquã ipsis permansuras, ni Cæsari coirent. His inscio adhuc Lepido hunc in modum gestis, Cæsar equitibus multis circunseptus ad exercitum venit: quibus ante vallum destitutis, cum paucis ingressus Lepidi castra, præsens ad singulos testatus est, se inuitum ac renitentem ad bellum cogi. Salutantibus illum, qui aderant, veluti imperatorem, primi Pompeiani ad eum accurrunt, quicunque à Cæsare præ alijs corrupti fuerant, veniamq́ ab illo postularunt. Cæsare admirari se dicente, veniam petere eos qui nondum conuenientia sibi ipsis effecissent, cognita eius mente protinus signa arripuere, eáque ad Cæsarem ferentes, tabernacula euertere cœperunt. Percepto tumultu Lepidus è tabernaculo ad arma concurrit: acclamationes igitur

vbiq;

Vbique edita, vnúsque ex Cæsaris scutiferis occiditur. Cæsari vulnus in thoracem inditum, verùm telum haud corpus attigit. Ipse cursu ad equites defertur: Lepidi præterea castellum quoddam incursu aggressus, non prius ab ira destitit, quàm adeptum cum equitibus euertit, deinde aliud eripuit. Ex Lepidi ducibus hi quidem statim, alij nocte à Lepido digressi ad Cæsarem venerunt, quidam nullo experimento edito, aliqui per simulationem ab equitibus eius modicum quid agitati. Fuere qui aggressiones quasdam opperirentur, insurgentésque repellerent: nam Lepidus auxilia quocunque emittebat. Præsidijs deinde ipsum deserentibus, reliquum Lepidi exercitus, & si quis beneuolus supererat adhuc, mentem immutarunt: & primi Pompeiani iterum quicunque cum illo aderant, per partes aufugere. Lepido ad prohibendum instruente alios, qui ad obuiandum arma sumpserant, signa eorum abstulerunt, & cum reliquis ad Cæsarem venerunt. Lepidus abeuntibus illis minabatur, simulq́; trepidabat, signa quoque manu detinens, neutiquam permittere velle clamitabat, donec deferẽtium quispiam illa, vel defunctum permissurum esse ait: tum verò timore ductus dereliquit. Postremi equites ab eo discedentes, quendam ad Cæsarem misere, scituri an Lepidum non vlterius illis imperantem occiderent: quod ille re-

nuit. Sic Lepidus præter cunctorum fidem ex tam sublimi fortuna, tantisq́; copijs solus breui decidit, mutatoq́; ad Cæsarem habitu procurrit, cæteris veluti ad spectaculum quoddam insequentibus. Cæsar aduenienti assurrexit, & ad genua procumbere volentem prohibuit, verùm eo habitu quo venerat indutum Romam misit, priuatum imperatoris loco: nec aliud quàm sacerdotij quod habuerat pontificem. Sic ille qui imperium sæpenumero obtinuerat, ex Triumuiris quondam vnus, principes enuncians, & illustres morte proscribens viros priuato habitu, nonnullis eorum quos proscripserat assistens, ingloriam egit vitam. Pompeium verò Cæsar neutiquam insecutus est, nec alijs vt insequerentur iniunxit: siue quòd in Antonij principatum veluti alienum, manum afferre dubitaret, siue euentum rei, & quæ moliretur Antonius, opperiri mallet, vel potius dissensionis occasionem quæreret, si minus æqua esset executus. Non enim sine suspicione iampridem vixerant principatus æmuli, & depulsis alijs inter se postremo sumpturi arma: siue vt Cæsar posterius retulit, minimè parentis eius percussor extitisset. Copias autem omnes in vnum congregauit: fuereque illi armatorum legiones quinque supra quadraginta, equitum millia viginti quinque: leuis armaturæ vltra equites in sesquplo: naues longæ sexcentæ, onerariar

rariarum multitudo ingens, quarum &, inexpertus dominis earum demitti iussit. Exercitum victoriæ præmijs ornauit, nonnulla pollicens, quædam repræsentans. Coronas & honores omnibus exhibuit: veniam quoque Pompeij ducibus impendit. Ipsi igitur florenti tam ingenti gloria gestarum rerum, fortuna inuidisse visa est. Nam exercitus eius potissimum familiaris & domesticus ad seditionem elatus est, à militia dissolui postulans, & præmia ijs qui in Philippis depugnassent, paria sibi præberi exigens. Cæsar id prælium haud simile huic fuisse aiebat, pollicitúsque est se ipsis condigna traditurum cum his qui sub Antonio meruerant, cum idem accessisset. De disciplina quoque militari cum patriarum legum iurisiurandi consuetudine, suppliciorúmque comminatione verba fecit. Non auscultantibus illis, à comminatione destitit, ne quis ex susceptis nuper exercitibus tumultum concitaret. Verùm in tempore cum Antonio exercitum se soluturum esse ait, nec ad ciuilia denuò bella deducturum summa felicitate, vtilitatéque pacata. Cùm verò Illyriorum gens, aliæq; nationes barbaræ vix adepta pace arma sustulissẽt, occasionem paratam habere, qua illos ex bello dites redderet. At illi vlterius militare velle, ni priora munera honorésque suscepissent, palam recusarunt. Cæsar tum quidem honores

minim

minime proponere velle ait, cum plures tribuisset: Legionibus coronas alias, turmarum ducibus, tribunisq; purpuream vestem: Senatoriam inter patres dignitatem tribuisse. Hæc & alia his similia proponente adhuc eo, Hossilius quidam ex tribunorum numero, coronas, purpurámque, puerorum delinimenta esse ait: exercitus agris & pecunijs opus esse, non ludicris. Ac multitudine subinde acclamante, eum vera profiteri, Cæsar è tribunali conturbato discessit animo. Aderant & circa Tribunos ea collaudantes, & qui minimè insurrexissent criminantes. Quibus Cæsar se solum iustis hoc modo sufficere posse inquit: & his dictis in sequenti die non comparuit, nec quò loci se contulisset, sciri poterat. Exercitus igitur deposito timore, non iam sigillatim, verùm per partes consurgens, atq; conclamans, à militia dissolui postulabat. Quamobrem Cæsar varijs modis duces eorum sedare conatus est. Et ijs qui in Philippis & Mutina meruerant, veluti antiquioribus, missionémque deposcẽtibus vltro concessit, & ad viginti millia numero, sacramento liberauit, ad insulas eos præmittens, ne cæteros ad dissensionem tumultum've concitarent: his ipsis qui Mutinæ fuerant, hoc solum inquiens, se illis quæ promiserat, quanquam in hunc modum dissolutis à militia, præstiturum fore. Ad aliam deinde multitudinem

conu

conuersus, abeuntes ex sacramento corripuit, quòd præter imperatoris sui mentem ab armis discessissent. Præsentes insuper laudibus prosecutus est, quàm ocyssime à militia absoluere pollicitus. quòd nihil pœnituisset eos: diuites præterea effecturum cum dissolueret: ac tum quidem quingentas drachmas vnicuique repræsentaturũ esse. Quibus dictis, mille & sexcentorum talentorum tributa Siciliæ imposuit. Prætores ad hæc Libyæ Siciliæq; declarauit, exercitu in vtraque diuiso. Naues ab Antonio susceptas Tarantum præmisit. Reliquarum copiarum partem in Italiam classe deferri iussit, partem ex insula ipse enauigans secum duxit. Aduenienti Senatus honores nullo adhibito modo exhibuit: quorum omnium iudicem, an vniuersos, an partem potius sibi assumeret, eum dem statuit, & à longe proficiscenti cum populo pariter occurrit. Turba omnis sertis redimita, ad sacra primum, ex sacris deinde domum redeuntem comitata est. Postridie delatus in Senatum, concionem de gestis per eum in Reipublicæ administratione à principio vsque in finem habuit. Porrò quæ elocutus fuerat, in scriptis redigens, libellum edidit, per quem pacem & concordiam confectis ciuilibus bellis omnibus ediceret. Tributa quoque debentes absoluit. Publicanorum, & mercedes assumentium debita recensuit: & ex decretis

sibi

sibi honoribus perceptæ pompa, sacerdotium annuum ijs quibus vicisset diebus, sibi assumpsit: aureumq; trophæum in foro ea forma qua ipse ingressus esset, columnæ rostratæ supereminente decerni passus est, cuius statuæ huiusmodi inscriptio adiecta fuit, Quoniam pacem iampridem conturbatam terra marique stabilisset. Populo pontificatum maximum è Lepido in ipsum transferente ad vitæ vsque finem, non admisit, & vt hostem interficere illum suadentem vltro renuit. Epistolas per vniuersos emisit exercitus, quæ inscriptæ essent, adopertis ipsis statuta die executioni mandari imperans. Erant autem hæ de seruis inscriptæ, qui per seditionem arrepta fuga, militiam exercuissent, & quibus libertatem Pompeius postulasset, Senatus verò ex fœdere sanxisset. Hi igitur vna die intercepti sunt, quos Romam missos Cæsar Romanis Italisque quibus inseruiuerant, aut eorũ successoribus ascribi iussit. Reddidit & vicissim Siculis eorum seruos. quorum autem domini haud inuenti sunt, iuxta vrbes è quibus profugissent, eius mandato interficiuntur. In hunc modum seditionibus finis adhiberi visus: cum Cæsar octauum supra vigesimũ ætatis attigisset annum: quem vrbes in deorum suorum numero adscripserũt. Deuastata ex seditionibus Roma vrbe, ac Sicilia omni palam deprædata, & rapto-

ribus audacia potius quàm latrocinio grassantibus. Sabinus à Cæsare electus ad directionẽ earum rerum, multa comprehensorum perpetrata cæde, eodem anno pacem tutam incustoditamq; firmauit. Et ex eo tẽpore exercitum custodum noctis morem formámque sumpsisse memorant. Magna igitur cunctorum admiratione tam celeriter insperateq; directis omnibus, plurima etiã circa Rempublicã, annuosq; magistratus, & patrios mores emendare instituit, & epistolas quæ alicuius dissensionis signa continerent, igne cremauit: præfatus vniuersam Rempublicam tum demum restituere velle: quumprimum Antonius è Parthis rediisset. fidere quippe illum principatum depositurum esse, ciuilibus compositis bellis. Quamobrem præconiis illum extollentes Romani ciues, in futurum perpetuum sibi tribunum delegere, vt à primo magistratu & ipsum pariter auerterẽt. Quibus idem assentiri visus est. Antonio quoq; ex eadem causa nuntium emisit. Ille Bibulum ad eum venientem, his de rebus conferre monuit, ducesq; ad prouincias pariter elegit, contra Illyrios gesturus bellum. Põpeius interim ex Sicilia ad Lacinias prouectus arces, Iunonis templum donariis insignibusq; refertum: ad Antonium paraturus fugam, prædæ exposuit. Mitylenas postmodum delatus, moram egit: quo in loco puerum quandam

dam existentem Pompeius genitor, Cæsaris subiturus bellum, cum matre dereliquerat, demum superatus inde auexerat. Antonius ea tempestate in Mediam profectus, Medos Parthosq́ oppugnabat. cui Pompeius in reditu seipsum dedere instituerat. Sed cum ab hostibus bello victum intelligeret, idq́ latius vulgaret fama, iterum in spem conuersus est, quasi successurus Antonio si interijsset, aut cum eo diuisurus imperium si accederet. Quippe Labienus paulò antè Asiam excurrens, plurimum illi obuersabatur animo. Non multo deinde post Antonium Alexandriam redijsse nuntiatum est. Ad vtraq; igitur cõuersus, iterum oratores ad eum destinat, verbo quidem vt se amicum, belliq́ socium venisse ostenderet, re autem vt vires eius perspectaret. Sic in Thraciam & Pontum nonnullos mittit clanculum cum eorum regibus inituros fœdus, vt si cogitata minus prospere cessissent, ex Ponto in Armeniam fuga penetraret. Misit & ad Parthos, ratus ad residua belli cum Antonio proptissimè admissuros ducem Romanũ scilicet, & Pompeio magno genitum. Intereà classem confestim præparari, & exercitum eã inscensurũ exerceri iubet, Cæsarem vereri simulans, aut Antonio hæc ipsa instruere. Antonius perceptis his quæ à Pompeio agitabãtur, ducem contra Titium elegit, & naues exerci-

 tumq;

tumq; è Syria ducentem, Pompeio, si bellũ gereret, arma inferre: sin se illi dedat, cum honore ad se ducere admonet. Legati à Pompeio venientes, his verbis feruntur usi: Pompeius ad te nos mittit ò imperator, neutiquã impotens, si bellum gerere affectet, in Iberiam classe penetrare, eamq; prouinciam ob parentem eius iampridẽ amicam ac beneuolã, & adhuc ipsi cũ adolescentior esset, se dedentem, eumq; nunc inuocantem ad res gerendas excitare. Verùm cum tecũ pace perfrui, aut tuis auspicijs, si opus sit, arma sumere, & bellum agere prius aueat idq; non in præsenti modò, sed cum Siciliam in potestate haberet, Italiamq; popularetur, ac matrem tuam saluam præmisisset, enixè cuperet, nos ad te quamprimũ venire voluit, eadẽ in præsentia tibi relaturos, quæ sentiret: Quem si admiseris, neutiquam se Sicilia pulsum arbitrabitur: non enim naues contra ipsum Cæsari te concessisse existimat voluntate ductum, sed necessitate. cũ in Parthos minimè victoriam adipisci posses, Cæsare exercitum non præbente tibi, vt cõuenerat. Sed cum facile tibi foret, his quas obtinebas copijs, Italia potiri, idq; à te minimè in tempore factum sit, nunc vt diligentius consideres, te etiam atq; etiam admonet, ne plerunq; Cæsaris circunuentus insidijs, aut affinitate irretitus, ab illo capiaris, cũ scire possis Pompeium illi affinitate coniunctum,

præter

præter fœdera nulla occasione adhibita oppugnatum extitisse, Lepidum magistratus participem ab illo exercitibus dignitatéque spoliatum. Et ne aliena prosequatur, solum te derelictum esse ait, qui quo minus cõcupita monarchia frueretur, impedimento esses: ita vt ambiguum non sit, Pompeio è medio sublato Cæsarẽ tecum ad arma vẽturum esse. hæc profectò tui causa æquum est te animaduertere. Tibi autẽ Pompeius ob beneuolentiam sese offert, virum optimum ac magnanimum subdolo anteponẽs ac doloso. Nec præterea classem à te Cæsari concessam ex necessitate queritur, cũ exercitu ad oppugnandos Parthos indigeres, quem ab eo assumeres. Cæterùm memoriæ subijcere visum est, vt intelligas exercitum quem nondũ ad te miserit, tuo imperio subesse, & aduenienti se cum his quas habet nauibus, exercituq; fidissimo, & nihil ex fuga relinquente vltro dedere. Pacem quippe meditanti, non in vltimis laudum fuerit Pompeij magni seruasse filium: arma verò prius eligenti, condignam sortem in futurum bellum contulisse. Hæc legatis referentibus, Antonius mandata quæ Titio iniunxerat, illis protulit, vt si re ipsa eadem sentiret Pompeius, quæ illi retulissent, eũ sub Titio ad se venturum nõ ambigeret. Dum hæc inter eos geruntur, hi qui à Pompeio ad Parthos mittebantur, ab Antonianis ducibus intercepti

sunt, & ad Antonium Alexandriam perducuntur: à quibus singula edoctus Antonius, Pompeij legatos acciri imperat, captósque illis ostendit. Legati deprecantium in morem, virum iuuenem, extremis circunuentum cladibus, trepidantémque ne ab Antonij excluderetur amicitia, ad hæc inductum retulerunt, vt perpetuos Romanorum experiretur hostes. Cæterum id se opere statim ostensurum, quamprimum Antonij mentem cognouisset, nec vlterius experientia alia aut meditatione vsurũ esse. Quibus Antonius ob ingenij simplicitatem, magnanimitatémque facilè assensus est. Intereà Furnius Asiæ præfectus sub Antonio, Pompeium ad se venientem ac nihil trepidantem suscepit, nec prohibere, aut aduersus contendere potentem, nec Antonij animum adhuc clarè dignoscentem: sed cum exercitantem copias suas intueretur, nonnullos ex sibi suppositis elegerat, & Aenobarbum finitimi exercitus ducem, aliáque ex parte Amyntam magna celeritate conuocarat. quibus propere accedentibus Pompeius questus est, si hostem eum arbitrarentur esse, qui legatos se suaq; dedentes ad Antonium misisset. Et hæc dicens Aenobarbum ex Curij proditione, qui cum eo obuersabatur, intercipere cogitabat, sperans ad eius restitutionem Aenobarbum magna ex parte conferre posse. Proditione detecta,

tecta,

tecta, Curius inter primos Romanorum deprehensus interijt. Pompeius Theodorum libertum, quòd solus eius consilij esset particeps, ne commissa proderet, occidit. Et qui circa Furnium aderant, nihil vlterius inquisituros autumans, Lampsacum per proditionē capit: quod oppidum multos Italos ex incolatu C. Caesaris eum in locum translatos continebat, quos magna mercede allectos stipendio sibi adiunxit. Iam equites ducētos, peditum legiones tres in vnum congregarat, & Syzicum terra mariq; oppugnare cœperat, quem illi ab vtraq; parte repellebant. Nam exercitus quidam Antonij licet modicus intra vrbem castra habebat, & custodes nonnulli gladiatorum qui his in locis alebantur, vt frumentū cōportarent, in Achæorum portum se transtulerant, Furnio haud deterioribus eorum imperante, ac cōtinuè cum equitum ingenti manu propius illi castrametante, nec ad vrbes aut frumentatum ire permittente, Pompeius equitatu nullo fretus, Furnij exercitum ex circuitu quodā latens à frōte aggreditur. Ob id Furnius in Pompeiū versus à tergo ab exercitu excussus est: quem per Scamādrium campū insecutus Pōpeius, plures in fuga occidit. Erat quippe ex imbribus lubricus admodum & madens campus, nec gressus sustinebat. Qui verò è fuga saluati sunt, congredi non ausi, cum impares illi essent, cessere

 loco.

tatum ire prohibebant, donec inopia deuictus, cum Furnio in colloquium venire postulauit, magni Pompeij beneuolo olim atque amico, & quem præ cæteris egregium moribusq; cōstantem arbitrabatur esse. Fluuiū igitur in medio nactus, se legatos ad Antonium misisse aiebat, adijciebatq; se ob famē & incuriā de ipso habitā, hæc interim egisse: Vos enim, aiebat, si ex Antonij mente bellum mihi infertis, malè sibi consulit Antonius, insurgens in se bellum haud aduertens. Sin Antonij mentem præuenistis, testor suadeoq; vt legatos meos ad eū missos expectetis, vel me suscipiētes ad illū adducatis. Dedo enim iam me tibi soli Furni, hoc tantū pro fide exigens, quòd me ad Antonium saluum comitabere. Sic ille locutus est, Antonio ob naturæ eius bonitatē facilitatemq; confisus, & quæ in medio erant, dūtaxat veritus. Furnius Pōpeio in hūc modū retulit. Si quidē seipsum à principio Antonio dedidisset, ad illum fuisse profecturum, aut responsiones eius Mitylenis quiescentem moraturū. Verùm cum ad omnia gessisset bellum, vt notum erat, nihil ad intelligentes his verbis opus esse. Nunc enim te, inquit, pœnitet, neque nos duces in vnum repulisse, neque te Titio vicißim permisisse. Titio nempe quæ ad Antonium pro te necessaria essent, commissa sunt, & quā à nobis fidem postulas, ab illo prius fuit exigenda:

cui

cui iniunctum est, aut te bello grassantẽ interimere, aut illis permittentem cum honore ad se ducere. Cæterum Pompeius Titio vehementer succensebat, quòd belli gerendi curam in eum suscepisset, quem aliàs à se captum conseruarat. Hac igitur opinione ira concitus, cum Titium haud præclarũ virum arbitraretur esse, & vt suspectum vereretur, & inueteratam quandam contumeliam beneficio eius adiunctam intelligeret, Furnio iterũ se dedere velle aiebat, & vt eum susciperet orabat. Non admittente eo, Amyntæ se committere respondit. Cui Furnius nec Amyntã eum suscepturum esse ait, contumelia ductum eorum quæ in Antonium egisset. Et his profectò qui circa Furnium erant, opinio affuit, Pompeiũ ex præsenti inopia insequenti die se suaq; Titio permissurum fore. At verò Pompeius instante nocte consuetos ignes derelinqui, & tubicines interualla noctis more solito præcinere mandauit. ipse clanculum cum potioribus tentorio egressus est, quibus nec quid acturus foret, aut quò profecturus, patefecit. Deliberauerat quippe ad mare progredi, ignemq; Titij classi immittere: quod fortaßis effecisset, nisi quod Scaurus ab eo trãsfuga iter per quod se proriperet, quãquam meditationem eius ignoraret, edixit hostibus. Tum verò mille et quingentis equitibus Amyntas comitatus, Pompeiũ nullo equite sti

rariarum multitudo ingens, quarum vt inexpertus dominis earum demitti iußit. Exercitum victoriæ præmijs ornauit, nonnulla pollicens, quædam repræsentans. Coronas & honores omnibus exhibuit: veniam quoque Pompeij ducibus impendit. Ipsi igitur florenti tam ingenti gloria gestarum rerum, fortuna inuidisse visa est. Nam exercitus eius potißimum familiaris & domesticus ad seditionem elatus est, à militia dissolui postulans, & præmia ijs qui in Philippis depugnassent, paria sibi præberi exigens. Cæsar id prælium haud simile huic fuisse aiebat, pollicitúsque est se ipsis condigna traditurum cum his qui sub Antonio meruerant, cum idem accesßisset. De disciplina quoque militari cum patriarum legum iurisiurandi consuetudine, suppliciorúmque comminatione verba fecit. Non auscultantibus illis, à comminatione destitit, ne quis ex susceptis nuper exercitibus tumultum concitaret. Verùm in tempore cum Antonio exercitum se soluturum esse ait, nec ad ciuilia denuò bella deducturum summa felicitate, vtilitatéque pacata. Cùm verò Illyriorum gens, aliæq; nationes barbaræ, vix adepta pace arma sustulißēt, occasionem paratam habere, qua illos ex bello dites redderet. At illi vlterius militare velle, ni priora munera honorésque suscepissent, palam recusarunt. Cæsar tum quidem honores

minim

minime proponere velle ait, cum plures tribuisset: Legionibus coronas alias, turmarum ducibus, tribunisq́ purpuream vestem: Senatoriam inter patres dignitatem tribuisse. Hæc & alia his similia proponente adhuc eo, Hoffilius quidam ex tribunorum numero, coronas, purpurámque, puerorum delinimenta esse ait: exercitus agris & pecuniјs opus esse, non ludicris. Ac multitudine subinde acclamante, eum vera profiteri, Cæsar è tribunali conturbato discessit animo. Aderant & circa Tribunos ea collaudantes, & qui minimè insurrexissent criminantes. Quibus Cæsar se solum iustis hoc modo sufficere posse inquit: & his dictis in sequenti die non comparuit, nec quò loci se contulisset, sciri poterat. Exercitus igitur deposito timore, non iam sigillatim, verùm per partes consurgens, atq́ conclamans, à militia dissolui postulabat. Quamobrem Cæsar varijs modis duces eorum sedare conatus est. Et ijs qui in Philippis & Mutina meruerant, veluti antiquioribus, missionémque deposcẽtibus vltro concessit, & ad viginti millia numero, sacramento liberauit, ad insulas eos præmittens, ne cæteros ad dissensionem tumultum've concitarent: his ipsis qui Mutinæ fuerant, hoc solum inquiens, se illis quæ promiserat, quanquam in hunc modum dissolutis à militia, præstiturum fore. Ad aliam deinde multitudinem

conu

conuersus, abeuntes ex sacramento corripuit, quòd præter imperatoris sui mentem ab armis discessissent. Præsentes insuper laudibus prosecutus est, quàm ocyssime à militia absoluere pollicitus. quòd nihil pœnituisset eos: diuites præterea effecturum cum dissolueret: ac tum quidem quingentas drachmas Vnicuique repræsentaturũ esse. Quibus dictis, mille & sexcentorum talentorum tributa Siciliæ imposuit. Prætores ad hæc Libyæ Siciliæq́; declarauit, exercitu in Vtraque diuiso. Naues ab Antonio susceptas Tarantum præmisit. Reliquarum copiarum partem in Italiam classe deferri iussit, partem ex insula ipse enauigans secum duxit. Aduenienti Senatus honores nullo adhibito modo exhibuit: quorum omnium iudicem, an Vniuersos, an partem potius sibi assumeret, eundem statuit, & à longe proficiscenti cum populo pariter occurrit. Turba omnis sertis redimita, ad sacra primum, ex sacris deinde domum redeuntem comitata est. Postridie delatus in Senatum, concionem de gestis per eum in Republica administratione à principio Vsque in finem habuit. Porrò quæ elocutus fuerat, in scriptis redigens, libellum edidit, per quem pacem & concordiam confectis ciuilibus bellis omnibus ediceret. Tributa quoque debentes absoluit. Publicanorum, & mercedes assumentium debita recensuit: & ex decretis

sibi

sibi honoribus percepta pompa, sacerdotium annuum ijs quibus vicisset diebus, sibi assumpsit: aureumq́; trophaeum in foro ea forma qua ipse ingressus esset, columna rostrata supereminente decerni passus est, cuius statuae huiusmodi inscriptio adiecta fuit, Quoniam pacem iampridem conturbatam terra marique stabilisset. Populo pontificatum maximum à Lepido in ipsum transferente ad vitae vsque finem non admisit, & vt hostem interficere illum suadentem vltro renuit. Epistolas per vniuersos emisit exercitus, quae inscriptae essent, adopertis ipsis statuta die executioni mandari imperans. Erant autem hae de seruis inscriptae, qui per seditionem arrepta fuga, militiam exercuissent, & quibus libertatem Pompeius postulasset, Senatus verò ex foedere sanxisset. Hi igitur vna die intercepti sunt, quos Romam missos Caesar Romanis Italisque quibus inseruiuerant, aut eorũ successoribus ascribi iussit. Reddidit & vicissim Siculis eorum seruos. quorum autem domini haud inuenti sunt, iuxta vrbes è quibus profugissent, eius mandato interficiuntur. In hunc modum seditionibus finis adhiberi visus: cum Caesar octauum supra vigesimũ aetatis attigisset annum: quem vrbes in deorum suorum numero adscripserũt. Deuastata ex seditionibus Roma vrbe, ac Sicilia omni palam depradata, & rapto-

ribus audacia potius quàm latrocinio grassantibus, Sabinus à Cæsare electus ad directionē earum rerum, multa comprehensorum perpetrata cæde, eodem anno pacem tutam incustoditamq́ firmauit. Et ex eo tēpore exercitum custodum noctis morem formámque sumpsisse memorant. Magna igitur cunctorum admiratione tam celeriter insperateq́ directis omnibus, plurima etiā circa Rempublicā, annuosq́ magistratus, & patrios mores emendare instituit, & epistolas quæ alicuius dissensionis signa continerent, igne cremauit: præfatus vniuersam Rempublicam tum demum restituere velle: quumprimum Antonius è Parthis redijsset. fidere quippe illum principatum depositurum esse, ciuilibus compositis bellis. Quamobrem præconijs illum extollentes Romani ciues, in futurum perpetuum sibi tribunum delegere, vt à primo magistratu & ipsum pariter auerterēt. Quibus idem assentiri visus est. Antonio quoq́ ex eadem causa nuntium emisit. Ille Bibulum ad eum venientem, his de rebus conferre monuit, ducesq́ ad prouincias pariter elegit, contra Illyrios gesturus bellum. Pōpeius interim ex Sicilia ad Lacinias prouectus arces, Iunonis templum donarijs insignibusq́ refertum: ad Antonium paraturus fugam, prædæ exposuit. Mitylenas postmodum delatus, moram egit: quo in loco puerum quondam

dam existentem Pompeius genitor, Cæsaris subiturus bellum, cum matre dereliquerat, demum superatus inde auexerat. Antonius ea tempestate in Mediam profectus, Medos Parthosq; oppugnabat. cui Pompeius in reditu seipsum dedere instituerat. Sed cum ab hostibus bello victum intelligeret, idq; latius vulgaret fama, iterum in spem conuersus est, quasi successurus Antonio si interijsset, aut cum eo diuisurus imperium si accederet. Quippe Labienus paulò antè Asiam excurrens, plurimum illi obuersabatur animo. Non multo deinde post Antonium Alexandriam redijsse nuntiatum est. Ad vtraq; igitur cõuersus, iterum oratores ad eum destinat, verbo quidem vt se amicum, belliq; socium venisse ostenderet, re autem vt vires eius perspectaret. Sic in Thraciam & Pontum nonnullos mittit clanculum cum eorum regibus inituros fœdus, vt si cogitata minus prospere cessissent, ex Ponto in Armeniam fuga penetraret. Misit & ad Parthos. ratus ad residua belli cum Antonio proptissimè admissuros ducem Romanũ scilicet, & Pompeio magno genitum. Intereà classem confestim praeparari, & exercitum eã inscensurũ exerceri iubet, Cæsarem vereri simulans, aut Antonio hæc ipsa instruere. Antonius perceptis his quæ à Pompeio agitabãtur, ducem contra Titium elegit, & naues exerci-

tumq́; è Syria ducentem, Pompeio, si bellũ gereret, arma inferre: sin se illi dedat, cum honore ad se ducere admonet. Legati à Pompeio venientes, his verbis fertur vsi: Pompeius ad te nos mittit ò imperator, neut: quã impotens, si bellum gerere affectet, in Iberiam classe penetrare. eamq́; prouinciam ob parentem eius iampridẽ amicam ac beneuolã, & adhuc ipsi cũ adolescentior esset, se dedentem, eumq́; nunc inuocantem ad res gerendas excitare. Verùm cum tecũ pace perfrui, aut tuis auspicijs, si opus sit, arma sumere, & bellum agere prius aueat idq́; non in præsenti modò, sed cum Siciliam in potestate haberet, Italiamq́; popularetur, ac matrem tuam saluam præmisisset, enixè cuperet, nos ad te quamprimũ venire voluit, eadẽ in præsentia tibi relaturos, quæ sentiret: Quem si admiseris, neutiquam se Sicilia pulsum arbitrabitur: non enim naues contra ipsum Cæsari te concessisse existimat voluntate ductum, sed necessitate. cũ in Parthos minimè victoriam adipisci posses, Cæsare exercitum non præbente tibi, vt cõuenerat. Sed cum facile tibi foret, his quas obtinebas copijs, Italia potiri, idq́; à te minimè in tempore factum sit, nunc vt diligentius consideres, te etiam atq; etiam admonet, ne plerunq; Cæsaris circumuentus insidijs, aut affinitate irretitus, ab illo capiaris, cũ scire possis Pompeium illi affinitate coniunctum,

præter

præter fœdera nulla occasione adhibita oppugnatum extitisse, Lepidum magistratus participem ab illo exercitibus dignitatéque spoliatum. Et ne aliena prosequatur, solum te derelictum esse ait, qui quo minus cõcupita monarchia frueretur, impedimento esses: ita ut ambiguum non sit, Pompeio è medio sublato Cæsarẽ tecum ad arma uẽturum esse. hac profectò tui causa æquum est te animaduertere. Tibi autẽ Pompeius ob beneuolentiam sese offert, uirum optimum ac magnanimum subdolo anteponẽs ac doloso. Nec præterea classem à te Cæsari concessam ex necessitate queritur, cũ exercitu ad oppugnandos Parthos indigeres, quem ab eo assumeres. Cæterùm memoriæ subijcere uisum est, ut intelligas exercitum quem nondũ ad te miserit, tuo imperio subesse, & aduenienti se cum his quas habet nauibus, exercituq́; fidissimo, & nihil ex fuga relinquente ultro dedere. Pacem quippe meditanti, non in ultimis laudum fuerit Pompeij magni seruasse filium: arma uerò prius eligenti, condignam sortem in futurum bellum contulisse. Hæc legatis referentibus, Antonius mandata quæ Titio iniunxerat, illis protulit, ut si re ipsa eadem sentiret Pompeius, quæ illi retulissent, eũ sub Titio ad se uenturum nõ ambigeret. Dum hæc inter eos geruntur, hi qui à Pompeio ad Parthos mittebantur, ab Antonianis ducibus intercepti

sunt, & ad Antonium Alexandriam perducuntur: à quibus singula edoctus Antonius, Pompeij legatos acciri imperat, captósque illis ostendit. Legati deprecantium in morem, virum iuuenem, extremis circunuentum cladibus, trepidantémque ne ab Antonij excluderetur amicitia, ad hac inductum retulerunt, vt perpetuos Romanorum experiretur hostes. Cæterum id se opere statim ostensurum, quamprimum Antonij mentem cognouisset, nec vlterius experientia alia aut meditatione vsurū esse. Quibus Antonius ob ingenij simplicitatem, magnanimitatémque facilè assensus est. Intereà Furnius Asiæ præfectus sub Antonio, Pompeium ad se venientem ac nihil trepidantem suscepit, nec prohibere, aut aduersus contendere potentem, nec Antonij animum adhuc clarè dignoscentem: sed cum exercitantem copias suas intueretur, nonnullos ex sibi suppositis elegerat, & Aenobarbum finitimi exercitus ducem, aliáque ex parte Amyntam magna celeritate conuocarat. quibus propere accedentibus Pompeius questus est, si hostem eum arbitrarentur esse, qui legatos se suaq; dedentes ad Antonium misisset. Et hæc dicens Aenobarbum ex Curij proditione, qui cum eo obuersabatur, intercipere cogitabat, sperans ad eius restitutionem Aenobarbum magna ex parte conferre posse. Proditione detecta,

tecta, Curius inter primos Romanorum deprehensus interijt. Pompeius Theodorum libertum, quòd solus eius consilij esset particeps, ne commissa proderet, occidit. Et qui circa Furnium aderant, nihil ulterius inquisituros autumans, Lampsacum per proditionẽ capit: quod oppidum multos Italos ex incolatu C. Cæsaris eum in locum translatos continebat, quos magna mercede allectos stipendio sibi adiunxit. Iam equites ducẽtos, peditum legiones tres in unum congregarat, & Syzicum terra mariq́ oppugnare cœperat, quem illi ab utraq́ parte repellebant. Nam exercitus quidam Antonij licet modicus intra urbem castra habebat, & custodes nonnulli gladiatorum qui his in locis alebantur, ut frumentũ cõportarent, in Achæorum portum se transtulerant, Furnio haud deterioribus eorum imperante, ac cõtinuè cum equitum ingenti manu propius illi castrametante, nec ad urbes aut frumentatum ire permittente, Pompeius equitatu nullo fretus, Furnij exercitum ex circuitu quodã latens à frõte aggreditur. Ob id Furnius in Pompeiũ versus à tergo ab exercitu excussus est: quem per Scamãdrium campũ insecutus Põpeius, plures in fuga occidit. Erat quippe ex imbribus lubricus admodum & madens campus, nec gressus sustinebat. Qui verò è fuga saluati sunt, congredi non ausi, cum impares illis essent, cessere

loco. Id cum in Mysiis, Propontide, ac alijs finitimis in locis vulgaretur, egeni tenuésque ob tributorum assidua onera sponte ad Pompeij mercedes confluebant, victoria potissimum fama ducti, quæ in Achæorum portu adepta ferebatur. Equitatu itaque haud abunde munitus Pompeius, & ob id inter pabulandum non sine damno reiectus ab hostibus, equitum cohortem Italam ab Antonio seducere tentauit, quæ ab Octauia Athenis hyemante ad eum mittebatur: statimque nonnullos eius rei causa cum auro ad cohortem destinat. Verùm hos Macedoniæ præfectus ab Antonio deprehensos intercepit, aurumq; inter equites distribuit. Pompeius capta Nicæa & Nicomedia pecunijs abunde potitus est; ac subitò præter opinionem vniuersa illi adaucta sunt. Furnio haud longè castrametante, primum ex Sicilia incipiente vere octoginta naues ad eum accesserunt, quæcunq; ab Antonio Cæsari accommodatæ aduersus eum, ea in pugna superfuerãt. Bello quippe Siculo peracto, Cæsar easdem à cæteris absoluerat. Venit & ex Syria Titius viginti supra centum comitatus nauibus, copijs quoq; ingentibus adauctus, omnesq; in Proconessum arma sustulerunt. Territus igitur ob Titij aduentum Pompeius naues incendit: remiges omnes quasi cæteris ad congrediendum in terra potiores, armis instruit. Cassiu-

sius

sius autem Parmensis, & Nasidius, et Saturninus, & Thermus, Antistiusq́ue, & quicunque alij digniores cum Pompeio obuersabantur, & honoratior cunctorum Fannius, socer quoque ipsius Libo, quamprimum præsente Titio, cui Antonius Pompeij res iniunxerat, potentia longè superabat, à bello minimè cessantem conspexerunt, desperatis rebus suis, fide pro se ipsis habita, ad Antonium transiere omnes. Ita ab amicis destitutus Pompeius, ad Bithyniæ mediterranea se conuertit, in Armeniam subinde profecturus, vt aiebāt: quem clanculum nocte discedentem Furnius & Titius, & vltra hos Amyntas insecuti sunt, eumq́ue circa vesperam continuo cursu deprehendentes, separatim appositis castris obsidere pergunt, in colle quodam sine vallo & fossa vtpote nocte defessi considentes. Sic se habentibus, Pompeius ter mille scutigerulos per tenebras immisit, multosq́ue ex illis decumbentes adhuc, & raptim è stratis excitos neci dedit. Illi igitur nudi turpissimè in fugā abeunt. creditúmque est, si hostes vniuerso cum exercitu, conuersione iam occepta, Pompeius nocte insecutus esset, celerem fortè victoriam de omnibus fuisse habiturum. Verùm hæc deo aliquo aduersante neglexit, nec aliud vlterius conatus iterū ad mediterranea iter tenuit. Illi verò prædabundi insequebantur, & frumen-

tatum ire prohibebant, donec inopia deuictus, cum Furnio in colloquium venire postulauit, magni Pompeij beneuolo olim atque amico, & quem præ cæteris egregium moribusq; cōstantem arbitrabatur esse. Fluuiū igitur in medio nactus, se legatos ad Antonium misisse aiebat, adijciebatq; se ob famē & incuriā de ipso habitā, hæc interim egisse: Vos enim, aiebat, si ex Antonij mente bellum mihi infertis, malè sibi consulit Antonius, insurgens in se bellum haud aduertens. Sin Antonij mentem præuenistis, testor suadeoq; vt legatos meos ad eū missos expectetis, vel me suscipiētes ad illū adducatis. Dedo enim iam me tibi soli Furni, hoc tantū pro fide exigens, quòd me ad Antonium saluum comitabere. Sic ille locutus est, Antonio ob naturæ eius bonitatē facilitatemq; confisus, & quæ in medio erant, dūtaxat veritus. Furnius Pōpeio in hūc modū retulit. Si quidē seipsum à principio Antonio dedidisset, ad illum fuisse profecturum, aut responsiones eius Mitylenis quiescentem moraturū. Verùm cum ad omnia gessisset bellum, vt notum erat, nihil ad intelligentes his verbis opus esse. Nunc enim te, inquit, pœnitet, neque nos duces in vnum repulisse, neque te Titio vicißim permisisse. Titio nempe quæ ad Antonium pro te necessaria essent, commissa sunt, & quā à nobis fidem postulas, ab illo prius fuit exigenda:

cui

cui iniunctum est, aut te bello grassantē interimere, aut illi permittentem cum honore ad se ducere. Caeterum Pompeius Titio vehementer succensebat, quòd belli gerendi curam in eum suscepisset, quem aliàs à se captum conseruarat. Hac igitur opinione ira concitus, cum Titium haud praeclarū virum arbitraretur esse, & vt suspectum vereretur, & inueteratam quandam contumeliam beneficio eius adiunctam intelligeret, Furnio iterū se dedere velle aiebat, & vt eum susciperet orabat. Non admittente eo, Amyntae se committere respondit. Cui Furnius nec Amyntā eum suscepturum esse ait, contumelia ductum eorum quae in Antonium egisset. Et his profectò qui circa Furnium erant, opinio affuit, Pompeiū ex praesenti inopia insequenti die se suaq́ Titio permissurum fore. At verò Pompeius instante nocte consuetos ignes derelinqui, & tubicines interualla noctis more solito praecinere mandauit. ipse clanculum cum potioribus tentorio egressus est, quibus nec quid acturus foret, aut quò profecturus, patefecit. Deliberauerat quippe ad mare progredi, ignemq́ Titij classi immittere: quod fortaßis effecisset, nisi quod Scaurus ab eo trāsfuga iter per quod se proriperet, quāquam meditationem eius ignoraret, edixit hostibus. Tum verò mille et quingentis equitibus Amyntas comitatus, Pompeiū nullo equite sti

te stipatum insecutus est, at protinus qui cum Pompeio fuerant, ad Amyntam iam propinquum effugerunt, nonnulli clam, alij palàm discedentes. Destitutus igitur ab omnibus Pompeius, & id suos veritus, nullo fœdere seipsum Amyntæ tradidit, qui nec fœdere proposito se Titio tradere sustinuit. Eoq; modo Pompeius Sextus captus est, residuus magni Pompeij filius, natu iunior à patre derelictus, ac sub fratre adolescentior adhuc residens, clam in Iberia prædatorijs Vsus nauibus, donec multis ad eum confluentibus, cum Pompeij filius esse nosceretur palàm maria deprædatus est, & aduersum C. Cæsarem audacissime pugnauit. Exercitum quoque ingentem sibi asciuit, naues, pecunias, insulásque consecutus, Vniuersi etiam maris circa occidentem effectus imperator, Italiam fame afflixit, hostes ad fœdera quæ optaret pariter induxit, & quod maximum est, in proscriptionibus patriæ penitus ruēti opem attulit: plures & illustres Viros saluti reddidit, qui tunc proprijs ob ipsum fruebantur laribus. Cæterū deo aliquo aduersante, Vt præmisimus, cum fortunæ prosperitas afflaret, neutiquam hostes bello insecutus est, abunde illis succensere existimans. Huiusmodi igitur Pompeius habitus, tandem inter hostium peruenit manus. Titius Pompeij exercitū Antonio asciuit, ipsum præterea Pompeiū Militi interemit, cum quadrage

drage

dragesimum ætatis attigisset annum, siue propria ad id prouectus ira ob contumeliam illatam beneficij percepti immemor, siue iubente Antonio. Sunt qui Plancum non Antonium id iussisse existiment, quem Syriæ prætorem existentem & ad epistolas quæ Antonio conferrentur institutum, Antonij annulo vtentem, id scripsisse referunt. Nonnulli sciente Antonio, cæterum erubescente, ob Pompeij nomen ac Cleopatram quæ magnum Pompeium præcipua beneuolentia coluerat. Quidam à se ipso id egisse Plancum, hæc intelligentem, & tempus obseruantem, ne Antonio & Cæsari aliquando dissidendi causam Cleopatra Pompeio assentiēs afferre posset. Defuncto Pompeio, Antonius cum exercitu Armeniā iterum aggressus est: Cæsar in Illyrios, qui Italiam latrocinijs prædationibúsq; vexabant, bellum mouit, cum quidam Romanis minimè parerent, alij ciuilibus distraherentur prælijs. Ac mihi quidem visum est Illyriorum res, non vtique diligenter à me cognitas, neq; propriæ scriptionis adimplētes opus, aut prouinciā alibi sortitas, eius tēporis quo gestæ sunt, in fine prius iungendo scribere, eásque Macedoniæ illis finitimæ subijcere.

BELLORVM CIVILIVM FINIS.

APPIANI ALEXANDRINI SOPHISTAE ILLYRICUS

P. Candido interprete.

ILLYRIOS *Græci eos existimant, qui supra Macedoniam & Thraciam à Chaonibus & Thesprotis ad fluuium Istrum sedes habent. hæc enim totius prouinciæ longitudo est. Amplitudo eius ex Macedonia & Thracia montibus ad Pæones vsque, & Ionium mare, Alpiumq́; obiecta prætenditur: quæ dierum quinq; itinerationem cõtinet. Longitudo in triplo productior est, vt Græci perhibent. Romani eam regionem mensuræ subijcientes, longitudinem sex millium stadiorum, latitudinem mille & ducentorum numero contineri putant, asseruntq́; eius prouinciæ cognomen ab Illyrio Polyphemo ortum habuisse. Polyphemo quippe Cyclopi, ac Galathea Celtum, & Illyrium, & Gallum filios extitisse, eósque ex Sicilia progressos, Celtis & Illyrijs, & Galatis, ab ipsis cognomen assumentibus imperitasse. Et hæc mihi inter ple-*

raque

raq; si multis memoratæ placuere. Illyrio deinde filios Achillem, Autarium, Dardanum, Medum Taulantium, Perrhebumq; refert, filias quoq; Parthiam. Daortã. Daserã, aliasq;: à quibus Taulantij. Perrhebi, Achillei. Autarici. Dardani. Partheni, Dasaretij, Darsyq; prodiere. Autario ipsi, Pannonium, vel Paonum potius, & Scordiscum filios fuisse aiunt, Paono Tribalum: à quibus pariter nationum cognomina traducta sunt. Et hæc quidem ab antiquitate repetuntur. Illyriorum gens itaq; vt in tam ampla regione multa & vulgatis nunc quoque inesse cernimus, Scordiscorum, & Tribalorum fuit, qui tellurem ingentem possidentes. tam diu inter se bello dimicarunt, quoad Tribalorum. qui supererant, ad Getas supra Istrum fuga transiere. Hæc natio ad Philippi & Alexandri vsque tempora potens habita, nunc adeo exoluit, vt nullo ferè cognomine superesse videatur. Scordiscorum insuper gens debilior effecta. hi enim à Romanis bello superati; ad Istri tandem fluminis peruenere insulas. Procedente mox tempore, nonnulli iterum regressi Paones incoluere vltimos, & ob id nunc quoque inter Pæones Scordiscorum genus est. Pari modo & Ardiei, cum mari finitimi optima Autariorum loca circa littus inuasissent, eos expulere. Post hos Liburni nauibus plurimum insignes fuisse memorant

morantur. Illyriorum natio alia, qui Ionium insulásque prædabãtur, nauibus citis vsi leuitatéque præcipuis: qua ex causa Romani nunc quoque naues quæ leuitate celeritatéque præstarent, Liburnicas solent appellare. Fama est Autarsos Apollinis indignatione in extremam decidisse cladem. quippe eosdem, Celtásque, quos Cimbros vocant, ad Delphos posuisse castra. statimq́; omnes dispersos aufugisse, multos ante inceptam pugnam, pluuia in eos cum procellis fulguribusq́; desæuiente. His verò qui ad propria redissent, infinitam ranarum vim subortam, quæ putrescentes flumina corrumperent. Vapore deinde ex terra exhalante, pestem Illyriorum ac corruptionem insecutam esse, quæ potissimum Autarios inuaderet, donec profugi à patria, ac pestem deferentes, cùm nemo ob timorem suscipere auderet, trium & viginti dierum progressi iter, ad tellurem palustrem inhospitamq́; venere. & iuxta Bastarnarum gentem condidere vrbes. Celtarum porrò tellurem Apollinem concussisse aiunt, vrbésque absorbuisse: nec prius finem tantæ cladis impositum, quàm & ipsi pari modo è laribus egressi sunt, & in Illyrios qui cum ipsis vnà deliquissent, peruenere: quos peste iam confectos, & ob id debiles, cum facilè vicissent, contrectatione earum rerum morbo correpti, in fugam abiere, & ad Pyrenem vsque

mutauere loca. Cum deinde ad orientem gressus conuertissent, Romani Celtarum metu ducti, cum quibus antea insigni bello dimicauerant, ne & hi superatis Alpibus in Italiam venirent, consules opposuere, qui cum omni exercitu deleti sunt. Huiusmodi Romanorum clades, & terribile Celtarum nomen, omnem inuasit Italiam, donec Marium imperatorem eligentes: qui prius Libycos Numidasque ac Maurusios ingenti prælio deuicerat, Cimbros superarunt, plurimámque illis cædem sæpenumero intulerunt, vt à me cum de Celtis scriberem, suo loco relatum est. Qua ex re debiliores iam effecti, & ob id exclusi tellure omni, multa perpessi, atque inferentes damna, ad propria tandem rediere loca. Et hic finis impietatis à Deo Illyrijs Celtisque impositus. Nec propterea à sacrilegio impias cohibuere manus, verùm iterum ex Illyrijs Celtisque, Scordiscij præcipuè ac Medi, Dardanique Macedoniam simul ac Græciam excurrere, & multa ex sacris deprædati, Delphicum iterum inuasere templum, pluribus ex suis tunc quoque amissis, duobus ac triginta, à prima inter Romanos & Celtas incepta pugna, elapsis annis, & ex ille per interualla cum eisdem depugnantes, denuo ob simile sacrilegium in eos mouere bellum, Lucio Scipione ducente exercitum, iam tum quũ

de ma

idem Græcis Macedonibúsque imperantes: feríntque finitimos ad hæc nefanda socios illis accessisse. Verùm sua sponte nulla exhibita ope Scipioni eos reliquisse. Autariorum memoria ductos, qui per Illyrium omne concidissent: Scipionem verò Scordisciorum vniuersos ferè deleuisse. qui autem è bello superfuerant, ad Istrum fluminisque insulas peruenisse fuga. Ipsum deinde cum Medis & Dardanis, sacri auri pactione corruptum, icisse fœdus: ex quo nonnulli Italorum monumentis suis prodidere, ob hanc potissimum causam Romanos sæpenumero post Lucium vsque ad monarchiam ciuilibus inter se concertasse bellis. Hæc igitur de Illyrijs à Græcis habita, longioribus verbis à me perscripta sunt. Romani verò non hos duntaxat, sed Pæones vltra eos, necnon Rhetios, Noricos & Mysios qui Europam incolunt, & quoscunque alios his finitimos, qui Istrum à dextra nauigantibus sese offerunt, vicissim vt Hellines à Græcis distinguunt, eósque proprijs appellationibus separatim nominant: cæterum communi vocabulò Illyrios omnes arbitrantur. Qua opinione à principio ducti, neutiquam adhuc in ea persistẽtes finem earum inuenere nationum, sed ab Istri ortu vsque ad mare Ponticum, quod sub tributo obtinent, Illyrici fines esse voluerunt. Quemadmodum autem sub imperio illos adegerint

Romani cum de Celtis scriberemus, præfati sumus minimè nos abũde cognouisse, neq; bellorum principia aut occasiones percepisse. Eamq; ob causam qui clarius Illyriorum res discernerent, ad scribendum hortati sumus. Quæ autem nobis nota sunt, propalam efferemus. Agron Illyriorum partis rex fuit, eius quæ circa Ionij maris sinum sita est: quam & Pyrrhus Epiri rex, & qui Pyrrho vicissim adhæserunt, olim tenuere. Idémque & Epiri partem quandam, & Corcyram vltra hanc, & Epidamnum, Pharumq; suscipiẽs sub custodia detinuit. Reliquum autem Ionij cum adnauigaret, insula quædam Essios nomine ad Romanos defecit, & subinde legatos ad eos misit, accusationem eorum quæ in Essios Agron commisisset, deferentes. Illyrij nauigantibus inuecti, Essiorum oratorem Calemporum nomine, necnon Romanorum Coruncanium, vt quidam arbitrantur, interemerũt. Reliqui seipsos neci tradiderunt. & ex hoc Romani nauibus simul & pedestri exercitu Illyrios aggressi feruntur. Agron infante filio superstite, cui Pinæ nomen fuit, diem obijt. Vxori verò regnum, quo filij curam assumeret, quanquam nec illius esset genitrix, seruandum dereliquit. Demetrius qui ex Agronis imperio Pharum obtinebat, Corcyra interim adeptus, Romanis adnauigantibus, vtranque ex proditione illis tradidit.

Roma

Romani Epidamnũ in amicitiam eorum pellexere, & Eßijs, Epidamnisq; obsessis ab Illyrijs ad eorum opem exercitum misere. Quamobrem Illyrij obsidione dissoluta, retrouertere copias, & quidam ex ipsis qui Atintani appellabantur, ad Romanos defecere. Interea Agronis vxor legatos suos Romam misit, & captiuos transfugasque Romanis exhibens, veniam ab illis supplex postulauit, quasi hæc non ab ea, sed ab Agrone potius gesta essent. Romani Corcyram, Pharum, Eßios, atque Epidamnum, postremo Illyrios qui Atintani appellantur, sub eorum imperio cessisse retulerunt. Ptteim aliam Agronis regionem retinere, ac Romanorum societate vti posse, si à præmißis se abstineat, nec ad Eßium Illyrij præterquam duobus lembis, & his quidem inermibus adnauigent: quæ omnia ab illis suscepta sunt. Et hæc prima Romanorum cum Illyrijs prælia, fœderáque extitere. Post quæ Corcyram & Apolloniam libertate donauerunt. Demetrio quoque proditionis dedere præmia, ob ea quæ contulisset, infidelitatem tamen aspernantes, quæ paulò post ab eo prodijt. Romanis quippe per triennium circa Eridanum cum Celtis dimicantibus, Demetrius veluti bello implicitos minus veritus, mare percurrit, & Istros Illyriorum nationem aliam sibi vendicauit. Atintanos etiam à Romanis

deficere coëgit. Romani quamprimum Celtarum res composuissent, subito adnauigantes, prædatores intercepere, qui nuper cum Demetrio, cæterisque deficientibus, Illyrijs se coniunxerant. Demetrium porrò ad Philippum Macedoniæ regem fugientem, atque iterum in patriam reuersum, & Ionium classe deprædantem interemere, & Pharum eius patriam cum illo coniurantem euertere funditus, Illyrijs ob Pineum denuò illos admittentem, indulgentes. sic secundò bella fœderáque cum Illyrijs inita sunt. Residua verò à me neque tempore neq; ordine magis omnia, quàm per Illyriorum nationes, quemadmodum singula quæq; reperi, descripta sunt. Romani Macedoniam bello inuaserant, cum Perseus post Philippum eius regno potiretur. Perseo Genthius Illyriorum rex alius, pecunijs inuitatus ad bellum socius accesserat, Illyriósque in Romanos concitarat, ac Romanorum legatos ad eum proficiscentes vinculis iniecerat, causatus non legationis sed explorandi occasione ad se venisse. Ob eam rem Anitius Romanorum prætor nonnullas Genthij naues mari cæpit, deinde in terram progressus, eundem bello superauit, & loco quodam conclusum, cum veniam deposceret, Romanis se dedere suasit. Ille ad consultandum tres dies postulauit. Quibus concessis, cum interim sibi

subd.

ſubditis ad Anitium tranſirent, ut ad eum accedere poſſet, exorauit. Ad quem delatus, genu procumbens ſumma turpitudine pro ſeipſo deprecatus eſt. Anitius trepidantem adhortatus, manu ſuſtulit, & ſimul in conuiuio diſcumbere monitum, cum è triclino diſcederet, à miniſtris in cuſtodiam inijci mandauit, quem Romæ deinde cum filijs in triumpho habuit. Genthij bellum diebus viginti conſummatum fuit: ſeptuaginta illius Vrbes Aemilius Paulus qui Perſeum regem bello ſuperauit, & ad Senatum miſit, in hunc modum depradatus eſt. Clanculum enim Romam profectus, & inde reuerſus, à Senatu ſumma celeritate Vrbium incolis commiſſorum veniam concedere velle, allato omni quod haberent auro atque argento, pollicetur. Conſentientibus ipſis, exercitum ad vnamquanque eorum Vrbium per partes intulit. Tandem vniuerſis exercituum ducibus definita die ad auroram per præconem Vrbes publicè diſcurrere, omnésque pecunias intra horarum trium ſpatium in forum deferri à ciuibus imperat. Quibus allatis, reliqua omnia prædæ expoſuit. Sic Paulus vna hora ſeptuaginta ſpoliauit Vrbes. Ardiei autem & Palarij alia Illyriorum natio, Illyrium quod à Romanis tenebatur, inuaſerant: quibus Romani ob occupationes miſere legatos qui illos deterrerent. Non parẽtibus verò exercitum decem millium

 pedit

peditum, equitum sexcentum destinant. Illi cognita re, nondum parati in bellum, legatos suos Romam mittunt, & Velusi gestorum per eos pœniteret, veniam expostulant. Senatus damnorum impensam, quam indignè oppressis intulissent, persoluere illos iubet. Cum id quoque neglexissent, Fuluius Flaccus ingentibus copijs in eos proficiscitur. Prælium ad excursionem duntaxat vsque finitum est: non enim exitum diligenter inuenire potuerunt. Iapodes intra Alpes incolentes, Sempronius Tuditanus cognomine, & Tiberius Pandusius pugna superarunt, visúmque est illos ambobus paruisse. Pari modo & Segestani Lucio Cotta ac Metello se dedidere: verùm omnes non multò post à Romanis desciuere. Dalmatæ Illyriorum ab his diuersa natio. Illyrios Romanis obsequentes inuaserunt, & legatos Romanorum eam ob causam ad eos venientes minimè admiserunt. Quamobrem videntur Romani aduersus illos sumpsisse arma, Marco Figulo consule ducente. At hi Figulo quamprimum inferente copias, custodias aggressi superarunt, easq; ab exercitu in campum pepulerunt, ita vt ad Naronem vsque fluuium fuga peruenirēt. Verùm ijdem retrouertere gradum: iam enim instabat hyems. Figulus ratus eos inopine aggredi posse, discurrentes vndique ad eius impetum ex oppidis offendens, in fugam vertit, donec ad

vrbem

Vrbem Delminium, à qua Dalmatarum nomen illis inditum, terga dare compulit. Cum nihil ex impetu aduersus munitam Vrbem conari, neque machinas ob altitudinem adhibere posset, ad alias excursiones se conuertit. Destitutis omnibus & inhospitis ob insultus in Delminium factos, ipse bicubitas sudes pice ac sulphure stuppáque componens ex catapultis in Delminium iacit, quæ ab impetu succensæ, & lampadarum Vice per inane Volitantes, quæcunque attigissent, igne corripiebant. Ita multa flammis absumuntur: eóque modo finis belli à Figulo Dalmatis imponitur. Sequenti tempore Cæcilius Metellus consulatum adeptus, nihil deliquentibus Dalmatis triumphandi libidine bellum ex decreto intulit. A quibus amicè susceptus, in Salone eorum Vrbe transegit hyemem. Postremò Romam delatus, nulla ex causa triumphauit. Cæsare haud longe in Celtas ducente copias, Dalmatæ, aliíq; Illyriorum populi prosperè rem gessisse Visi sunt, & Liburnis, quæ Illyriorum gens alia habetur, Promonam abstulere Vrbem. Liburni Romanis se dedentes, ad Cæsarem iam propinquum fuga peruenere. Cæsar legatos ad illos misit, hortatúsque est Vt qui Promonam suscepissent, Liburnis restituerent. Despicientibus illis mandata exequi, exercitum ingentem intulit, qui ab Illyrijs oppressus est. Cæsar curis præpeditus

instante Pompeianorum seditione, cum iam ad bellum inclinaret, nihil vlterius molitus est, verùm cum omni exercitu, quanquam tempestate aduersa, à Brundusio Ionium transmisit, cum Pompeio in Macedonia gesturus bellum. Reliquum exercitum Antonius in Macedoniam Cæsari perduxit. Ingenti deinde tempestate tenente Ionium, Gabinius cohortes peditum quinque supra decem, equites ter mille per Illyrium ad Cæsarem adducere tentabat: quos Illyrij timore eorum quæ paulò antè in Cæsarem egissent, cum victoriam eius internecionem rebus suis allaturam arbitrarentur, Gabinio excepto, paucisq́ue cum illo fugientibus, ad vnum interemere omnes, magnámque pecuniarum copiam ob hoc spoliáque innumera obtinuere. Hæc Cæsar ob belli cum Pompeio necessitatem dissimulanter tulit. Deuicto deinde Pompeio, cum reliquias seditionis huius per partes persecutus esset, tandē compositis omnibus Romam rediJt, expeditionémque in Getas Parthósque præparauit. Veriti itaque Illyrij ne Cæsar ex itinere in eos insultaret, legatos Romam mittunt, qui actorum veniam deposcerent, séque in amicitiam eius societatémque dederent, Illyriorum gētem veluti bello inclytam verbis extollentes. Cæsar in Parthos profecturus; acerbius responsum reddidit: minimè amicorum loco habiturum eos qui talia in ipsum

pers

perpetrassent: indulgere autem velle si tributa contulissent, obsidésque dedissent. Vtraque pollicentibus ipsis, Atinium cum tribus legionibus magnóque equitatu ad eos mittit, qui tributa quadam parua imponeret, obsidésque reciperet. Defuncto interim Cæsare, rati Romanorum res, vt in illo potissimum vires habuissent, ita eius morte penitus extinctum iri, Atinio vlterius parere recusarunt, neque tributa aut obsides conferre voluerunt. Grassante in eos quinque cohortibus Atinio, Illyrij in illum conuersi, bello superarunt, ductorémque ordinis Bebium consularem virum interemerunt. Atinius cum residuis ex fuga Epidamnum sese contulit. Romanorum deinde Senatus exercitum huiusmodi, & Macedoniam vltra ipsum, Illyriósque omnes quibus imperabat, Marco Bruto, qui Cæsarem occidit, quemadmodum & Syriam Cassio eiusdem necis conscio & participi, concessit. Sic illis aduersus Antonium Cæsarémque Augustum cognomine pugnantibus, Illyrij nullo otio potiti sunt. Pæones verò natio ingens circa Istrum perlongum incolens, ab Iapodum populis supra Dardanos protenditur. Hi Pæones à Græcis, à Romanis Pannonij appellantur, & ab illis, vt præmisimus, inter Illyrios annumerati sunt: de quibus nunc mihi Illyriorum res recensenti videtur differendum. Gloriosi hi admodum ob Macedonū Agrianos

qui

qui potissimum Philippo & Alexandro in bellis praestiterunt, quoniam & hi Paeones fuere, ex his qui inferiora incolunt, ab Illyriis coloni editi. Caeterùm cum Cornelius adversus Paenos exercitum deducens, turpiter reiectus esset, ingens Paeonum fama Vniversam formidine concussit Italiam: ac deinceps per longum tempus, qui consulatum apud Romanos gerebant, haudquaquam Paeones bello aggredi ausi sunt. Et haec iampridem tam ingentia de Illyriis & Paeonum populis scrutando reperi. In Caesaris Verò commentariis, eius qui Augustus cognominatus est, nihil antiquius de Paeonum gente perscriptum legi. Aliam quoque Illyriorum gentem, praeter eam quam retuli, Romanis paruisse mihi Visum est: Verùm quae ea sit, haud intelligo. Non enim alienas res Augustus, sed proprias conscripsit: quemadmodum ab imperio deficientes ad tributa redegit, & alias sub propriis legibus degentes bello superauit. Postremò reliquas omnes quae summitates Alpium incolunt barbaras bellicosasque nationes per Vim subdidit, quae finitimae Italiam furtim praedabantur. Et profectò mirum mihi Videtur, cum tam multae magnaeque Romanorum copiae contra Celtas & Iberos Alpes pertransierint, eas nationes contempsisse, Caium etiam Caesarem felicissimum in bellis Virum, pari modo

Augusti commentarii.

eos

eos neglexisse cum Celtas oppugnaret, & per decem ferè annos circa prouinciam illam hybernasset. Cæterùm arbitror hos viros ad ea quæ elegissent properantes, de transitu Alpium duntaxat cogitasse. Caius Cæsar circa Celticam moram ducens, seditioni Pompeianæ, quæ hæc ipsa sibi assumeret finem solum apponere curauit. Videtur insuper & Illyrium & Celtas simul eligens, non omnibus, sed his quæ ad Romanos pertinerent, præfuisse. At verò Cæsar Augustus vniuersa adeptus, cum inter loquendum Antonij inertiam Senatui explicasset, Illyriam gentem præ cæteris bellicosissimam, & eundem sæpenumero infestantem, mitem reddidisse: Oxyeos, Perthenetas, Bathiates, Taulantios, Cambeos, Cinambros, Merromenos, atque Pyrisseos, omni experientia edita sibi subdidit. Maiore insuper labore capti sunt, & ad tributa quæ soluere desierāt, impulsi, Docleatæ, Carinij, Interfrurini, Narisij, Clintidiones atque Taurisci. Quibus victis finitimi metu territi, Ippasini scilicet & Bessi se illi tradidere. Deficientes verò Melitinos & Corcyræos, qui insulas incolunt ingenti belli mole superauit, quoniam maria classe prædabantur. Et horum quidem impuberes Cæsar iussit interfici, reliquos pretio venundedit. Liburnis naues ademit, quoniam & hi pariter maria infestabant. Ex Iapodum gente, quæ

intra

intra Alpes habitat, Moentini & Edeata ipsi aduenienti se vltro tradiderunt. Aurupini qui plurimi & bellicosissimi ex Iapodum natione referuntur, ex villis ad vrbem secesserunt. Appropinquante itaque illo, inter syluas latuerunt. Cæsar capta vrbe neutiquam ignem inijci passus est, ratus eos se tandem illi esse dedituros. Quo facto, vrbem vt incolerent, omisit. Maximè autem inter omnes Cæsari impedimentum attulere Salassi & Iapodes qui vltra Alpes incolunt, Segestani, Dalmatæ, Daisij, Pæonésque, qui Salassis sponte adhæserant. Hi vertices Alpium tenent, montes inaccessi, arcta semita ac difficilis ad eos ducit, quorum fiducia proprijs degebant legibus, & vectigalia à transeuntibus poscebant. Hos Veterus inopine aggressus, angusta locorum per insidias occupat, & per biennium obsessos tenuit. Illi salis inopia ducti, quo maximè indigebant, tandem admisere custodias. Postremo à Vetero deficientes munimenta deiecere, & angustijs locorum occupatis, qui à Cæsare ad ipsos mittebantur, irrisere, cum nihil magnum in eos conari possent. Ea ex causa Cæsar instante contra Antonium bello, suis legibus degere concessit, & qui Vetero insultassent, veniam indulsit. Hæc omnia ad suspicionem vertentes, ipsi alias iterum vrbes congregabant, & quæ Romanis parerent inuadebant, donec Messala

Cor

Coruinus, vt illos expugnaret à Cæsare præmissus, fame domuit: eóque modo Salassi in Romanorum cessere potestatem. Iapodes qui vltra Alpes incolunt, natio ferocissima, ac penè siluestris, bis à se per annos ferè viginti Romanos repulere. Aquileiam quoque excurrere, & Torgium Romanorum coloniam deprædati sunt. Insurgente in eos Cæsare per iter asperum atque aduersum, adhuc magis contra eum irritabantur, nemora in oppositum illis præcidentes. Cum deinde ad aliam syluam diuertisset Cæsar, in fugam abeunt, & appropinquanti struxere insidias. Cæsar id ipsum suspicatus, ad montium apices ex suis mittit, qui eos vtraque ex parte aggrederentur. Summissius aduectante illo & syluas excidente, Iapodes ex insidijs subitò apparuere, multósque affecere vulneribus. Verùm maior eorum pars ab his qui ex apicibus decurrerant interfecti sunt. Reliqui iterum ad syluas reuertuntur, vrbem relinquentes, cui Terponus nomen fuit. Eam interceptam Cæsar minimè cremauit, satis arbitratus, pariter illos se esse dedituros, vt fecere. Deinde ad aliam processit vrbem, Metulium incolæ nuncupant, quæ Iapodum primaria habetur vrbs. Sita est autem in monte nemoroso, duobus condita tumulis, quos vallis modica intersecat. Et iuuentus ad trium millium numerum armis animisq; præpollens.

pollens, Romanos circa mœnia pugnantes facilè ab illis repellebat. At hi aggerem erigentes à Metulijs hinc inde discurrentibus die noctúque vexabantur, & è muris machinarum ope, quas in bello acceperant, longius distare cogebantur. Nam ea pugna, quam Brutus haud longe ab eo loco cum Antonio & Cæsare ipso simul habuit, machinas susceperant. Dissipantibus interim Romanis eorum mœnia, illi interius propugnacula alia struebant, & labore defessi, in ea quæ construxerant, saltu ferebantur. Romani recepto muro, qui ab illis relictus fuerat, ignè succendunt, ad reliquum verò aggeres binos erigunt: à quibus pontes subinde quatuor ad mœnia struxere. Peractis omnibus Cæsar nonnullos ad aduersam vrbis partem ire iubet, vt ciues abinuicem distraheret, reliquos ex suis per pontes ad mœnia accelerare admonet. Interim ab edita turri, quæ fierent, intentus prospectabat. Barbari ascendentibus ipsis ex aduerso per mœnia occurrunt. Cæteri à tergo insidias struentes, cùm pontes longos lanceis appellerent, adhuc magis exultare incipiunt. Vno igitur ex pontibus, deinde alio post primum corruente, cum tertius in ruinam laberetur, timor omni ex parte Romanos occupat, nec vllus quartum pontem audebat ingredi. Cæsar igitur è turri eos increpare pergit.

git. Cùm nec sic in bellum concitare posset, ipse clypeo assumpto per pontem cursu ferebatur, Accurrunt & cum eo ex ducibus Agrippa, & Hieron, Luciusq́, ex corporis custodibus Iolas, quatuor hi soli, ac scutiferorum nonnulli pontem occupant. Cæsare igitur pontem transeunte, rubore ducti milites confertim ad eum aduolãt. Qua ex causa prægrauatus pons ad inferiora statim labitur, Viriq́ inuicem plurimi in terram corruunt, ex quibus nõnulli periere. Alij ferme contritis membris efferuntur. Cæsar crus dextrum & Vtrũq́ brachium saucius, denuo turrim conscendit, consularibus quibusdam prosequentibus, Vt ex fide se incolumem esse ostenderet, ne quis interim ex rumore mortis eius, tumultus oriretur, aut hostes illum terga Vertere putarent: ac protinus alium exædificare iubet pontem. quæ res præcipuè Metulios exterruit, cum se aduersus hominem animo penitus inuictum bellum iniisse cernerent. Postridie itaq́ legatis ad eum missis quingentos quos idem postularat, exhibuere obsides, & custodias admittere polliciti, altiorem Vt custodirent reliquere tumulum. Ipsi in alterum omnes secesserunt. Cùm custodes ad eos Venientes arma deponere iuberent, animo turbati, mulieres eorum atque filios intra Senatus conclusere locum, & custodias simul admittentes, Romanis annuntiant, si

quid insolitum erga eos moliri audeant, se locum illum incensuros, & cum desperatione pariter Romanos inuasuros. Quibus dictis, ex inferiore loco quasi superiorē ascensuri in vnū coëunt. Tunc vero custodia Senatus locum vltro incendunt. Plurima igitur mulierū seipsas filiosq́ interemere. Quædam natos viuos deferentes iniecere igni. Sic omni Metuliorum iuuentute ferè in armis concidente, & inutilium maiore parte igne conflagrante, ciuitas quoq; incendio absumpta est, ita vt nullū tam ingentis vrbis superfuerit vestigium. Deuictis Metulijs, Iapodum reliqui timore ducti, seipsos Cæsari dedidere. Sic Iapodes, qui vltra Alpes incolunt, tunc primum Romanorum tulere iugum. Recedente deinde Cæsare, Posseni ab illo defecerunt quos Marcus Elbius ad eos missus bello domuit, & qui defectionis causa fuerant occidit reliquos pretio venūdedit. In Segestanorum igitur tellurem bis anteà profecti Romani, neq; obsides neq; aliud quicquam ab illis abstulerant. Quæ ex causa Segestani maiores spiritus sibi assumpserant. Cæsar per Pæonū tellurem, cum & hi nondum Romanis paruissent, in eos profectus est. Nemorosa quippe Pæonum regio est, & in longum ab Iapodum populis vsque ad Dardanos protenditur. Pæones nullas vrbes habēt, agros duntaxat & villas per cognationes possident.

Neq;

Neq; iudicia cõmunia illis adſunt, neq; princi pes qui cæteris præſint. Ipſi centum millia virorum ætate ad bellum integra vtiq; habebãt, verùm imperio carentes minimè in vnum con gregabant. Appropinquante Cæſare, ad ſyluas delati fuga, ſi quos ex Romanis palantes repe- riſſent, occidebãt. Cæſar quoad illos ad ſe ven- turos credidit, neq; villas neq; agros eorũ de- populatus eſt. Non accedentibus, ignem omni- bus immiſit, & per continuos octo dies maxi- mis affecit cladibus, quibus in Segeſtanorum & Pæonum regionem vſque ad Saum fluuiũ eſt profectus. Huius in ripa ciuitas latiſſimo fluuio & ingenti foſſa munita conſidet. Qua ex cauſa potiſſimum Cæſar illam inuaſit, velu ti belli horreum in Dacos, Baſtarnaſq;, qui vltra Iſtrum incolunt, habiturus. Idem fluuius his in locis Danubius dicitur, nec multo dein- de inferius elapſus vberioribus aquis, pro Da- nubio Iſtri nomen aſſumit. Saus autem Iſtrum influit. Erántque Cæſari naues eo in flumine, quæ commeatum ad exercitum per Danubiũ afferrent, ob id Cæſar Segeſtam vrbem ſibi aſſumpſerat. Progrediente eo, Segeſtani lega- tos deſtinant, quid facto opus ſit, ab eo exqui- runt. Ille cuſtodias accipere, & obſides cen- tum afferre imperat, vt tute eorũ vrbe velu- ti horreo aduerſus Dacos vti queat. Frumen- ti inſuper quantum ipſis liceat efferre. Hæc

igitur primores exequi haud iniquum existimabant. Populus contra turbari cœpit, obsidesq́ contemnere, quoniam non ab ipsis forsan liberi sed à primoribus dandi essent. Accedente igitur custodia, aspectũ ferre nequeũtes, furibundo impetu aduolant, portasq́ protinus occludunt, ac desuper è mœnibus iterum sese offerunt. Ea ex re Cæsar fluuium ponte coniunxit, vallum fossasq́ vndiq́ communit. Conclusis ciuibus intra vrbem, aggeres binos erigit, ad quos Segestani sæpenumero cursu ferebantur, sed cum aggeres inuadere nequirẽt, faces, ignemq́ plurimum ex superiore loco iaciunt. Appropinquantibus ad eos subsidijs à Pæonum natione alia, Cæsar ex occursu insidias illis instruit, sic eorum pars interimitur, pars in fugam vertitur, nec vlla vlterius Pæonum ad Segestanos accessere subsidia. Segestani obsidionem omnem fortißimè perpeßi, trigesima tandem die difficili pugna superantur. Ac tum primum supplicare didicere. Quorum virtutem Cæsar admiratus, necnon precum pietate motus, neutiquam occidit, aut clade vlla conturbauit, sed pecunia mulctare contentus, in ciuitatis semota parte conclusit, & quinque supra viginti cohortes pro custodia vrbis intulit. His peractis, Romam denuo in Illyrium rediturus abscesßit. Fama deinde vulgante Segestanos custodiam quam

in

in Vrbem recepissent, per Vim interemisse. Cæsar quanquam hyemis tempore, cursu ad eos proficiscitur. Tandem rumorem falsò editum intelligens, Veritatis causam subinde inuenit, Suos in periculo constitutos fuisse, Segestanis inopine eos inuadentibus, à quibus multi confestim interempti essent, Verum sequenti die milites ciues inuadentes obtinuisse Vrbem Quamobrem Cæsar copias in Dalmatas conuertit, gentem Illyriorum aliam, & Taulantijs finitimam. Dalmatæ quidem ex quo sub Gabinio quinque cohortes interimentes signa ademerant, ob res prosperè gestas animis elati, per decem annos neutiquam deposuere arma, & aduenienti Cæsari Vnà cum Segestanis occurrere statuerant. Erant quippe bellicosissimorum millia duodecim, & Vltra: ducem quoque ipsis Versum nomine præfecerant. Ille Pomonam Liburnorum Vrbem denuo inuadens, Vallo fossáque munierat, aliáque ex natura locorum munitissima occuparat. Nam regio omnis montuosa, collibus Vndique acutis pinnarum in modum erectis prominet. Maior itaque eorum pars Vrbem insederat. Custodias Verò per colles in altum eminentes collocarunt, sic Vt ab excelso Romanorum castra facilè respicerent. Cæsar propalàm omnes muro sepire Velle simulat, clanculum autem audaciores,

qui aditus ad montium summa deferẽtes explorarent, emittit. Hi igitur per syluas se occulentes, nocte custodias inuadunt, & adhuc somno consopitas ferro cadunt, ac Cæsari finem itineris sibi adesse significant, ad expugnationem Vrbis maioribus copijs esse opus, & ex tumulis per vim captis alios supra alios emittunt ad eos qui vlteriores colles occuparant. Confestim igitur turba ac trepidatio Barbaros inuadit, cum se omni ex parte circunuentos esse intelligunt: maximè verò qui in tumulis steterant eminentioribus, ob aquæ indigentiam in primis formidantes ne exitus vndequaq; clauderentur, in Promonam deferuntur. Cæsar vrbem duósque aßistentes colles, qui ab hostibus tenebantur adhuc, per quadraginta stadia muro sepsit, & interim Teutinum, alium Dalmatarum ducentem, vt his qui obsidebantur afferret opem, inuadit, fusumq; per montes insequi pergit, & adhuc prospectante eo Promonam capit. Nam cum munimentis nõdum editis ciues ab extra decurrissent, citoq; repellerentur, Romani fugientibus illis se immiscentes vrbem ingrediuntur, ac tertia ciuium parte deletæ, reliqui in arcem fuga abeunt. Romanorum cohors interim ad portas eos obseruabat. His cum barbari quarta nocte inuecti essent, cohors timore ducta portas dereliquit. Verùm Cæsar hostium

stium impetum confestim repulit, ac sequenti die se dedentes vltro cepit. Ex cohorte, quòd custodiam reliquerat, sorte iacta, decimum quenque morte mulctauit. Ex turmarum ducibus binos ex decem singulis imminuit. Reliquos ea æstate hordeo, frumenti vice, cibari iussit. In hunc modum Promona capitur. Teutimus exercitum per montes fugientem in varias partes effuderat. Quamobrem Romani non longè illos insecuti sunt, diuisionem eorum per tam multa loca, ob viarum inexperientiam, vestigiorúmque implicitam confusionem formidantes. Nulla quippe itinera in vnum copulant nemorum ingressus, & Dalmatæ Gabinio insidias struentes, per vallem profundam, & in longum prodeuntem inter duos montes delituerant, quo in loco insidias Cæsari pariter instruxerant. Cæterum ille itinerum concursus igne succendit, & per montium superiora præmisso exercitu, qui ab vtraque parte ad eum properaret, iter per vallem arripit, syluas vndique præcidens, vrbésque inuadens, & quæcunque obuia in itinere igne corrumpens. Setouia vrbe obsessa, barbarorum manus ingens in auxilium aduenerat: quibus obuius Cæsar vrbem ingredi prohibuit. Eo in prælio lapide genu saucius, per multos dies æger iacuit. Conualescens Romam ad consulatum rediit, cum Bar-

batio Tullo collega magiſtratum initurus: Statilium Taurum ad reſidua eius belli dereliquit, menſis initio ingreſſus conſulatum. Eamet die Antonio adminiſtratione præbita, ipſe in Dalmatas iterum procurrit Triumuiratum adhuc obtinens. Iam enim ſecundi quinquennij tempus effluxerat, quem à ſeipſis à principio inuaſerant, populus verò ſubinde confirmarat. Dalmatæ igitur fame fatigati, commeatu vndique excluſo, venienti Cæſari ſponte obuiant, ſéque illi ſuppliciter dedunt, obſides numero ſeptingentos ex proprijs filijs exhibent. Hos Cæſar Romanorum ſigna Gabinio adempta afferre monuit. Tributa quoque quæ ſub Caio Cæſare olim polliciti, in id tempus diſtuliſſent, perſoluere imperauit. Ita Romanis obſequentiores deinceps effecti ſunt. Ea ſigna Cæſar in porticu quæ Octauia dicitur, appendit. Deuictis Dalmatis, Derbani appropinquante Cæſare, veniam deprecari velle, obſides tradere, & tributa olim intermiſſa exoluere confeſtim promiſere. Igitur Cæſar propius ad illos venit, cui obſides iuxta fœdus exhibuere, quos abſenti ob valetudinem tradere, & fœdus firmare recuſauerant. Videntur & hi poſtremo inducti à Cæſare, qui Illyriorum tellurem omnem quæ è Romanis defecerat, aut prius ſub imperio nentiquam aſſueuerat, ad obſequium redegit.

Eam

Eam ob rem triumphus Illyricus à Senatu Cæsari decretus est, quem post deuictum tandem egit Antonium. Residui deinde Illyriorum habebuntur antè Paones à Romanis Rhetij. Post Paones Norici, Mysiique, qui ad Euxinum pontum vsque incolunt. Rhetios igitur & Noricos existimo Caium Cæsarem cum aduersus Celtas depugnaret, subegisse, aut Augustum cum Paones aggrederetur, bello superasse. In medio quippe amborum sedes habent. Nec vllum in Rhetios aut Noricos bellum gestum priuatim reperi: quamobrem cum reliquis finitimis vnà deuictos fuisse arbitror. Marcus enim Lucullus, Lucij Luculli frater, qui Mithridatem debellauit, Mysiorum regionem excurrit omnem, & vsque ad fluuium cursum tenuit, quo in loco quatuor Græcorum vrbes Mysijs finitimæ sitæ sunt, Istros videlicet, Dionysopolis, Odissus & Mesembria. Deinde Romam ex Gallia magnum illum Apollinem qui in palatio situs est, adduxit. Nec vlterius quicquam à Romanis Rempublicam regentibus contra Mysios actum fuisse, aut ad tributa redactos esse, aut ab Augusto gestum legisse memini, sed Tiberium, qui post Augustum imperauit, eos tenuisse. Verùm hæc à me antè Aegypti adeptionem à populo peracta suo loco perscripta sunt. Quæ verò post Aegy-

VV 5 ptum

ptum imperatores tenuerunt aut bello vendicarunt, veluti propria ipsorum opera, post communia tandem diximus, in quibus multa de Mysijs quoque continentur. Nunc autem ex quo Mysios Illyrios Romani existimant, hic liber à me Illyriorum appellabitur, qui vt absolutus crederetur, praescribere visum est, Lucullum iam antea sub populo imperantem Mysios excurrisse, Tiberium verò sub monarchia illos recepisse.

APPIANI ALEXANDRINI CELTICVS

CELTAE *primi Romanis insurrexisse dicũtur, vrbem quoque, Capitolio excepto, vi captam incẽdisse, quos Camillus vicit & expulit, & post tempus iterum regressos denuo deuicit, triumphumq́; ob id egit, cum iam octogesimum aetatis attigisset annum. Tertiò deinde Celtarum copiae Italiam ingressa sunt, quas Romani sub Quinto Imperatore deleuere penitus. Post hos Boij Celtarũ natio ferocius Romanos aggredium*

grediuntur. His Caius Sulpitius dictator cum exercitu occurrit, stratagemate huiusmodi vsus Jussit enim milites à fronte constitutos vno impetu tela iacere, eodemq; momento statim considere, donec secundi iacula emisissent. Idem tertia & quarta acie locatos agere: cessantes quoq; à tactu continue insimul iungi, ne in eos tela vibrarentur. Cum postremi iacula emisissent, accurrere omnes vno impetu, & cum clamore protinus inuadere hostes, manusq; conserere. Terrefacere nempe aduersos, tot telorum vno impetu excussorum missionem; subitamq; posthac aggressionem. Tela autem non his similia fuere quæ Romani Yssos appellant, sed ex ligno quadrangulo medietas perfecta fuit, reliquum ex ferro pariter quadrangulo, mollią; mucrone excepto. Hoc pacto Boiorum exercitus à Romanis dissipatus est. Alios iterum Celtas Popilius deuicit, & post illum Camillus prioris Camilli filius eosdem debellauit. Erexit & contra Celtas Aemilius Paulus trophæa. Ante Marij autem consulatus, longe numerosior, bellicosior, & ætate formidatior exercitus Celtarum Galliam inuasit, & Italiam, & quosdam ex consulibus Romanis superauit, exercitusq; deleuit, cõtra quos electus Marius vniuersos bello vicit. Vltima, maiorq; Gallorum cum Romanis pugna, à Caio Cæsare peracta est. Plura quippe millia ferocissimor

ſimorum virorum per decem ferè annos, quibus Galliæ præfuit, cum eodem geſſere bellum, quæ ſi quis ſub vno numero complecti cupiat, quadringenta & vltra millia fuiſſe intelliget. Centum etenim millia virorum capta, totidem in pugna cecidiſſe conſtat, quadringentas nationes, vrbes octingentas, quaſdam deficientes ab ipſis, nonnullas eum ſuſcipientes redegit in poteſtatem. Ante Marium Fabius maximus Aemilianus modicum ferme deducens exercitum, centum & viginti millia Celtarum vnica proſtrauit acie, cum quinque ſupra decem ex ſuis duntaxat amiſiſſet. Et hæc, quanquam ex vulnere quod in genam acceperat, grauiter ſaucius, peragere non dubitauit, acies diſcurrens, ſuóſque ad bellum incitans, & quemadmodum aduerſus Barbaros eſſet pugnandum, verbis inſtruens, partim curru vectus, partim manu ductus inambulans. Cæſar contra eoſdem bellum gerens, primum Lucios, & Tigyrios ad ducentorum millium numerum ſubegit, quoniam Tigyrij ſuperiore tempore Piſone & Caſsio quodam ducente exercitum, Romanos pugna ſuperatos ſub iugum miſerant, quemadmodum in antiquis monumẽtis Paulo Claudio viſum eſt. Hos quidem Tigyrios Labienus prætor ſuperauit, reliquos Cæſar, ac cum

his

bis Tricurios illis afferentes opem, deinde cum Ariouisto Germanos domuit, quorum magnitudo maiorum magnitudinem lõge superauit. His mores ferocissimi insunt, in aggrediendo insignis audacia, contemptus mortis maximus ob reuiuiscendi spem. Ad hæc frigore fouentur, pabulum in necessitatibus pro cibo habent. Equi eorum nonnunquam lignis aluntur. Fuere tamen, vt creditum est, in bellis non admodum laboriosi, aut ratione vlla instructi, verum belluarum in modum furore sæuientes. ob idq́; à Romanis per patientiam ac tolerantiam subacti. Nam Barbari graui impetu Romanis insurgentes, phalangem protinus omnem discurrebant. Romani contrà ordinem seruantes peritia rei militaris eos facile vincebant. Postremo octoginta millia eorum per interualla dedere neci. Post hos Cæsar in eos qui Belgæ nominantur, inuectus, in transitu fluminis deprehensos tam ingenti cæde prostrauit, vt cadaueribus oppositis pontis in modũ flumen pertransiret. Neruij tamen aliquando illum terga dare coëgerunt, cum exercitum ad iter præparantem inopine aggressi, plurimos ex suis occidissent. Nam ductores ordinum, et turmarum ferè duces omnes confecerunt, ipsumq́; in tumulum quẽdam cum scutiferis redactum per circuitum obsederunt: verum legione decima à tergo incumbente, ad sexaginta millia eorum

oppr

oppressa sunt, qui ex Cimbrorum Teutonumq; progenie extitere. Vicit porrò & Allobroges Cæsar, Sypetum & Tancherorum populos ad quadraginta millia, qui partim bello assueti, partim inexperti in acie cesserunt. Sicambri quingētis equitibus quinq; mille Cæsaris equites subito illis incumbentes auerterunt. Verum post hæc victi dedere pœnas. Primus enim Romanorum omnium Cæsar Rhenum pertransiuit, & ad Britannorum insulam mediterraneo maxima maiorem existentem exercitu delatus, quo in loco mortalibus nihil pensi eius fama fuit, circa inundationis tempus iter cœpit. Nam prius idem motus mare perturbauerat, & exercitus hincinde per fluctus iactabatur sensim primo, deinde vehementius, donec violenta tandem promptitudine Britanniam insulam ingressus est.

P. CANDIDI IN LIBROS APPIANI SOPHISTÆ Alexandrini ad Nicolaum V. summum Pontificem Præfatio.

APPIANI Alexandrini historiam seu veterum incuria, seu temporum iniquitate deperditam, & veluti longo postliminio ad nos redeuntem, optime ac maxime pontifex Nicolaë

Quin.

Quin.tuo nutu, tuoq; imperio è Graeca Latinã facere institui, Vt non modo apud nostros nota esset sedulitas mei obsequij, sed ad posteros quoque Virtutis tuæ fama trãsiret. Quid enim dignius tuis meritis impẽdi potest, quàm Vt ij qui sequẽti æuo hæc aliquãdo legẽt cũ ædificiorũ magnitudine ornatumq; intuebuntur, quæ ætate nostra tuo auspicio confecta sunt, te Nicolaum eum esse intelligant, qui non minorem in recuperandis libris, quàm in restituendis mœnibus huic Vrbi adhibueris curam? Et profecto licet illa præclara & magna sint, quæ manu et arte constant, & à plurimis summo ingenio diligentiáque parantur: præstantiora tamen habenda erunt, quæ studijs adiuncta, monumentis quoq; seruantur literarum. Itaq; qui Petri Basilicæ contiguam domum admirantur à te structam quadrato lapide, qui Hadriani molem Vicissim restitutam, qui deorum templum ab Agrippa conditum à te suffectum ætate nostra, qui plura alia breui cessura Vetustati, ni tua charitas admonuisset pias manus, eosdem quoq; admirari conueniet tot illustres libros ad nos tua opera traductos è Græcis, nec tuam sapientiam, nomen, dignitatem, commemoratione laudis suæ immunes præterire: & si non huius tẽporis esse putem, Virtutes tuas elegãtiori stylo debitas, in medium proferre: hoc solum dixerim, te his rebus gestis assecutum, Vt Verus præsul, dignissi-

mus

mus princeps haberere. Sed ut ad Appianum redeam, doleo equidem summe pater his in libris traducendis non mediocrem mihi laborem, & industriam ereptam esse. Nam cum mecum ipse reputo duos & viginti libros (tot enim Appianus exarasse dicitur) ita euanuisse, ut nouem vix à me, ac ne hi quidem integri posteritati tradi possint, omnis mihi scribendi feruor ille dilabitur. quanquam hæc vetus apud nos historiæ querela sit, ut rerum gestarũ scripta deflere potius vacet, quàm inspicere. Nam ut clariores referam, quis Liuij lacteum illum eloquentiæ fontem exaruisse non defleat? interceptam nobis Curtij elegantiam? Trogi grauitatem intermissam esse? Taciti magnã partem interijsse? Crispi nil extare, quod cupiditatem nostram expleat? Siue rerum ille summus opifex ita statuit, ut nihil ætati obsisteret, nihil permaneret, siue caussarum vis latẽtium mortalitati deuouit omnia, paucorum certe auxilio, fragilitati nostræ consultum est. Inter quos cum vnicus ætate ista videare, qui dignitati tuæ virtutem adiunctam teneas, nec præsentibus modo, verum posteris literarum specimen, ornamenta priscæ conserues vrbis, meritos tibi honores reddimus, te sacro illo solio dignum confitemur, & quicquid bonum faustũmque continget nobis, beatitudini & felicitati tuæ acceptum referemus.

APPI

APPIANI ALEXANDRINI SOPHISTAE LIBYCAE HISTORIAE PROOEMIVM

P. Candido interprete.

ROMANORVM *historiā scribere adorsus, necessariū in primis mihi existimaui, terminos praeponere quibus nationibus imperēt Romani. Sunt autem huiusmodi, In oceano Britannico plures partes. Ab Herculeis igitur columnis in id mare quod ad illas denuo circúmque nauigatur insula, littora, populi omnes Romano parent imperio. horum primi in dextra Maurusij quicunq; circa mare, omnisq; altera Libycorum natio vsq; Carthaginem: his superiores Nomadae, quos Romani Numidas appellant, & regionem Numidiam. Altera autem Libyca natio, quae Syrtes ac Cyrenem vsq; incolit, & Cyrene ipsa & Marmaridae Hammoniíq;. & qui paludē Mariam tenēt. Vrbs quoq; magna quam Alexander ad Aegyptum condidit. Aegyptus quoque vniuersa ad Aethiopes Orientales à Romanis reguntur. Per Nilum autem nauiganti ad Pelusium vsque per mare, vertentiq; nauigationem, & collustranti littora, Syria oc-*

currit Palæstina, & supra ipsam pars Arabiæ, finitimique Palæstinis Phœnices supra mare, Phœnicibus ulteriores Cœlosyrij supra Euphratem usque fluuium. A mari superius Palmireni sunt, & Palmirenorum arena quæ supra Euphratem incoluntur. Cilices Syris propinqui & Cappadoces Cilicum finitimi, Armeniorum quæ pars quam Armeniam minorem vocant. Apud Euxinum autem pontum quæcunque alia maritima Romanis parent. Syri quidem & Cilices ad mare prospectant, Armenij autem & Cappadoces inter Ponticas gentes habitant. Per mediterranea verò ad Armeniam maiorem Romani non imperant ex tributo ad modum, verum reges illis approbant. A Cappadocia & Cilicia in Ioniam descendenti magna adest Cherronesus, cuius à dextra Euxinus pontus, Propontis, & Hellespontus, Aegeúmque mare, à læua Pamphylium & Aegyptium pelagus. Feruntur quippe ambo Cherronesum facere. Adsunt etiam & in Aegyptiũ mare prospectantes Pamphylij & Lycij, & post ipsos Cares usque ad Ioniam. Qui autem super Euxinum pontum Propontide & Hellespontum, Galatæ & Bithynij. Mysij Phrygésque, in mediterraneis Pysidæ & Lydij: tot nationes Cherronesum incolunt, quibus omnibus imperant Romani. Vlterius verò transeuntes, alijs circa pontum imperant gentibus & Mysijs qui in Europa, ac Thracibus quicunque

circa Euxinum sunt. Ab Ionia autem sinus maris est Aegeus, & alter Ionij maris, ac Siculum Tyrrhenúmque pelagus vsque ad Herculeas columnas. hac longitudo ab Ionia ad oceanum. Et in hac iterum nauigatione tot Romanis subiectæ nationes, vniuersa Græcia: ac Thessalia, Macedones, et quæcunque alia ad Thraces pertinent, Illyriorum & Pæonum gẽs, & ipsa Italia omnium gentium domina, quæ ab Ionio circundata plærimum à Tyrrheno mari vsque ad Celtas, quos ipsi Galatas vocãt, extenditur, omnisq́ Celtarum natio, quorũ pars ad mare pars ad oceanum respicit Septentrionalem, pars apud Rhenum fluuium habitat, Iberia omnis & Celtiberi super Hesperium & Borealem oceanum ad Herculeas finientes columnas. Ac de his quidem & singulis earum diligentissime edisseram, cum de omnibus particulariter nationibus scribendum fuerit. Nunc autem quàm longis terminis principatum assumpserint circa maria, dictum est. Terras deinceps peragrãti pars quædam Maurusiorum superest, qui ad Aethiopes occiduos spectant, ac calidiorem ferísque horrentem Libyam vsque ad orientales Aethiopes, hic quidem Libyæ Romanis terminus. Asiæ autem Euphrates fluuius & Caucasus mons, maiorísque Armeniæ principium, & Colchi ad Euxinum pontum habitantes, residuáque

huius maris. In Europa fluuij duo Rhenus & Hister potißimum Romanis fines imponunt, quorum quidem Rhenus ad Borealem oceanum, Hister ad Euxinum pontum influit. Progredientes vlterius, nonnullis Celtarum, qui supra Rhenum habitant, imperant nationibus & ijs quæ supra Histrum, quos Dacos appellant. Fines terrarum quàm diligentißime inquirenti propemodum hi videbuntur. Omnes autem insulæ quæcunque intra mare sitæ sunt, Cyclades, vel Sporades, vel Hyades vel Echinades, vel Tyrrhenides, vel Mesiæ, vel quæcunque aliæ alio nomine aliter dicuntur circa Lybiam & Ioniam, vel Aegyptum, vel Myrtoum, vel Siculum, vel aliud cuiuscunque nominis mare, quæ singulariter à Græcis magnæ insulæ dici solent, Cypros, Creta, Rhodos, Lesbos, Euboia, Sicilia, Sardinia, & Cyrnos, vel alia quæcunque minor maiórue vniuersæ Romanis parent. Borealem præterea oceanum & Britannicam insulam penetrantes, ingentique terra maiorem supra dimidium potentioris soli in ea poßidentes alterius non indigēt, cum nec vtilis admodum, nec ferax ipsis sit, neque quam tenent. Harum tantarum innumerarumque nationum cum tanta sit magnitudo, Italiam tamen magno labore, ac vix quingentis annis stabilem sibi reddidere, cum medio interim tempore regibus vsi, per reliquum

his

his expulsis, nullos deinceps reges admittere iureiurando sancientes, Aristocratiam coluere politiam, & abinde imperijs vtebantur anniuersarijs, ducētis aut amplius vltra quingentos quos diximus annis: quo tempore rerum principatum adepti, externam omnem oppressere potentiam, vniuersas ferè nationes sibi subigendo. Caius autem Cæsar superatis Romanis, imperioq; suscepto, & in potestatem redacto, formam quidem politiæ nomenq; seruauit, re autem principem se cunctis præstitit. Estq; in hanc vsque ætatem eadem sub vno potestas principe, quos neutiquam Romani reges appellant, vetus iusiurandum, vt ego arbitror, in primis veriti: imperatores eos dici maluere, quod Priscorum ducum nomen fuit. Sunt autem re ipsa vere reges, à quibus ad ætatem vsque nostram anni ferè ducenti elapsi sunt, quo tempore potissimum Romana res floruit: progressusq; ad maiora videtur adaugeri, cunctis in pace constitutis amplissima, summáque felicitate: ac nonnulla à prioribus nationibus ijdem imperatores in principatu suscepere, deficientiáque restituere integritate consilij, terra mariq; dominātes, potiúsque augere dignitatem cupiebant, quàm inter Barbaros propagare imperium, gentem inopem, minimaq; vtilitatis. Quorum ego non-

 nullos

nullos Romæ vidi ob id emissos: quò se suaque Romanis dederēt, neque imperatorem admittentem: quos vt inutiles sponte recusabat: plurimis etiam nationibus, quarum infinita pene est multitudo, Romani reges statuunt, nihil his ad imperium indigentes. Ex nonnullis præterea imperio parentibus atque suppositis plus detrimenti capiunt quàm vtilitatis. Quos licet inutiles abijcere cùm pudeat, principatum omnem magnis copijs, magnisque præsidijs circumquaque vallantes tantum terræ, tantùmque maris quasi fundum quendam seruant ac continent. Nullum quippe in præsentem diem tam paruo tempore in tantum creuit ac surrexit imperium, ne Græcorum quidem. Quod siquis Atheniensium, Lacedæmoniorum, & Thebanorum, qui separatim imperarunt, à Darij regis expeditione, qua maximè floruere, vsque ad Philippum Amyntæ filium Græcorum res gestas in vnum colligat, anni plures videbuntur, in quibus contentionibus potius ac dissidijs inter se ad ambitionem certasse dicentur, quàm ob principatum aut libertatem in posteros successuram bella gessisse. Quidam enim ex ipsis in Siciliam profecti ob alterius spem imperij vltro corruere. Vel siquis in Asiam profectus est minimum adeptus, non multo post in patriam rediit. Græcorum quippe potentia etsi maximis conflictata prælijs, nunquam tamen

vltra

Vltra Græciam firmiter progressa est, verùm potentes duntaxat extitere, se liberos aliquandiu & inuictos præstantes. A Philippo quippe Amyntæ filio, & Alexandro Philippi magno, in deterius eorum res labi visa, præterque dignitatem priscam decidisse. Asiæ quidem principatus, si quæ in Europa gesta sunt vel minima consideres, nullius ferme momenti aut virtutis habebitur, ob ingenitam timiditatem, imbecillitatémque populorum: quod & sequentia scripta declarant. Modicis quippe exercitibus Romani tot in Asia gentes populósque subegere, quot in præsenti adhuc obtinent. Macedonibus ipsis resistentibus, atque oppugnantibus, plurima tamen circa Libyam & Europam confecta sunt. Congesta porrò in Alexandrum Philippi filium, Assyriorum, Medorum ac Persarum vires trium maximarum potentissimarúmque nationum, neutiquam ad nongentos annos seruare potuere quanta nunc possident Romani. Magnitudo nempe illorum imperij, nec ad dimidium huius (vt existimo) quiuit attingere. Coniecto id autem cum Romanorum ab occidente & Hesperio oceano supra Caucasum montem, & Euphratem fluuium, & Aethiopes superiores per Aegyptum & Arabes supra occidentalem rursus oceanum protendentium imperium & terminus illis sit idem oceanus incipiētis & finien-

tis diei tum mari vniuerso, quod interius est, insulisq; in eo imperent omnibus. Oceano praeterea Britannico, ac Medis & Persis vbi plurimum maris, vel Pamphylius inest sinus, & vnica Cypros insula, vel quid aliud modicum Ionia in mari, simúlque Persici: nempe quicquid huius est maris, Romani tenent. Quae autem Macedonum ante Philippum Amyntae filium gesta referuntur, permodica fuere, cum nonnullis & ipsi paruerint. Ipsius verò Philippi labore & aerumnis non inficior referta esse omnia, verùm circa Graeciam & vnicam duntaxat gesta prouinciam. Alexándri autem principatus magnitudine rerum, ingenti felicitate, celeritatéque gestarum permaxime enituit. Sed cum infinitum & nulli imitabilem gradum attigisset, breuitate temporis, fulguri coruscanti assimilis, & hinc inde discurrenti, in multos dominatus, plurimásque partes effulsit. Nostris autem temporibus, & quidem solis, copiae ingentes adsunt, peditum ducenta, equitum quadraginta millia, elephantorum trecentorum bellicosorum numerus. Curruum praeterea ad praelia instructorum duo millia, ac armorum in supplementum trecenta millia. & haec quidem terrestribus copijs. Maritimis verò minorum nauium duo millia, triremium à sescuplis in quinqueremes mille quingentarum classis.

Instrumentorum quoque nauallum numerus bis totidem: ad hoc naues partim auro proris, partim puppibus exornatæ, quas Thalamigas appellant, ad belli pompam, quibus iidem imperatores vehi consueuere, octoginta. Pecuniarum præterea in thesauris Aegyptiorum talentorum quatuor & septuaginta millia: tanti apparatus summam, ac rei militaris ex regijs codicibus licet intueri ab ipsis in vnum cumulatam atque relictam. Cæterùm secundus ab Alexandro Aegyptiorum rex, qui & lucrari potentißimus regum fuit, ac splendide impēdere, & magnifice elegantérque construere, cum eius regnum diuitijs & opulentia nulli cederet, omnem circa sobolem eius exhausit, dißidentibus inuicem filijs: quæ res summos principatus inter se contendentes solet euertere. Romanorum autem magnitudo ac felicitas maturitate consilij diuturnitatéque temporis adaucta virtute, patientia ac tolerantia eos super cunctos extulere. Non enim in prosperis se euexere rebus quoad stabilem victoriam sunt adepti, nec aduersis confracti animo, cum aliquando militum viginti millia vna die, alia quadraginta, alia quinquaginta bello amiserint. Periclitante pene vrbe, cum aliquando fames continua instaret, aliquando pestis vrgeret, seditióque eodem tempore vexaret vrbem, neq; tamen à magnitudine ani-

mi constantiáque desinere, donec per septingentos afflicti annos periculis ac dissidijs euecti ad hunc in quo nunc sunt Venere principatum, felicitatem per salubria adepti consilia. Et hæc quidem multi Græcorum, multi etiam Romanorum perscripsere, éstque Macedoniæ tunc quidem priorum magna existentis multo maiorum confecta historia. Cæterùm cupientem Romanorum res gestas per Vniuersum contemplari, adduxit sæpenumero hæc scriptura Carthagine in Iberiam, ex Iberia in Siciliam vel Macedoniam per legatos, aut auxilia ad exteros demissa, iterúmque in Carthaginem ac Siciliam reduxit, veluti errabundum, ac denuò ab his imperfectis se conuertit, quousque à me per partes est collecta. Quotiens Romani in Siciliam bella gessere, aut emisere legatos, aut quid aliud egere in Sicilia, donec insulam in hunc in quo nunc est, ornatum statuerũt. Quotiens Carthaginensibus intulere bella, aut induciás cum illis effecere, aut legatos ad illos dimiserunt, aut ab illis recepere, aut aliud egerunt, aut paßi sunt ab eis, donec Carthaginis vrbem euerterunt, & nationem Libycam reduxere in potestatem, & denuò sibijpsis erexere Carthaginem, Libyam, vt nunc est, demum statuentes: hæc omnia à me per nationes sunt descripta. Cupiens nempe Romanorum gesta apud omnes clara esse, quippe quæ

popu

populorum imbecillitatem vel potentiam, aut victorum virtutem felicitatem've cognouerim, aut siquid illustre contigit, notum habeam, satis fisus & alium quempiam eadem omnia scire cupere, per nationes quasque suo ordine describo. Quæ verò interim apud alios illis euenere, enarro singula, & eorum gestis interpono. Tempora autem in omnibus referre superuacaneum existimo, tum siqua memoratu digna ex interuallo contigere, vicißim refero, & quæ Romanis fuere nomina. Olim quidem vnum duntaxat singulis, vt cunctis mos est hominibus, erat nomen: deinde assumpsere, duo nec multo post tertium in virtutis paßionis've cognomen imponi captum, & iuxta Græcorum morem vltra nomina cognomen habitum, quod & ipse annotaui, ac potißime ea quæ ad cognitionem pertinent illustrium virorum. Plura quoque his & alijs similia, quæ eximia habentur, subinde refero. Tribus autem libris existentibus, in quibus omnia quæ à Romanis in Italia gesta sunt congeruntur, eos omnes Romanorum Italicos puto appellandos, verùm ob rerum magnitudinem in partes diuidendos. Primus autem quæcunque sub septem regibus acta sunt, quæve ab illis cõtinet, quem Romanorum Regium dicemus. Qui verò deinceps quæ per reliquam Italiam separatim ab ijs quæ per Ionium sinum

num gesta sunt continet, in prioris comparationem Romanorum dicemus Italicum. Vltimi Samnites erunt, qui Ionium incolunt, & magno difficilique bello per annos octingentos conflictati sunt, & post hos quaecunque gens illis finitima auxilio fuit, & Graeci omnes qui sub Italia sunt, colliguntur, quem in priorum comparationem Romanorum Samniticum dici volumus. Reliqui iuxta ordinem inscribentur omnes, Romanorum Celticus, Siculus, Ibericus, Hannibalis Carthaginensis, ac Macedonicus, & deinceps pari modo vnus alium ex ordine sequetur, quemadmodum bellum ex bello nasci contigit, quousque multa tandem finis huic genti dabitur. Quaecunque autem Romani inter se dissidentes, aut ciuilibus bellis contendentes egere, quae omnium formidolosiora illis extitere, per seditionum duces acta describemus, partim per Marium atque Syllam, partim per Pompeium & Caesarem, alia per Antonium & Caesarem alterum cognomine Augustum in percussores primi Caesaris, alia per Antonium & Augustum inter se dissidentes atque bellantes, quoad postremum peracto ciuili bello, Aegyptus quoque ad Romanorum accessit principatum. Haec igitur per libros singula populorum ducúmque ciuilia bella partimur: postremo exercitus eorum & copias quas habuere, aut prouentus

uentus quos ex singulis capiunt nationibus, aut validioribus præsidijs absumunt, & quæcunque alia huiusmodi cognitione digna. Aequum est autem de virtutibus eorum differentem, ab hoc genere capere initium. Qui verò ista perscripserim, multi nouere, & ipse apertius dicere proposui. Appianus Alexandrinus prius quidem in patria degens, mox Romæ sub imperatoribus forenses professus causas, quoad me ipsis inseruire dignum putant. Sin & reliqua scire appetis, etiam de his à me conscriptum est.

APPIANI ALEXANDRINI SOPHISTAE LIBYCVS.

P. Candido interprete.

CARTHAGINEM *in Libya Phœnices condidere annis quiquaginta ante Ilij captiuitatem. Conditores fuere Xorus & Carchedon. Sicut autem Romani & ipsi Carthaginenses existimant, Dido mulier è Tyro profecta, cuius virum cum Pygmalion vrbis tyrannus clam interemisset, somnio monita, collectis ijs quibus Pygmalio-*

nis

nis sæuitia inuisa fuerat, pecunijsq; in vnum congestis, in Libyam enauigauit: & eo loci vbi nunc Carthago sita est, consedit. Expellentibus deinde eos incolis, tantum soli deprecati sunt, in quod se conferrent, quantum taurino corio circundare possent. Ea ex causa primum risus inter Phœnices ortus, rei exilitate: demum qui huiusmodi foret astus, scire cupientes, potissimum cum ambigerent quemadmodum ciuitas tam angusto spatio includi posset, concessuros se iureiurando firmauere. Hi corium per minuta secantes, circumposuere loco vbi nunc Carthaginis arx residet, quæ ob id Byrsa appellata est. Procedente mox tempore, hincinde profecti, cum finitimis longe promptiores haberentur, deducta classe, & mare quemadmodum reliqui Phœnices enauigantes, vrbem extra Byrsam condidere. Demum subacta Libya magnam maris tenuere partem. Vlterius bella mouentes, Siciliam, Sardiniam, cæterásque insulas quæ mari illo continentur, occuparunt, & in Iberiam vsque emisere colonos. Ab huiusmodi igitur initio principatum assumpserunt. Græcis quidem potentia non imparem, opulentia Persarum regno comparandum. Septingentis deinde ex quo vrbem condidere, elapsis annis, Romani Siciliam illis abstulere, deinde Sardiniam: secundo autem Punico bello Iberiam omnem. Magnis igitur copijs adinuicem

con

congressi Pœni duce Hannibale Italiam omnem depopulati sunt annis ferè sedecim. Romani contrà Cornelio Scipione maiore imperante Carthaginem vsque cepere omnia, naues præterea & elephantos, ac tributum pendere ad tempus coegerunt. Secundæ deinde induciæ inter Romanos & Carthaginenses factæ, per quinquaginta annos permansere, donec solutis his tertium & vltimum incepere bellum, in quo Scipione minore duce Carthago à Romanis euersa est, & præter spem demum restituta: priore tamen angustiorem effecere, veluti opportunum in Libya locum. Quæ autem in Sicilia gesta sunt, satis apparet eo in libro quem de Siculis rebus scripsimus: quæ in Iberia, in eo quem de Ibericis: & quæcunque Hannibal in Italiam profectus egisse dicitur, in eo quem de Hannibale: quæ verò in Libya acta referuntur, hic à principio collegimus. Incepere autem Romani iuxta Siculum hoc statim bellum, & nauibus quinquaginta supra trecentas in Libyam delati, plerasque vrbes sibi subegerunt. Ad hæc imperatorem Attilium Regulum statuere, à quo vrbes ferè ducentæ in ditionem redactæ sunt, quæ Carthaginensium odio ad eum defecerunt, & regionem prætervectus depopulatus est. Carthaginenses contrà ducem à Lacedæmonijs postularunt, satis arbitrati ob ducum imperitiam

tiam minus prospere pugnatum esse. Hi Xantippum Carthaginem misere. Attilius ea tempestate circa paludem castra habebat, aestatisque temporibus paludem circumibat in hostes deducturus, armorum grauitate, siti, & angore difficulter agmen agens, & ex editis ac praeruptis locis in plana descenderat. Cum vesper appropinquasset, fluuio inhibente statim copias traducere curauit, quò Xantippum aduentu suo terreret. At ille instructa acie propè ipsas vrbis portas eduxit exercitum satis fisus hostes calore ac taedio confectos facile deleri posse, & noctem ad victoriam plurimum conferre: nec spe sua frustratus est: nam ex triginta militum millibus quos ductabat Attilius, vix pauci arma sumpsere, reliqui omnes partim caesi, partim capti, & cum ijs Attilius imperator & consul captiuus ductus. Quem non multo post perpessi Carthaginenses cum legatis suis Romam misere inducias impetraturum, aut Carthaginem denuò cum illis rediturum. Attilius autem siue difficultate rerum dubius, siue dissimulans, bellum à Romanis sequendum persuasit. Ita Carthaginem reuersus, cauea clauis circumuallata inclusus extinguitur. Haec felicitas Xantippo calamitatis initium attulit. Quippe veriti Carthaginenses ne Lacedamonij tanti facinoris gloriam sibi asciscerent, publicè illum multis affecere donis, ac triremi

imposit

impositũ denuo ad suos reuerti suaserũt. nautis vero clam edixere, vt illum inter nauigandum mari obruerent. ita rerum prosperè gestarum pœnas haud meritò luit Xantippus. Et hæc quidem primo Punico bello Romanis vel aduersa vel læta contigere, quousq; Carthaginenses Siciliam illis concessere. Quẽadmodum id contigerit, eo libro dictum est, quẽ de Siculis rebus scripsimus. Post hæc inter Romanos & Carthaginenses pax inuicẽ secuta. Libyci deinde quicunq; Carthaginensium imperio parebant, aut pro illis in Sicilia bellum gesserãt, Celtæ quoq; mercede conducti, stipẽdio se fraudari conquerentes, acriter in eos bella verterunt. Carthaginenses ea tempestate Romanos in auxilium vocauere, veluti socios ex fœdere coniunctos. At Romani iure hospitij dũtaxat illis adstricti, bellum ab Italia expulerant. sic enim fœdera inter vtrosq; inita testari videbãtur. Misere tamẽ legatos Romani, qui pacẽ illis conciliarent: quibus Libyci parere recusantes, vrbes illis si vellent, polliciti sunt. Abnuentibus autem Romanis Carthaginẽses magna classe in eos delati, nauigationem maris omnem abstulerunt. Destitutis itaq; vrbibus, rerũ inopia, vt in bello fit, vniuersam Libyam reduxere in potestatẽ. Peracto bello negotiatores mari nauigãtes aggreßi deprædabãtur. Romanos vero, si quos intercepissent, mari obrue-

bant, clàm scelus contegentes: quod aliquādiu latuit. Verùm cognita re, cum Romani pœnas ab his exigerent, idq́ differrent, bellum in eos decreuere, ea ex causa coacti sunt & Sardiniam insulā illis dedere. sic enim priori ex fœdere præscriptum erat. Non multò pòst Carthaginenses in Iberia mouere bellum, & prouinciam per partes subigere cœpere, quousque Saguntinis ad Romanòs confugientibus terminus illis in Iberia statutus, ne Iberū pertransirent amnē. Hæc tamen fœdera à Carthaginēsibus neglecta, cum fluuium duce Hannibale transissent: transgressus Hannibal nonnullis in Iberia relictis, ipse cum reliquis copijs in Italiam descendit. Imperatores Romanorum in Iberia P. Cornelius, et Cn. Cornelius Scipio, ambo fratres, splendida rei militaris opera edidere. Verùm cum vterq́ bello concidisset. milites qui cū illis erant, fœdè capti & venūdati sunt, quoad Scipio P. Scipionis illius filius qui in Iberia perierat, nauibus aduectus quasi spiritu quodam diuino comitante victoriam assecutus est: vrbemq́ ob has res dignitate & gloria illustrem reddidit. Ipse deposito magistratu, & his qui ad eū ex vrbe venerāt, concesso, Romam profectus, dignus iterū visus est qui in Libyam mitteretur, Hannibalem pulsurus Italia, ac Carthaginensibus domi bellum illaturus. Huic ex primoribus nonnulli aduersa-

bantur

bantur: quidam non oportere dicentes, prius quàm Italia à Pœnis liberetur, Hannibale vastante omnia, & Magone in lateribus eius Ligures Celtasq́ue ducente, in Libyam transire: nec exteris inferre bellū, antequàm à suis cladem expulissent. Alij autem Carthaginenses nil domi veritos, continuè in Italia mansuros: sin bellum Carthagini inferretur, Hannibalem reuocaturos esse. Tandem ex sententia visum est Scipionem in Libyam mittere, nec tamen illi exercitum decernēdum esse ex Italia Hannibale gerente bellum. Euntem verò, si quos aliunde inueniret, pro libito accipere, & his qui in Sicilia adhuc erant, in bello vti posse. Triremes præterea decem vt pararet ad belli vsum, & supplementum pro his capere, & quæ in Sicilia vicissim forent, addere iussērunt: pecunias tamē pro his nequaquam præbuere, nisi si quæ Scipioni ab amicis collatæ sunt. Adeò negligenter huic bello ab initio Romani addidere animum, quod omnium maximum & gloriosissimum paulò pòst illis futurum erat. Scipio igitur Carthaginensibus iampridem infensus, septem millibus equitum peditumq́ue in vnum collectis in Siciliam enauigauit, tyrones electissimos trecentos circum se ducens, quibus sine armis insequi iussum erat. Siculorum præterea totidem ex opulentioribus, equis armisq́ue ornatissimos ad statu-

tam diem adesse iussit. Cùm accessissent, an aliquem pro se quisque militare mallet interrogauit. Annuentibus cunctis, trecentos illos armis exutos in medium accivit, eosque Siculorum armis equisque ornari iussit. Eo modo tyrones trecenti ex Italia Siculorum loco ad bellum instructissimi Scipioni astitere, alijs gratias agentibus, quibus ad omnia vtiliter in bello vsus est. Carthaginenses bis perceptis, Hasdrubalem Gisgonis filium ad conducendos elephantos demisere, Magoni verò finitimorum aduenarumque pedites sex mille, equites octingentos, & elephantos septem tradiderunt, eique iniunxere quam maximis posset copijs in Hetruriam descendere, quò Scipionem à Libya auerteret. Mago Hannibali copias adiungere festinans, ob loci distantiam differre cogebatur, cæterum rei euentum intentus expectabat. Hasdrubal ab elephantis reuersus, Carthaginensium & Libycorum circiter pedites sexies mille pari numero aduehebat, equites præterea octingentos. His seruorum quos ad naualem vsum cōparauerat, quinque millia adiunxerat, ex Numidis equites bis mille, exterósque mercede conductos, quos exercitando per ducenta stadia ab vrbe aberat. Numidarum in Libya reges plerique referuntur, quorum è numero Syphax omnium primus summo in honore à cunctis habebatur.

tur. E Messuliorum autem genere illustri regis filius Masinissa Carthagine innutritus & eruditus fuerat. Huic cum & pulchritudine corporis, & morum elegantia polleret longè, Hasdrubal Gisgonis filius nulli Carthaginensium nobilitate inferior, filiam suam vxorem dederat, quanquam ille Numida, ipse Carthaginensis esset. Cùm autem generum eum assumpsisset, statim iuuenem in Iberiam ducem ad bellum misit. Syphax ob amorem zelo commotus, in Carthaginensium agros impetum facit, Scipionique ex Iberia aduentanti, & Pœnis bellum inferre statuenti vnà conuenit. Hæc cum intellexissent Carthaginenses, haud parui existimantes Syphacem Romanis ad bellum conspirare, virginem Syphaci dare decernunt, Hasdrubale & Masinissa in Iberia existentibus, ac huius rei prorsus ignaris. Demum percepta re indignatus Masinissa cũ Scipione in Iberia fœdus mijt clam Hasdrubale, vt arbitrabatur. At ille intellectis omnibus, quanquam huiusmodi contumeliam filiæ, genero pariter infringi grauissimè ferret, tamen è Reipub. vtilitate visum est Masinissam è medio tollere. Huic igitur ex Iberia in Libyam redeunti equites quidam præmissi, quibus occultè imperatum erat, vt insidijs circũuentum eum occiderent. ille fraude percepta, in fugã versus, domum redit, pa-

triumq; regnum sibi vendicauit:post hac equites plurimos in vnum collegit. His opus duntaxat erat hastis instructis die noctúque rapiendo aggredi, deinde retrocedere, mox ad rapinam denuo prodire, nec alio pugnandi genere quàm fugiendo & insequendo vti. Sunt enim hi præ cæteris Numidarum mediæ patientes, & plerunque herbis pro pane vescuntur, nec aliud omnino quàm aquam bibunt. Equi præterea eorum neque hordea gustant, verùm gramine assiduè pascũtur, famescũtq; quamplurimum. Hos Masinissa ad viginti millia in vnũ collectos ad rapinas prædamq; aliarum emittebat nationum, quemadmodum opus illi videbatur. Carthaginenses ac Syphax huiusmodi multitudinem in se parari existimantes (non enim quæ iniuria illum affecissent ignorabant) primum ipsi bellum inferre statuunt: mox cum illum subegissent, Romanos aggredi. nam copiarum multitudine longè præstabant: verùm magno curruum impedimentorúmque pondere & apparatu exercitum ducebant. Masinissa contrà assiduo labore suos exercebat, nec alio quàm equitatu vtebatur, nullos currus, nulla impedimenta, ac ne commeatum quidem secum ducens: ex quo facilè insequebatur, fugiebátque, & in abdita quæq; ac munita sese retrahebat. Nonnunquam diuisis copijs loca per quæ facillimè

elabet

elaberetur eligebat, vbi cum paucis delitescēs, quoad sui ad se redirent expectabat, diem nocte mq; in vnum ducens. Per triduum quippe in spelunca hostes circunsidentes latuit, nec quo loci in exercitu stabularetur, sciri poterat, sed delitescens continuè ducebat agmen. Qua ex causa nullo in loco iusta acie secum congredi hostes poterant, cæterum irruentem assiduè expectabant. prælia præterea ab illo per singulos dies agitabantur, vt nocte locum caperet, villam aut oppidum occuparet. quibus interceptis vniuersa rapiebat, tradebatq; sequentibus. Quamobrem multi Numidarum nullo stipendio, verùm ingenti mercede pellecti ad illum confluebant, eoq; modo cum Carthaginensibus bellum gerebat. Scipio rebus in Sicilia feliciter gestis, sacris Ioui ac Neptuno rite peractis in Libyam enauigauit, longarum nauium duas supra quinquaginta, onerariarum verò quadringentas secum agens: celoces insuper ac lembi quàm plures classem sequebantur. Ad hoc exercitum ducebat peditum sex millium ac sexcentorum. Armorum præterea & instrumenti bellici ingentem copiam, commeatum abunde, eoq; apparatu cursum dirigebat. His intellectis Carthaginenses ac Syphax cum Masinissa rem dissimulandam censent, amicitiamq; illi vltro offerendam, quoad Scipionem bello superassent.

sent. Masinissa haud ignarus se ab his decipi, vicissimq; insidias illis struens, vniuersa Scipioni per suos nuntiat, nec longo apud Vticam interuallo inter se castrametati Hasdrubal. Syphax & Masinissa, quo in loco Scipio quoque à ventis delatus exercitum habebat. haud multum deinde ab eo Hasdrubal castra locarat, peditum viginti millia, equitum septem in armis agens, elephantos praetereà centum supra quadraginta. Syphax igitur siue formidaret, siue vtrisque parum fideret, regnum suum à finitimis barbaris vastari questus, dissimulato negotio in patriam rediÿt. Scipio nonnullos ex suis Hasdrubalem aggressuros praemisit, quadam enim ciuitatum illi adhaeserant. Masinissa clam noctu in Scipionis castra delatus, ducémque complexus monet sequente die ad locum triginta stadÿs ab Vtica distantem, in quo turris quaedam ab Agathocle Syracusanorum tyranno erecta fuerat, quinque millia ex suis in insidÿs ponere. Ipse orta luce Hasdrubali persuadet Hannonem equitum praefectum ad explorandos hostes mittere, & in Vticenses vnà cursum facere, ne hostium propinquitate tumultus in vrbe fieret: seq; vicissim iturum, si iubeat, pollicetur. Hanno mille Carthaginensium equites electos, ac Libycorum plurimos secum duxit. Masinissa Numidas duntaxat ex suis

habebat

habebat. Cùm turri appropinquassent, & Hanno versus Vticam iter faceret, pauci ex insidijs prodiere. At Masinissa Carthaginensium equitibus suadere cœpit, vt illos aggrederentur, vtpote numero impares & ipse subinde ferebatur, veluti auxiliũ allaturus. Cùm in medium Libycorum peruenisset, plurium insidiæ patefactæ sunt, & pugna hinc inde inter Romanos & Masinissam fieri cœpta in ea trecenti capti. Masinissa his peractis Hannoni veluti amicus festine obuians illum cepit, & ad Scipionem secum in castra perduxit, eòque modo matrem eius ab Hasdrubale recepit. Scipio interim ac Masinissa regionem depopulati, quoscunque Romanorum operi damnatos in agris inuenere, pristinæ reddidere libertati. Hos Hannibal ex Iberia & Sicilia, plures etiam ex Italia miserat. Obsidentibus autem Romanis vrbem magnam, cui Loces erat nomen, & multa grauius perpessis, Locenses cum scalas muro appositas viderent, per præconem annuntiant vrbem se illis vltro concessuros esse. Qua ex re Scipio statim milites à præcone iussit reuocari: illi parere recusantes, ac vrbem per tegulas ingressi, mulieres æquè ac pueros omnes necauere. Hac re indignatus Scipio, ciues omnes qui cladi superfuerant, libere abire iussit, militibus verò prædã ademit. Ex prin-

cipibus autem factionis; cum eos in medium sortitus esset, tres duntaxat mali authores supplicio affecit. Hasdrubal cum haud longè castra haberet, Magonem equitum praefectum à fronte praemittit, ipse postremus cum suis sequebatur. Cū in medio stetissent, Romani opus inter se partiti, in singulos eorum conuersi, ad quinque Libycorum millia occidere, mille & octingentis captiuis ductis, reliquos saxis obruere. Scipio post haec ad Vticam mari terráque oppugnandam conuersus, quinqueremibus duabus in vnum connexis turres desuper imposuit, ex quibus tricubitorum iacula, ingentísque ponderis saxa in hostes emittebat. Cùm multis eos cladibus affligeret, nec secus ab illis pateretur, plurimis iuuenum saucijs, educto ingenti aggere, arietibúsque adhibitis mœnia pulsare cœperat, tegmenta & quaecunque alia protectionis instrumenta falcibus auertens. At illi perfosso aggere falces laqueis distinebant, arietes quoque ab opere tardabant. Trabes praetereà è nauibus ereptas in medium iacientes, cum ventus flare cœpisset, igne adhibito machinis ipsis adigebant, ita vt Scipioni desperatio quędã oriretur obsidendae vrbis. Syphax intellectis his quae acta fuerãt, cũ exercitu venit, nec longè ab Hasdrubale castra locauit, vtrisq; se amicũ esse simulãs. Caeterũ pugnã ex

industria

industria trahebat, quoad cæteræ naues ad Carthaginenses profecturæ venissent, ac Celtarum Ligurumq́ plurimi mercede cōducti. Inter hæc de pace agitare cæpit, iustum esse inquiens, nec Romanos Libyæ, nec Carthaginenses Italiæ inferre bellum. Romanos Siciliam, Sardiniam, cæterasq́ insulas quas habuissent, tenere: Iberiam quoque poßidere: si quis fefellisset, obseruantibus fœdera se auxilio futurū esse. Hæc agitans clàm Masinissam ad se reducere tentabat, Messuliorum regnum hac conditione se illi confirmaturum spondet. Ex tribus præterea sororibus suis coniugem illi daturum quam eligeret. Afferebat & nuncius aurum, cui hæc cōmittebantur, vt si minus illi suaderet: ex seruis quempiam mercede corrumperet, qui Masinissam polliceretur occidere. Itaque cum illi persuadere non posset, cuidam ex suis aurum tradidit, necis præmium. Ille parere simulans, rem omnem regi aperit, & qui dedisset insinuat. Syphax non vltrà differendum ratus, palam Carthaginēsibus fauere cæpit, vrbemq́ in mediterraneis sitam, in qua bellici apparatus, frumenti magna vis à Romanis congesta fuerat, per proditionem capit, interfectis his qui vrbem tuebātur, ac sub spe fœderū abire recusantibus. Auxilia deinde Numidarum multo maiora accersit, et iam mercenarij milites aduenerant, naues quoque

egre

egregiè instructa vnà ferebãtur. Cum pugnam inire decreuisset Syphax, eos qui Vticam obsidebant, aggredi instituit: Hasdrubal Scipionis exercitum inuadere, naues autem nauibus vnà congredi, & hæc sequenti die simul agere ne Romani numero inferiores pugnam sustinere possent. Instante nocte Masinissa à quibusdam edoctus Scipionem rei certiorem facit. Ille veritus ne exercitus in tot partes diuisus ad cætera debilior fieret, duces nocte in tabernaculum conuocat. Ambigentibus his aliquãdiu contatus, audacia, inquit, & celeritate nobis, ac belli fiducia opus est amici: aggredientes præueniamus hostes, quæcunque in exercitu sunt, nostra faciemus. Quæ dicam igitur aduertite: Nihil illos æquè perturbare potest, quàm subitus congressus noster, ac totius rei inopina cogitatio, quòd à tam paucis plures inuadantur nos exercitu in partes diuiso haudquaquam poterimus vti, sed in vnum collecto: neque omnibus cum hostibus censeo conserendum, sed cum ijs quos primos elegerimus. Castra separatim vnusquisque eorum habet, ad quorum partes æquè potentes sumus, audacia & felicitate præstamus. sin deus ex primis victoriam dederit, reliquos contemnemus. Quibus autem primis insurgenduum sit, quod'ue belli tempus futurum, si placet, exponam. Annuentibus cunctis, Tempus, inquit,

ab hoc consilio statim capiendum reor, dum nox est, & bellum formidolosius, & eorum imparata sunt omnia, nec quisquam sociorum in tenebris auxilium afferre potest. Eo modo consilia hostium licet praeuenire, cum sequenti nocte nos aggredi statuant. Ex tribus quippe eorum exercitibus primum naues à longe distant, quarum in nocte nulla vtilitas. Hasdrubal & Syphax castra inter se prope posuere. ex his Hasdrubal belli caput: Syphax noctis tempore praelium inire verebitur, vt pote vir barbarus delicijs septus, & pauore: copiae omnes in Hasdrubalem vertendae sunt. Masinissam insidias Syphaci struere vtilissimum existimo. erit enim inopinus illi exercitus aduentus: pedites ad Hasdrubalis castra locabimus. Sic vndique adsistentes aggrediemur hostes, bona spe audaciáque confisi, quibus in praesenti potissimum nobis opus est. Equites, nam ipsis nihil in nocte necesse est, longius emittam, vt hostium agmen circumueniant, ac si forte ab his pelleremur, nos sustineant, & ad amicos salui tutique redeamus: sin vicerimus, fugientes persequātur: comprehendantq́;. Haec fatus, duces emisit, qui exercitum in armis ponerent. Ipse audaciae & pauori peractis sacris, neminem nocte quiescere in castris iubet, sed exercitum in promptu cum opus sit habere. Tertia tandem vigilia sensim tuba signum

gnum dare imperat, iugi silentio ingentes agẽs copias, quoad equites hostium castra circundedere, peditésque ad aggerem adplicuerunt. Tum verò ingenti sublato clamore, tubæ strepitu, ac machinis multifariam excussis, custodias è vallo deturbant, castra disiectis propugnaculis inuadunt, nonnulli audaciores concito cursu tabernacula incendũt. Libyci è somno exciti prosiliunt, armisque propere assumptis, in ordines confusi redeunt, nec quæ præcipiebantur, per strepitum satis audire poterant, non ipso duce admodum discernente tumultus causam. His inuecti Romani, partim arma capientes partim trepidantes intercipiunt, tabernaculis pluribus incensis, eos qui aduersum steterant, occidunt. Nam hostium clamor, aspectus, & opera formidolosiora cuncta faciebat, cum nocte & ignorantia rerum circumuentum putarent exercitum, & ignem tabernaculis iniectum formidantes, inuicem corruerent, campos quasi tutiora quo se referrent petentes loca. Hos equites Romanorum qui à lateribus extabant, inuadentes contrucidant. Syphax noctis clamore percepto, flammis vndique accensis tabernaculo se continuit, equites verò nonnullos Hasdrubali auxilio misit. Quos aggressus Masinissa plerósque fœda cæde disiecit. Illucescente die Syphax percepta Hasdrubalis fuga, exercitum eius partim crudelissimè

conci

concisum, partim ab hostibus detentum, partim verò turpiter fugientem conspicatus, castra à Romanis occupata, impedimenta omnia direpta esse, derelictis omnibus ad interiora Libyæ fuga penetrauit, ratus Scipionem à Carthaginensium insecutione redeuntem quamprimum in se copias moturum. Qua ex re tabernaculum eius cateráq; impedimenta à Masinissa direpta sunt. Eo modo Romani audacia perfuncti, permodica noctis parte consumpta, duobus exercitibus longe suis amplioribus potiti sunt. Ex Romanis circiter centum interfecti dicuntur, ex hostibus paulo minus quàm triginta millia desiderata, captiui ad duo millia quadringenti abacti. ex equitibus sexcenti cum Scipioni è pugna redeunti occurrissent, sese illi vltro dedidere. elephanti partim interfecti, partim vulnerati sunt. Scipio cum arma, argentum, aurum, plures elephantos, & equites alios ac Numidas cepisset, & vnica pugna illustris clarúsque euasisset, Carthaginensium cuncta despiciens præmia militibus reddidit: prædam, & spoliorum quodcunque eximium sibi videbatur, Romam misit. Interim milites cōtinuo labore exercebat, Hannibalem ex Italia, Hannonem verò ex Liguria in dies venturos opperiens. Cum hoc statuisset Scipio, Hasdrubal Carthaginensium dux equitibus fere quingentis è pugna noctis elapsus, & saucius

cius in Andriam confugerat. Ibi nonnullos ex ijs qui mercede conducti erant, à pugna fugientes, ac Numidas reperit. Seruos igitur ad libertatem conuocare cœpit, certior factus Carthaginenses ob res minus prosperè gestas eum morti condemnasse, Hannonemq; Bomilcaris filium, qui copias eorum regeret, ducem instituisse. Is quippe sceleratis omnibus assumptis adhibitis commeatibus cunctos ad bellum instruebat, ad tria millia equitum, peditum octo millia secum habens, in sola duntaxat pugna spem posuerat. Hoc agitans diutius Romanos ac Carthaginenses distinebat. Scipio exercitum armis insignem ad ipsa Carthaginis mœnia adducit: & Carthaginenses in bellum prouocare cœpit. Cum nemo prodiret, Amilcar classis imperator centum nauibus propere aduectus, in Scipionis classem rectà ducebat, ratus venientem inopine prauenire, nec difficulter centum nauibus viginti Romanorum triremes superari posse. Scipio hostili classe conspecta, nonnullos ex suis ad portum misit: ab his onerarias naues anchoris per interualla dispositas in ordinem poni iubet, vt ex illis triremes veluti ex portis emissæ, cum tempus exigeret, in hostes deduci possent. Naues præterea antennis adinuicem annexas composuit, quæ vice muri cæteras tuerentur. Eo opere perfecto minus trepidare cœpit. Insurgentes itaque Carthaginenses

ses partim è nauibus, partim è terra, nonnulli è mœnibus ab ipsis nauibus vulnerabãtur. Tandem prælio defessa circa vesperám cum discessissent, Romanorum naues alia ex parte per interualla maiorum penetrantes in eos ferebantur, & si pellerentur, facilè ad suos redibant. Vnam igitur è Carthaginensium nauibus viris vacuam cepere, eámque ad Scipionem adduxerunt Post hæc cum omnes in hyberna concessissent, Romanis quidem ob maris propinquitatem commeatus abunde aderat: Vticenses verò ac Carthaginenses fame premebãtur. Qua ex causa latrocinijs vndique maria infestabant, quoad aliæ Romanorum naues ad Scipionem venere, eósque liberius vagari prohibuere. Iã fames in dies acrius vrgere cœperat. cũ Masinissa haud longe à Syphace in hybernis constitutus tertiã copiarum partem quas Scipio ductabat, ad exercitum sibi adiungi postulat. His sumptis duce Lælio Syphacem inuadit. Ille in fugam versus, prohibente fluuio pugnam inire cogitur, vt eorum mos est, in vnum conglobati repentino cursu in Romanos feruntur: Romani oppositis clypeis eorum impetum sustinuere. Syphax conspecto Masinissa iræ concitus in eum fertur, cui late Masinissa obuiat. Dum igitur singulari certamine diutius inter se dimicant, Syphacis milites terga vertentes ad alteram fluminis ripam traiece-

re. Hic dum quispiam Syphacis equum propulisset, regem insidentem humi deiecit, eoque modo accurrente Masinissa captus est Syphax, & cum eo alter ex filijs, quos statim ad Scipionem deduci iussit. Cecidere ea in pugna ex Syphacis exercitu decem millia, Romanorum verò quinque duntaxat & septuaginta: ex Masinissæ militibus circiter trecenti desiderati sunt: Syphax ipse cum tribus millibus captus. In his Massylij duo millia & quingenti fuere, qui ad Syphacem à Masinissa confugerant. Hos cum Masinissa à Lælio impetrasset, ad vnum interfecit. Post hæc in Massylios & Syphacis regionem signa vertere, partim vt Masinissam in regno restituerēt, partim vt dissimulantes ac dubios ad fidem reuocarent. Aduenere interim ex Cirta legati, regnum Syphacis pollicentes: nonnulli præterea amicorum à Sophonisba Syphacis coniuge ad Masinissam delati, priuatim connubij necessitatem referebant. Hanc Masinissa læto animo suscepit, deinde ad Scipionem reuersus, cum in Cirta reliquisset, anxius rei finem expectabat. tum Scipionem ita Syphacem allocutum ferunt. Quæ infelicitas te amicum nobis, & pro Romanis in Libya ferentem arma, adeo læsit, vt non deos solum iureiurando, sed Romanos ipsos falleres, & pro Carthaginensibus in Romanos bellum gereres, qui pro te contra eosdem

auxi

auxilia tulere? At ille, Sophonisba, inquit, Hasdrubalis filia, quam deperco, patriæ amicissima, & quæ vult suadere facilè potens, hæc nos à mutua amicitia ad patriæ amorem compulit, & in hanc quam cernis miseriam ex illa felicitate deiecit. Te autem oportet & quæ à me & Sophonisba acta sunt omittere, stabilémque nobis amicum esse. Custodi Sophonisbam, ne Masinissa ad ea quæ cupit, eam compellat. Non enim conuenit ne si hanc vxorem duxerit, quæ Romanorum sunt, aliquando sperare audeat. sic enim ciuitatis suæ vehemens amatrix est. Hæc fatus, seu vere, seu amore saucius, Masinissam certè maximis affecit cladibus. Scipio cum Syphacis prudentiam facilè perspiceret, eúmque regionis gnarum & expertum sciret, inter domesticos recepit, nec secus ac Crœso Lydio Cyrus, amico vsus est, consiliíq; & secretorum participem esse voluit. Accedente demum Lælio, & quæ de Sophonisba ferebantur, audisse dictitante, Scipionis edicto Masinissa Sophonisbam reddere compellitur. Excandescente rege, & quæ prius acta erant cum illa, repetente, turbatius à Scipione responsum est, Nihil spoliorum Romani populi ab illo per vim capi posse: in medium afferret, si quid deinde vellet, suadendo postularet. Ea ex causa cum quibusdam Romanorum egressus, quasi mulierem illis

traditurus, clam venenum primus obtulit, sortem præsentem referans. admonebat enim vel venenum sumpturam esse, vel Romanorũ seruitutem sponte subituram. nec plura locutus, equum calcaribus abigit. Illa nutrici calicem ostentans, & palàm professa nihil queri de mortis genere quo egregiè vitam obitura esset, venenum intrepido vultu hausit. Eius corpus Masinissa Romanis qui vnà aderant, ostendi iussit. Ipse iustis persolutis, regio more ad Scipionem rediit. Scipio virtute eius collaudata, suasionibus adhibitis, quòd iniquam mulierem à se abegisset, coronatum ac plurimis donis exornatum in regnum demisit. Syphace Romam deducto, nonnulli saluti suæ consulentes, populi Romani amicum, ac propugnatorem in Iberia fuisse fatebantur: nonnulli supplicio dignum aiebant, quòd socijs & amicis bellum intulisset. Hos inter rumores Syphax mœrore confectus interijt. Hasdrubal ex quo milites armorum patientes & expertos reddidit, ad Hannonem Carthaginensium ducem quosdam ex suis mittit, qui illum belli socium & participem accirent. Admonebat præterea plures ex Iberis cum Scipione in castris esse, qui auro & pollicitationibus facilè adduci possent, vt ignem castris inijcerent. addidit et se vnà iturum cum tempus scisset. hæc Hasdrubal. Et Hanno astutia in illum vsus.

rem

rem confici posse non desperat, cæterum hominem probatæ fidei cum auro velut transfugam in Scipionis castra mittendum, qui facilem ad quosque congressum habeat, plures in sententiam trahere possit, statutáque illis die ad suos reuertatur, diem verò Hasdrubali Hanno annunciet. Inter hæc Scipioni sacra facienti periculum incendij clarè ostendebatur, quamobrem exercitum omnem scrutari iubet, & sicubi liberior ignis fieret, extinguit: ac deinceps per plures dies immolanti cum eadem signa apparuissent, dubitare cœpit, & exercitum inde mouere instituit. Interim equitis Romani seruus intellecta re, se sciturum quicquid esset pollicetur: demúmque ad herum reuersus, cuncta ex ordine edisserit. Ille ad Scipionem seruum mittit, eóque modo vniuersa multitudo facinoris conscia intercepta est, & iussu Scipionis necata, cadauera è castris abiecta. Hannoni, cum propius exercitum haberet, rumor subitò delatus est: itaque à congressu se continuit. Hasdrubal verò rei ignarus cum suis venit. Cæterum cadauerum multitudine perspecta, satis quid esset arbitratus abscessit, Hanno capta occasione in exercitu palam retulit Hasdrubalem Scipioni se dedentem ad eum accessisse, Scipionem autem non admisisse, quorum causa multo magis à Carthaginensibus odio haberi cœpit. Eadem tem-

pestate Amilcar Romanorum naues inopinè aggressus, triremem vnam, & onerarias sex inde capit. Hanno altera ex parte ijs qui circa Vticam castra habebant, propere inuectus fœdè pellitur. Scipio cum nihil proficeret, soluta obsidione machinas omnes ad Hipponam transtulit. Cúmque huiusmodi instrumentis nihil vlterius indigere videretur, combustis omnibus regionem depopulatus est, nonnullis in amicitiam admissis, quibusdam prædæ suppositis. Carthaginenses desperatis rebus Hannibalem belli ducem statuerunt: nauium verò præfectum cum classe dimisere, qui eum in Libyam properè acciret. Interim ad Scipionem legatos mittunt, pacem postulantes. Sperabant enim ex duobus alterum consequi posse, vt vel pacem impetrarent, vel quoad rediret Hannibal, tempus consultando tererent. Scipio inducijs duntaxat illis concessis, refecta exercitus impensa, Carthaginensium legatos Romam misit. Hi legationis officio fungentes, extra mœnia, vt hostium mos est persistebant. Cum ad Senatum accessissent, veniam suppliciter deprecati sunt. Senatorum igitur plerique Carthaginensium perfidiam coràm referebant, qui toties fœdera inita violassent: porrò quot clades Hannibal intulisset populo Romano, Romanorumq́ue socijs in Iberia & Italia, vnà recensebant. Alij pacis

cis commoda pensitanda esse, cuius utilitas non Carthaginensibus magis quàm ipsis conspicua esset, Italia ab hostibus vastata: futuros etiam metus ante oculos ponebant, Hannibale magnos exercitus ex Italia in Scipionem deducente, Magone ex Libya, Hannone verò ex Carthagine ciente bellum. Quibus ex rebus cum addubitaret Senatus, legatos Scipioni in Aphricam misit, cum quibus, quid facto opus esset, maturè consulere & iudicare posset. Scipio Carthaginenses ad pacem adhortatus, in hæc conuenisse dicitur. Magonem quāprimum ab Liguribus classem abducere, Carthaginenses nullos deinceps exteros mercede conducere, nauésque non ultra triginta longas tenere posse, nec ulterius quicquam bello conari præter ea quæ intra Phœnicum fossam possiderent. Restituere Romanis captiuos, eorúmque transfugas, argenti præterea mille & septingenta talenta statuto illis tempore pendere debere: Masinissam Massylios, & quæcunque ex Syphacis regno occupet, possidere. Hæc inter utrosque firmata fœdera, legatique utrinque missi, hi quidem Romam, ut ea apud consules sancirent, alij à Roma Carthaginem profecti, qui à Carthaginensibus promissa firmari poscerent. Masinissæ Romani societatis & fidei monumenta huiusmodi contulere, coronam auri, ensémque ex auro pariter cælatū,

currum ex ebore, & purpuram stolámque Romanam, equum praeterea phaleris ornatum aureis, & arma quibus in bello vteretur. Dum haec ita geruntur, Hannibal quanquam inuitus & dolens ad Carthaginenses proficiscitur, infidelitatem populi erga principes, rerúmque celeritatem nimiam accusans. Diffisus igitur inducias fieri posse, vel si facta essent, permansuras esse, Adrumetum Libyae vrbem proficiscitur, frumentóque in vnum collecto plurimos ad comparandum equos misit. Numidarum praeterea principem Arearchidem nomine in amicitiam pepulit, quatuor equitum millibus transfugarum qui ad eum venerant, & sub Syphace olim militantes Masinissae adhaeserant, ex suspicione interemptis, quorum equos caeteris in exercitu partitus est. Venit ad eum & Mesopyllus ex primoribus item equitibus mille comitatus, & Vernas alter ex Syphacis filijs plurimum adhuc paterni regni obtinens. Ex Masinissae quippe vrbibus quasdam suasione pellexerat, nonnullas metu abduxerat, & tunc apud Narcem castra habebat, & commeatibus vsus, tanquam socia fruebatur vrbe. Cùm insidias inferre decreuisset, plerósque in vrbem misit clàm enses veste tegentes, quibus imperatum erat vt ciuibus parcerent quoad tuba signum traderetur: tunc verò moenia custodientes aggredi,

di, & portas sibi vendicare. Per hunc modum Narcen capta est. Carthaginensium interim plebeij priusquam fœdera inirentur, persuasi, tunc Scipione adhuc præsente cum legati eorum Romæ morarentur, Scipionis commeatum Carthaginem delatum vi ventorum rapuere, vectoribus in vincula coniectis. Aduersante autem Senatu eorum, & ne fœdera prius inita violarent suadente, vt iniquè ab illis facta questi sunt, faméque ob huiusmodi moras inualescere, Scipio per inducias bellum illis inferre haud dignum ratus, pœnas ab his qui fœdus violassent, exigebat. Illi contrà legatos Romanorum quoad sui Carthaginem redeant detinere instituunt. Cæterùm hos Hanno magnus & Hasdrubal Heriphus è populi manibus ereptos, duabus emisere triremibus. Alij igitur Hasdrubalem classis præfectum hortari cœpere, vt circa Apollinis montem præteruectus, cum triremes applicuissent, legatos inuaderet: quod ab illo factum est. Qua ex re nonnulli legatorum sagittis interfecti, reliqui saucij ad Scipionis classem peruenerunt: ibi nauibus assumptis insequentes hostes effugerunt. Quæ cum Romæ nunciata essent, Carthaginensium legatos qui pro pace ad vrbem venerant, veluti hostes excedere iussere. Hi ventorum vi ad Scipionis castra delati capiuntur. Cùm autem nauium

præfectus Scipionem interrogaret quid de ipsis fieri oporteret, nihil persimile Carthaginensibus, inquit, sed liberos ire iube. Hæc cum Carthaginensium Senatus audisset, plebeios vehementius increpare cœpit, consilióque inito Scipionem placandum statuit, ut fœdera servaret, pœnas ab iis qui facinoris rei essent sumeret. Illi Senatui aduersantes ob iniquè acta, quasi nihil utile ab eo perspectum esset, à seditiosis quibusdam irritati querebantur, & in vanas spes elati, Hannibalem cum iis quas haberet copijs, accersendum prædicabant. Ille belli magnitudinem inspiciens, Hasdrubalem cum exercitu vocandum suadebat. Hasdrubal igitur pœna liberatus, Hannibali se imperatori facilè concessit, neque tamen palàm à Carthaginensibus videri ausus in vrbe latitabat. Scipio ad Carthaginem deducta classe, ciues denuò à maris commeatibus inhibere cœpit: non multum etiam mediterraneis abundantes copijs, destituta ob bellum incultáque tellure. Iidem ferme diebus equestris pugna inter Scipionem & Hannibalem commissa est. In ea Scipio longe superior: sequentibus porrò diebus concertationes & prælia inter vtrósque habita. Cæterùm cum Scipio Hannibalem vehementi inedia premi, & commeatum naui aduentantem opperiri cognouisset, nocte Thermum tribunum in eos qui

veherent emittit. Thermus igitur tumulum quendam angustis tramitibus adeptus, ad tria millia Libycorum occidit, commeatúmque ad Scipionem detulit. Hannibali itaque ad extremam inopiam delato, & quemadmodum præsentem sortem perferre posset meditanti, tandem ad Masinissam legatos mittere visum est; qui illum precarentur, conturbernijq; & eruditionis pristinæ cum Carthaginensibus monerent, orarentque vt Scipionem ad ineunda denuò fœdera hortaretur. Quæ enim à plebeijs prius gesta essent, stultissimi cuiusque temeritate processisse. Masinissa igitur vrbis dignitatem, in qua altus eruditúsque fuerat, haud paruificiens, multorum præterea in ea amicissimus, Scipionem ad huiusmodi fœdera induxisse dicitur, Reddere Carthaginenses naues virósque omnes, quos Romanorum commeatum ferentes intercepissent, quæ ve ab illis vi abstulissent, aut damni pretium quemadmodum Scipio illis imperet, exoluere: commissorum præterea mulctam mille talenta Carthaginenses pendere debere. Hæc fœdera inter vtrósque icta, induciæq; institutæ, quoad hæc omnia Carthaginem nunciata essent: & eo quidem modo salutem adeptus videbatur Hānibal. Carthaginensium porrò Senatus hæc ipsa libentissimè complexus, plebeios ad seruanda fœdera hortatus est, præsentem in omnibus

dirit

diritatem temporum recensens: exercitus, pecuniarum, reique frumentariæ inopiam commemorabat. At illi populari ritu in suspicionem elati, duces eorum priuatæ vtilitati consulentes, hæc omnia cum Romanis inisse criminabantur, vt illorum potentia freti, vrbem sibi ipsis subderent: quódque Hannibal nunc faciat, paulò antè Hasdrubalem fecisse, qui per noctem exercitum hostibus prodere tentasset, nec multo post seipsum Scipioni dedere, & hæc agitantem in vrbe latitare. Ob hæc rumore & tumultu subitò exorto, plerique relicto concilio Hasdrubalem hinc inde inquirere cœpere: at ille ne hosti insequenti pareat, anticipato periculo, ad sepulcrum patris profectus, seipsum veneno confecit. Illi extracto cadauere, ceruice abscissa, caput pilo infixum per vniuersam circumtulere vrbem. Sic Hasdrubal prius quidem iniquè criminatus, deinde ab Hannone mendacio reiectus, tandem à Carthaginensibus in hunc modum extinctus est, defunctus quoque calumnijs agitatus. Post hæc Carthaginenses ad Hannibalem misere vt inducias solueret, bellum cum Scipione quã celerrimè iniret: famem quippe in dies magis ingrauescere. Quod cum ille egisset, Scipio ad Partham vrbem inclytam cum exercitu venit, captáque vrbe castra ab Hannibale haud longe metatus est. Hannibal educto exercitu,

tres

tres ex suis ad exploranda Romanorum castra demittit: hos Scipio ad se deductos nequaquam occidi permisit, vt in talibus mos est, verùm per exercitum omnem, apparatúsque bellicos, ac machinas circumduci, & exercitantes copias inspicere mandauit, deinde liberatos ad Hannibalem reuerti, & quæ vidissent, ex ordine referre. Ea clementia commotus Hannibal, haud indignum ratus est cum Scipione iterum verba facere. Cum in colloquium venissent, Carthaginenses ob pecunias duntaxat ipsis impositas fœdera fregisse ait: quamobrem si hæ excludantur à Romanis, Siciliam verò, Iberiam ac reliquas insulas quibus imperant, retinere velint, pacem perpetuò mansuram esse. Tum Scipio, Non parum vtilitatis (inquit) ex Italiæ fuga consecutus es Hannibal, si hæc à Scipione impetras: prohibuítque vlterius quenquam ad se mittere. Nonnulla igitur inter se comminati, ad exercitus quisq; suos rediere. Erat autem ciuitas haud longe ab his nomine Cilla, huic proximus collis statuendis castris idoneus: quem cum Hannibal occupare vellet, nonnullos præmisit, qui locum castris metarentur: ipse sublato exercitu processit quasi collem recepturus. Præueniente autem Scipione, in medijs destitutus est aruis, sine aquatione perpetem noctem in effodiendis puteis absumens, cum milites iugi labore suffoßis

foßis

fossis arenis, modicum quid aquæ turbatioris haurirent, sine cibarijs, neglecti & inculti, multi quoque in armis peruigiles stetissent. Quibus intellectis Scipio die lucescente exercitum in eos emisit ex itinere, vigilia sitique confectos. Hoc loco Hannibalem contristatum ferunt, cum pugnam detrectaret, diúque cogitasse quid potissimum esset acturus. Si enim persisteret, fore videbat, vt in arida regione destitutus siti conficeretur: sin fugeret, animos hostium alacriores redderet. Tandem multa versanti, ob præsentem sortem necessarium visum est, quamprimum bello decerneret: ac statim ad quinquaginta millia militum in aciem eduxit, elephantos verò octoginta: quos in hunc modum instruxisse dicitur. Primum quidem elephantos in fronte per interualla disposuit, quæ formidolosiora viderentur, anteponens oculis. Sub his tertium totius exercitus agmen collocatum, Celtæ scilicet ac Ligures, quibus sagittarij inuicem admisti suberant. Funditores præterea Maurusij, & Gymnasij: post hos secunda stabat acies: in hac Carthaginenses & Libyci inerant. Vltimi verò quicunque Italia excedentem secuti fuerant, in quibus potissimum spem posuerat. Equites in cornibus locati sunt. Hoc modo acies ab Hannibale instituta. Scipioni verò ad tria supra viginti millia militum fuere: Italorum &

Rom

Romanorum equites mille & quingenti. Aderat auxilio Masinissa plurimo Numidarum septus equitatu, & Dacamas alter ex regulis equites sexcentos agens. Pedites igitur vniuersos, quemadmodum Hannibal, in tres distinxit ordines. Cohortes autem omnes rectas iussit commorari, vt liberius per eas equitatus sine impedimento decurrreret. Singulis autem cohortibus propugnatores in fronte constituit, qui sudes bicubitas maximè densas, plures etiam ferro munitas è peltis in elephantos manu iacerent. His cęterisque peditibus edictum fuerat, vt elephantorum declinarent impetum, cursuque hinc inde citato bestias telis agitarent. Demum propinquiores effecti, si possent earum neruos ferro cęderent. In hunc modum peditatus à Scipione distributus est. Equites verò & in primis Numidas cornibus prǽsidere voluit, elephantorum faciem atque impetum perferre solitos. Italos contrà ob insuetudinem in extremam transtulit aciem, vt cum elephantorum vim primi propulissent, ipsi per acierum interualla facilè transire possent: singulis autem equitibus minister additus, qui tela plura deferret, elephantos cum opus esset ab incursu auerteret. Eo modo equitatus ab illo dispositus est: dextrum cornu Lęlio, sinistrum Octauio regendum dedit. Ipse inter medios constitit. Pari modo locatus est Hannibal. Vterque ex

eorum

eorum gloria multis hinc inde stipatus militibus, quibus cum maximè laborandum esset, in bello Vterentur. Hos ad quatuor millia Hannibal, duo millia duntaxat Scipio ducebat trecentis additis Italis, quos in Sicilia secū agens armis equisq́; instruxerat. Cum in promptu essent omnia, duces equis discurrentes, suos Vicissim ad bellum hortabantur. Scipio deos in cōspectum militum inuocans, Carthaginensium perfidiæ testes afferebat, qui fœdera toties inita Violassent: nō magni faciendam esse hostium multitudinem: cæterum Virtutem existimandam, ob quam multo plures in eadem prouincia Vicissent: quod si Victoribus ad belli euentum timor aut ignauia aut trepidatio Vlla insit, quanto magis Victis ipsis ex necessitate inesse existiment? Ad hunc modum Scipio suos allocutus, posthabito pauore ad bellum incitabat. Hannibal altera ex parte quæ in Italia à suis gesta essent memorabat, quàm multa & præclara egissent, nec cum Numidis, Verùm cū Italis omnibus, & in ipsa Italia. Paucitatem præterea hostium illis ostendebat, hortabaturq́; ne deteriores paucioribus ipsi multo plures in propria tellure existerent. Discrimen denique instantis belli Vnusquisq; suis recensebat. Hannibal non Carthaginem modò, sed Libyam omnem ex huiusmodi pugna pendere aiebat, & an serui futuri essent, an eorum principatum

quis

qui cepissent, retenturi. Scipio ne victis quidem fugam tuto patere, victoribus gloriã, summum imperium, præsentium laborum requiẽ, reditum denique ad suos polliceri. sic quisque suos adhortatus, ad prælium accessit. Prior Hannibal signum dare tuba imperat: cui à Scipione vicissim reclamatum est. Congredientibus ipsis, primi elephanti terribili apparatu insidentium stimulis agitati pugnam incepere. Ad hos equis accurrentes Numidæ, turmatim eos vulnerabant, quousque saucij, ac fugientes, nec satis assessorum imperio parentes, è pugna discessere. Et hæc quidem circa elephantos ad cornua exercitus gesta: ac media acie Romanorum pedites locati fœde proterebantur. Quippe cũ pugnæ haud satis gnari timidioresq́ꝫ, præterea armis onusti neque fugere, neque insequi faciè poterant, his Scipio equites Italos à tergo instantes, ac leuius armatos prælio adiungit, eosq́ꝫ ex equis metu territis descendere, hastisque elephantos passim discurrentes insectari iussit. Ipse inter cæteros primus equo descendit, elephantúmque irruentem hasta transuerberat. Qua ex re excitati reliqui, in elephãtos celeri cursu ferũtur, vulneratósque ab impetu auertunt. Vacuefacta igitur elephantis acie, pugna virorũ equorumq́ꝫ fieri cœpta. Dextrum Romanorum cornu, cui Lælius præerat, Numidas aduersos

A pellere

pellere cœpit. Nam Masinissa vnum ex regulis Massathen nomine humi strauerat. Cæterum accurrente Hannibale, pugna quasi deperdita ex integro restituta est. Sinistrum verò Romanorũ cornu, quod Octauius regebat, Celtæ ac Ligures vehementius vrgebant: his propere Scipio Thermum tribunum cum electioribus auxilio mittit. Hannibal in læuũ Ligures ac Celtas adequitare iubet, secundã Carthaginensium ac Libycorum aciem inferens Romanis. Videns igitur illũ Scipio, cũ alijs copijs accurrit: duobus igitur clarissimis ducibus in pugnã prodeuntibus, contentio inter omnes splendida, timorq́; versabatur: nihil promptitudinis ab vllo omissum est: vehementi prælio, labore, ac vociferatione cuncta strepebãt. Cùm longa & incerta pugna esset, milites imperatorum sortem miserati, inuicem armis concurrunt, eo modo celerius prælium confici posse sperantes. Infestis etiam hastis inter se concurrere duces. Id aduertens Masinissa, Romani porrò ducem militari more certantem conspicati, vehemẽtius in pugnam ruunt, perturbatosq́; hostes insequi cœperunt. Hi neque adequitante Hannibale, atque rogante vt fugam sisterent, pugnam denuo ingrederentur exorari potuere. Itaque destitutis ipsis, Italos qui cum eo venerant, stabilemq́; adhuc aciem seruabant, in pugnam excitat, ratus Romanos

sparsim

ꝑarsim ac sine ordine suos insequentes facilè
urbari posse. At illi ducis astutia perspecta,
lato signo celerrime se inuicem ab insecutio-
e reuocant, iterúmque ad prælium redeunt:
uibus cum hastæ equíque deficerent, ensibus
nter se complexi, bellum gerunt hic Vero in-
entem cædem immensáque Vulnera cernere
rat. cadentium gemitus, interficientium mi-
æ exaudiebantur, donec Itali hostes in fu-
ant Vertunt, fugientésque insequuntur. tum
elli sententia illustris Visa. Hannibal cum è
uga præceps Numidarum equites quàm plu-
imos adhuc stantes Videret, indignum ratus
os derelinquere, conuersis accurrit habenis,
erumq; in persequentes adhortatur. sperans
tile quippiam eo in prælio se facturum. Pri-
nis igitur Massylijs inuectus prælium reno-
at. Et hæc Vnica Masinissæ & Hannibalis
ugna fuit, cum Vterque consisteret. Promptis
rgo animis inuicem congressi depugnabant.
Masinissa equo prolapsus, hostem pedes ag-
reditur, accurrentémque sibi ante alios equi-
em obtruncat. Deinde tela ab elephantis de-
elicta suscipiens, infixaq; diuellens in hostem
etorquebat. Verùm dum frustra nititur, equi-
em propius stantem confodit. Postremò te-
um educere conatus, brachio traijcitur. post
nodicum itaque pugna excedere compellitur.
cipio intellecta re, Vt Masinissæ instanti pe-

 riculo

riculo consuleret, auxilio accurrit. Interim Masinissam alterius equo insidentem, & in prælium redeuntẽ cernit vulnus palàm ostentantem. Erat belli discrimẽ iterũ inter vtrosque par ipsis duces verentibus, quousq; Hannibal Iberos & Celtas tumulo quodam consistentes cursu ad eos delatus, euocat, veluti in pugnam deducturus: tum verò cæteri prælio intenti cum causam ignorarent, motum ducis fugam arbitrati, è prælio discedunt, nulloq; ordine palantes effunduntur, nec quà Hannibalem euntem conspexere, verùm vt casus quenque impulit, fugam capessunt: eoq; modo exercitus omnis dissipatus est. Romani deuictis hostibus temere effusi insequi cœperunt, nec ipsi admodum quæ ab Hannibale gesta erant discernentes. At ille Iberis & Celtis denuo comitatus aderat. Qua ex re Scipio iterum suos ab insecutione reuocari admonet, longéque plures quàm quos ductabat Hannibal è tumulo rediens, in aciem statuit, ita vt eorum impetum facilè perferre posset. Hannibal hac vltima frustratus spe, postquàm omnia à se incassum attentari vidit, desperatis rebus non iam clanculum, sed apertè fugam arripit: quem plurimi Romanorum equitum subinde conspicati propere insequuntur, verùm antè alios Masinissa, quanquàm vulneris dolore præpeditus, continuo propius vrgebat equo,

haud

haud paruifaciens Hannibalem Scipioni captiuum ducere. Caterùm beneficio noctis eretus, cum Viginti duntaxat equitibus qui eius ursumsequi potuere, ad Vrbem peruenit, cui Thunex est nomen. Hic Bretiorum & Iberorum equites quamplures è pugna aufugisse Vi let. Veritus igitur Iberos, Vtpote barbaros, on minus etiam Bretios suspectos habuit, entem Italicam Scipioni amicam, arbitratus, facilè ob ea quæ in Italia egissent, Veniam b illo petituros esse. ob id Vnico comitatus quite, cui maximè fidebat, Adrumetum Vrem maritimam illico accessit, duabus noctius totidémque diebus ad tria millia stadia menſus. In ea exercitus sui partem, quam ad mmeatus curam destituerat, inuenit. Præissis itaq; nonnullis ad finitima loca, quoq; è bello fugientes reuocaret, arma machiusq; præparabat. At Scipio tam insigni Viòria elatus, quæcunque ex præda minus Vtis Visa sunt, igne cremauit, cætera, Vt Romas ducibus mos est, asseruari iubet. Ex his dem auri talenta, argenti Verò duo millia & ingenta, elephantumq; eximie ornatum, ac ptiuorum quoscunque clarissimos Romam isit. ad hæc Lælium Victoria nuntium cum sse ire iussit. Reliqua inter milites, Vt cuq; Virtus mereri Visa est, distributa sunt. lasinissa aurea corona donatus est. Ipse Vrbes

omnes circumvectus in potestatem redegit. Et hic finis Hánibalis & Scipionis in Libya belli fuit, in quo inuicem tum primum collatis viribus dimicatũ est. Romanorũ duo millia & quingenti ea pugna cecidere. Ex Masinissæ militibus multo plures. Hostiũ verò quinq; & viginti millia cæsa tradũtur: captiui octo mille & quingenti abacti. Præterea Iberi qui ad Scipionẽ transfugerant trecenti. Numidæ verò qui apud Masinissam octingenti. Ignorantibus adhuc Carthaginensibus Romanisq; belli euentum, Carthaginenses Magonẽ qui Celtas deduceret, in Italiam descendere, sin minus id queat, cũ ipsis in Libyam adnauigare iubent. Interceptis autem literis, & Romam missis, nouum denuo exercitum, equites, naues, pecuniasq; Romani Scipioni decernũt. Scipio Octauium terrestri itinere Carthaginẽ præmittit. ipse subinde nauibus aduentabat. At Carthaginẽses cognita Hannibalis clade, legatos Scipioni cum naui destinant, Hannonem cognomine Magnũ, & Hasdrubalem Heriphum. Hi tubicinem in prora nauis statuentes porrectis manibus supplicum more deprecabantur, quos Scipio in exercitum venire iussit: ipse editiori solio locatus quæ dicturi essent expectabat. Legati profusis lacrymis humi se prosternũt. Hos minister assurgere monitos, quæ vellent effari imperat. tunc Hasdrubal Heriphus

in

hunc modũ allocutus est. Mihi quidẽ fas est
Romani, & Hannoni ipsi, reliquisq; Cartha
gensibus quicũq; nõ insipientes sunt, purga-
crimina quæ nobis obijciuntur. Legatos ve-
os, in quos ciuitas nostra haud sponte deli-
erat fame compulsa, tutati fuimus, eosq; ad
saluos misimus. æquũ est autẽ nõ omnibus
censere Carthaginensibus ijs qui pacẽ prius
iere, cupideq; susceptã firmauere sacramen
Sunt autẽ populi ad deteriora procliues, &
icquid multitudini gratius est, locũ obtinet,
od & nos passi sumus. neq; suadere potẽtes,
q; continere, ob illos qui nos criminabãtur,
nemq; fiduciã à nobis auferebant. Neq; no-
a suasione, aut consilio hæc ipsa iudicetis ô
omani: verũ si fidere cunctãtibus peccatum
citis, famẽ, ac necessitatẽ eorum quæ ob hæc
ssi sumus, cogitate. quorũ nullũ opus volun-
rium nobis fuit. Modo quidẽ pacem exora-
pecunias tot impendere, naues longas præ-
paucas omnes dimittere, plurimum quoq;
perij vobis sinere, & hæc omnia firmare sa-
amento iusiurandũ intereà Romã mittẽtes,
m legati nostri apud vos adhuc essent, spõte
liquisse creditis. Verum potius deorũ quem-
ã vobis inimicũ fuisse putandũ est, ac tẽpe-
atem quæ vestros cõmeatus Carthaginẽ detu
t, ex quo tẽpestati fames vos eripuit non bene
per ijs qui omnium indigni sunt iudicantes

non enim à multitudine incōposita atq; infelici ratio exigenda est. Sin vobis & hoc modo errasse videmur, nō infelices extitisse, id quoq; fatemur, & ob id veniam à vobis supplices deprecamur. Est quidem innocentium iustificatio propria, delinquentiū verò deprecatio censenda: in qua felicißimorū misericordia eo facilior esse debet, quo humana contemplātes, ob subitos atq; inopinatos casus eos deprecari vident, quos paulò ad nocendum potentes conspexere, qualis Carthaginensium ciuitas olim fuerat, quæ cunctarum in Libya potentia superior nauibus, pecunijs atq; elephantis abundabat, equestribus copijs pedestribusq; florebat, pluribus nationibus per septingentos annos imperauerat, totius Libyæ, aliarumq; gentium, insularum prætereà, marisq; domina nonnunquam de imperio vobiscum contenderat, nunc omnibus destituta, neminem sibi obsequentem habet, non equitem, non peditem, non nauim, non elephantum, quorum omnium salutis spem nobis ademistis. Sed & in vobis sunt qui mala pertulerunt, ad quæ opus est ò Romani, indignationemq; fortunæ in vobis obseruantes, mediocriter prosperitate vestra vti, magnanimitatisq; vestræ nequaquā obliuisci, & aliquando Carthaginensium infelicitati condigna facere, rerum mutationes sine inuidia in nostris disponentes cladibus, vt apud deum irreprehensibil

ssibilia vestra sint, erga homines laude & mmendatione digna. Non enim vt deficiant rthaginenses à vobis, metuendū est, qui tam m pœnitentiæ tantumq́ue pœnæ ob præteritom tulere perfidiam. Est profectò sapientibus nocentiæ custodia salubre consilium, delinuentibus verò pœnitentia atque pœna: cōstantioresq́ue eos esse necesse est, qui castigatione af ecti sunt, quā qui nihil mali pertulerūt. Neque lignum est ò Romani quæ Carthaginensibus bijci à vobis solēt, perfidiam, crudelitatemq́ue, a vos imitari. Infelicibus quippe aliorū delicta exempla sunt ob vrgentes clades: felicibus autem in potestate clementia est. Nec verò vtilius aut gloriosius imperio vestro futurum est, tantam vrbē delere potius, quàm seruare. Eritis enim in vtilitatibus vestris meliores vobis iudices. Nos autem vobis, et ad salutem vestrā hæc duo magis efferemus, dignitatem scilicet principatus nostri, & vestram erga nos moderationem, quàm si armis tantum imperij tantumq́ue potentiæ effetis assecuti. Quibus autem conditionibus pacem obtuleritis, ijs vtemur. Superuacuū est illis vlterius loqui, qui se suaq́ue arbitrio vestro permisere. Hæc effatus Heriphus, fletum edidit. Scipio illis excedere iußis primores conuocat, cum his diutius consilio immoratus, tandem legatos acciri iubet, quibus in hunc modum locutus est. Ne minima

quidem venia digni estis ô Carthaginẽses, qui toties fœdera inita violastis: & hæc vltima in legatos adeò aperte, adeò inique sæuiẽtes corrupistis, vt neq; negare neq; contradicere fas sit, quin extremo supplicio digni sitis. Quid manifesta accusare opus est? Ad preces confugite, qui ne Romanorum quidem nomen liquissetis, si victoriam fuissetis adepti. sed neque nos similia vobis egimus, ex quo legatos vestros Romæ commorantes, fœdera pro vobis sancientes, cum nostros violauissetis, ciuitas nostra liberos ire iussit: ego vestros in castra delatos ad me instante adhuc bello illæsos remisi. Necesse est igitur vt errores aliquando cognoscatis vestros, & quodcunq; vobis reliquerimus, id omne in lucro deputetis esse. Dicam igitur quæ mihi videbuntur: Senatus verò sanciet si putauerit. Dabimus iterum vobis pacem, ô Carthaginenses, si naues longas decem duntaxat exceptis, Romanis tradideritis: si elephantos quos habetis, & cætera prius per vos sublata restitueritis, vel eorum pretium me iudice si qua incerta erunt persoluetis: captiuos præterea omnes ac transfugas, & quoscunque ex Italia eduxit Hannibal, tradideritis: & hæc intra trigesimã diem ex quo pacẽ susceperitis, à vobis fieri poscimus. Intra sexagesimam verò Magonem Liguria excedere, præsidiaq; vestra ex vrbibus educere, quæ extra

Phœnic

hœnicum fossam sita sunt: obsides vniuersos reddere: quotannis etiam talenta Euboica du enta in annos quinquaginta Romanis pende e: neque Celtas aut Ligures stipendio conducere vlterius, neque Masinissæ alijs ue Romanorum socijs inferre bellum, aut Carthaginensium quempiam ad id mittere. Ciuitatem liberam habere, & regionem omnem quæ intra Phœnicum fossam continetur: Me autem nauigante in Libyam, Romanorum socios & cōfederatos terra mariq; habere, si senatui populóque Romano visum fuerit. Quibus approbatis, Romanorum exercitum intra dies centum è Libya educemus: inducias quas solueritis impendemus. Sin legatos Romam mittere vobis placet, pueros obsides centū quinquaginta mihi dabitis, quos ipse elegerim: ad hæc exercitus impensam talenta alia mille persoluetis, cō meatumq; conferetis: elapsis inducijs obsides suscipietis vestros. Hæc à Scipione prolata legati ad Carthaginēses deferunt. Multitudine itaq; in vnum collecta per plures dies, & quid agendum foret consultante, potioribus quidem quæ à Romanis proponebantur, suscipienda esse, ne his diffidentes omnia in discrimen ponerent, videbatur. Plebeij econtra non tam periculum imminens, quàm eorum quæ ipsis auferrentur, copiam æstimantes, dissidere cœperunt. palàm etiam queri, frumentum quod in fame

me pernecessarium ciuibus esset, à primioribus per inducias tradi hostibus. Deniq; in vnum collecti, eorum domos igne succensuros spoliaturosq; minitabantur. Tandem placuit Hannibalem qui pedites quinquies mille, equites sexcētos in vnū collegerat, et in vrbe Marthama castra habebat, in conciliū vocari. Cū accessisset, ac pleriq; moderatiores vereri cœpissent ne vir bello deditus multitudinē vltro in illos cōcitaret, ille pudice admodū pacē suscipiendā exhortatus est. At multitudo ira cōcita in illū proclamare, omnibusq; minitari cœpit, sic vt plurimi ex notis desperata vrbe partim ad Masinissam, partim in Romanorū castra confugerent. Carthaginenses plurimū frumenti in foro cumulatum ab Hannibale intelligentes.

Desiderantur hic pauca quædā de populi tumultu, atq; Romanorum consultatione de rebus Carthaginensium, id quod ex sequentis orationis fragmento facilè constare videtur.

Pacē autē nō admittere, turpe & inuidiosum est: quæ Scipio optimè callens, vt apparet, eius sentētiā ad nos misisse existimo, vt consultādi morā vel cunctātibus adimeret. Aequū est illū multo melius hæc ipsa intelligere præsentē operi atq; intuentē. Cuius suasiones si contemni à nobis senserit, non mediocri dolore eum afficiemus, patriæ amatorem, imperatoremq; præcipuum, qui nos in Libyam ire dubitantes consi-

lio

lio suo impulit, exercitum à seipso confirmauit, & ad ea quæ nunquam sperauissemus, euexit. Quod profectò admiratione dignum arbitror, nos qui à principio huius belli desides negligentesq́ue fuimus, nunc adeò superbe, adeò intemperanter in hostes ferri. Quod siquis hæc bene fieri existimat, ac fœdera denuo à Carthaginēsibus violari metuit, nunc vel in primis ab illis obseruatum iri certo sciat, qui ob præteritorum inconstantiā tot mala perpeßi sunt, pietatemq́ue in futurum obseruaturos magis, qui ab impietate corruerunt. Nec profectò eiusdem consilij esse existimo, modo quidem Carthaginenses vt impotentes spernere, deinde ne deficere iterum poßint, expauescere. Custodire autem eos ne in maius extollantur, facilius esse arbitror, quàm delere. Nunc quidem ex desperatione pugnaturos reor, quos subinde cum timore seruare oporteat. Satis illis malorū etiam sine nobis iniunctum est: quibus omnes finitimi infensi sunt, ne vim aliquando ab illis patiantur, & Masinissa nobis amicißimus continue illis imminet, quod siquis hæc omnia contemnit, vt et ipse Scipionis imperium aliquando mereatur, hoc solum quod ad se spectat, respicit, & quæ illi euenere, sibi futura confidit. quid enim vtilitatis assequemur vrbem suscipientes quam habemus? Delebimúsne funditus, quoniam frumentum nauesq́ue rapuerunt, quæ cum multis alijs nobis debent? Hoc certe

nos facere iniurium est, si deorum indignationem, si hominum inuidiam multifacimus. Masinissæ ne habendam dabimus? At ille quidem amicus nobis est, quem tamen in maius adaugeri haud tutũ existimo. quin potius inuicẽ eos cõtendere ac bellare vtilius arbitror populo Romano. At quos prouentus ex ea regione referemus? sed eos in seruandis exercitibus illic nostris cõsumere oportebit. Multis quippe, vt inter plurimos accolas potissimũ barbaros, indigebimus. Colonósne illuc emittemus in medio tot Numidarũ qui barbarorũ potissimi semper dira meditãtur? Qui, si forte superiores euaserint & in futurũ nobis formidolosi sint atque aduersi necesse est, regionẽ tam amplã, nostraque vberiorem multo magis possidẽtes. Quæ profecto animaduertẽs Scipio, consulere mihi videtur Carthaginensiũ preces haud spernẽdas esse à vobis. quamobrẽ supplicantibus ipsis, suadentique Scipioni assentiendum arbitror. sic ille effatus est. P. autem Cornelius Cornelij Lentuli affinis ac cognatus, qui tum consulatum obtinebat, & Scipioni fauere videbatur, contrà in hunc modum dixit. Hæc quidem commodũ ô viri quod solum hostibus vtile est, quod & isti inquantum possunt nobis suadere conantur: quorum perfidiam cum potentia custodire opus est, aut vires delere, ex quo perfidiam non licet: in quare nullum tempus habilius quàm præsens est.

quod

quod nos à Carthaginensium timore liberet, in quo omnium maxime imbecilles sunt atque infirmi, ad Vtrumuis iterum augeri. Non enim quod iustum & æquum est, effugere est animus, nec immoderatam mihi opinionē in Carthaginenses Videor afferre, qui in rebus prosperis inique agunt, iniurias omnibus inferunt, in aduersis Verò deprecantur, & siquid prosperi subito affulsit, iura peruertunt, neque fœderum reuerentiam, aut iurisiurandi rationem tenent. Hos quis salute dignos esse existimat, ob inuidiam hominum, indignationemq́ deorum? Ego quidem deos arbitror ad hæc deduxisse Carthaginenses, Vt aliquando impietatis suæ pœnas luant, eorúmque quæ in Sicilia, Italia, Iberia, & in ipsa Libya erga nos aliósque omnes Violatis continuo fœderibus egere crudeliter, impieque fecere. Quorum externa prius Vobis quàm domestica referre cupio, Vt plane illos intelligatis Carthaginensibus infensis an pœnas dederint. Hi Saguntinorum adolescentes, qui Iberiæ Vrbem inclytam amicissimam nobis incolunt, cum qua fœdera inierant, cum nihil mali ab his passi essent, interemerunt. Hi Nuceriam Vrbem nobis obsequentem per fœdera ingressi, iureiurando adhibito singulos ciuium cum duabus tunicis se dimissuros esse, cum in potestatem redegissent, primum senatum eorum intra balnea

balnea conclusum, adbibito igne necarunt, ciues verò abeuntes telis insecuti sunt. Acheranorum præterea senatum per inducias fidentem puteis mersere, ora saxis obruentes. M. Cornelium consulem nostrum pari perfidia delusum compulere imperatorē suum veluti morbo cubantem inuisere, demum vi sublatum ex Sicilia in Libyam cum duabus & viginti nauibus captiuum abduxerunt. Porrò Atilium Regulũ alterum imperatorem nostrum ob fœdera ad eos redeuntem afflixere tormentis. Quod autem Hannibal vel bello vel insidijs, vel iureiurando violato ciuitates, aut exercitus nostros, aut Ligurum confœderatos populi Romani deceperit, eorum vrbes diripuerit, aut cum eo militantes ad id induxerit, longum esset enumerare. Hoc solum dixerim, quadringentas nobis affuisse vrbes, quarum captiuos partim fossis obruerit, partim fluminibus immerserit, per quorum corpora tanquam per pontes ductaret exercitum, alios elephantis obterendos subiecit. Fuere quos inuicem pugnare cogeret, fratres fratribus, patres filijs opponens. Nuper autem legatis pro pace ad nos missis, non rogauerunt modo Carthaginenses, verum iureiurando confirmarunt. Demum cum legati eorum apud nos adhuc essent, naues nostras in Libya deprædati sunt, militibus in vincula coniectis, tantum ipsis

igne

ignorantia ob crudelitatem ineſt. His igitur quicquam miſericordiæ aut moderationis ab alijs impendi debet, qui nihil moderatum, nihil manſuetum norunt quique victoriam adepti, vt Scipio inquit, neutiquam Romanorum nomen nobis reliquiſſent? Sed fides illis inconcuſſa, dextera inuiolata eſt. Quæ fœdera, quæ iura excogitari queunt, quæ iſti non contempſerint? quæ tam iuſte facta, aut gratis data, quæ pro nihilo non habuerint? Non imitabimur, inquit, eos. ſed quæ fœdera à nobis diſſolui poſſent, qui nunquam fœdus icimus? At crudelitatem eorum, vt aiunt, non ſequemur. Amicos ergo & ſocios tam crudeles habebimus, neutrum certe laude dignum. Cæterum ſe nobis lege belli permiſere, quemadmodum multi ſæpe fecerunt. Scrutemur igitur an pro ijs, quæ daturi ſumus, gratias ſint habituri, an potius ex fœdere impoſitum ſibi exiſtiment. differunt hæc enim inter ſe. Quouſque verò hæc nobiſcum compoſuerint: violabunt denuo, excuſationem quandam fœderum, vt olim præferentes, quaſi à nobis iniquè ſpoliati ſint. Dubia vero ad diſſenſionem ſunt aptiſſima. Cum autem ſeipſos nobis dediderint, armiſq; ademptis corpora in poteſtate noſtra fuerint, ſentiéntque ſe nihil habere proprij, idq; animis eorum infixum ſteterit, quicquid à nobis oblatum erit, tanquam alienum vltro cupient.

Sin aliter Scipioni visum est, sententias rogare licet. Sin inscijs vobis hac ipse cum Carthaginensibus egit, quid nobis rem consultandam defert? Ego verò tanquam primoribus vobis in iudicio quæ sentirem, aperire vobis, quæ'ue vtilitati publicæ conuenire existimaui. Hæc à Publio in hunc modum relata sunt. Senatus per singulos sententiam rogare cæpit. Plures igitur Scipionis mentem secuti sunt. Et hæc tertia cum Romanis ac Carthaginensibus fuere fœdera, ad quæ potissimum Scipio illos videtur induxisse siue eorum ratione quæ prius dicta sunt, siue quòd Carthaginensibus principatum ademisse abunde ad felicitatem visum est. Sunt qui putent Scipionem vtilitati publicæ consulentem, vrbem illam Romanis finitimam atque æmulam seruari maluisse, ne aliquando secundis elati rebus, per ocium ignauiámque torpescerent. Quod & paulò pòst Catonem illis dixisse ferunt, cum Rhodios infensos sermone compesceret. Scipio post hæc ex Libya in Italiam profectus, vniuersas copias classe traduxit. Romámque ad triumphum reuersus est, quem omnium ante se splendidissimum dicitur egisse. Eius forma, vt nunc fit, ab illis seruata est. fuit autem huiusmodi. Sertis redimiti omnes, præcinentibus tubis, currus spolijs refertos deducebant. Ferebantur & lignea

gneæ

gnea turres captarum Vrbium simulacra praeferentes: scriptura deinde & imagines earum quas gessissent. Aurum deinceps & argentum partim rudibus massis, partim notis, aut huiusmodi impressum figuris. Coronae praeterea quas Virtutis gratia Vrbes aut socij, aut exercitus Vrbi parentes militibus dedissent. Candidi subinde boues & elephanti illos sequebantur. Post hos Carthaginensium ac Numidarum principes bello capti. Imperatorem lictores praibant purpureis amicti Vestibus, tum citharaedorum ac tibiarum turba ad Hetrusca similitudinem pompa. Hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo cuique ordine canentes psallentésque prodibant. Hos Lydios appellant: Vt facile crediderim Hetruscos à Lydijs sumpsisse originem. Horum in medio quispiam talari Veste, fimbrijs ac armillis auro splendentibus amictus, gestus Varios edebat, hostibúsque deuictis insultans, risus Vndique ciebat. Post thuris & odorum copia imperatorem circunsteterat, quem curru deaurato multifariámque notis refulgente candidi Vehebant equi, auream capite gestantes coronam, lapillis ornatam gemmisque. Hic Vestem succinctus purpuream patrio more aureis intextam syderibus, altera manu eburneum sceptrum, altera laurum praeferebat, quam Romani Vi-

ctoria insigne profitentur. Vehebantur & cum eo pueri virginésque, & ad habenas hinc inde cognati iuuenes, demum qui exercitum secuti fuerant, scriptores, ministri, scutiferiue, postremo exercitus in turmas aciésque diuisus currum sequebantur. Milites quoq; lauro redimiti, laurum manu ferentes, quibus meritorũ insignia adiuncta aderant, qui primores hos quidem laudibus ferrent, hos salibus insectarentur, nonnullos infamia notarent. Simplex denique triumphi forma, & quam vnusquisq; sermone facile explicare queat. Cum in Capitolium ventum esset, Scipio deposito apparatu epulum amicis, vt mos erat, in templo præbuit. Et hic finis secundi belli Romanis ac Carthaginensibus fuit, quod in Iberia inchoatum, in Libya finem habuisse constat, ictis inter vtrosque fœderibus olympiade apud Græcos quarta & quadragesima supra centesimã. Masinissa deinde Romanorum potẽtia fretus, illato Carthaginensibus bello, plurimum agri veluti ad se pertinentis per vim ademerat. Ea ex re Carthaginenses Romanorum opem implorare coacti, Masinissam conciliari precabantur. Illi legatos ex suis misere, quibus edictum fuerat, vt Masinissæ clanculum fauerent. Per hunc modum Masinissa Carthaginensium agros magna ex parte adeptus est, fœderaq; inter vtrosque icta, quæ per annos quinquaginta

perm

permansere, quo potissimum tempore Carthago floruit, in pacéque constituta ad summum potentiæ dignitatisq; peruenit. Ob agrorum autem fertilitatem, marisq; commoda, vt in felicitate mos est, dissidentibus inter se ciuibus, hi Romanorum partes sequi, illi populo fauere, nonnulli Masinissæ hærere certabant. Erant autem factionis capita plerique, qui gloria & virtute longe præcellerent. Romanis plurimum fauebat Hanno cognomine Magnus. Masinissæ prior aderat Hannibal Sarius appellatus. Popularium verò partes Amilcar Samnitis, Carthaloq; sequebantur, qui Romanos obseruabant Celtiberis aduersos: Masinissam subinde ab alijs Iberis obsideri conspicientes, Carthaloni suadent vt opem illi afferat. vtque in principio regionem præteruectus, eos qui Masinissæ aduersabantur, ac in media vtrorumque tellure constiterant, inuaderet. Verum ille multis interfectis, pluribus expulsis, Libycos qui in agris morabantur, in Numidas concitat. Qua ex re varia denuo inter illos prælia extitere: quousq; Romanorum legati ad conciliandos eos iterum missi venerunt: quibus vicissim, vt prius, à Senatu edictum fuerat, vt Masinissæ clàm fauerent. Hi igitur quæcunq; à rege per astum intercepta fuerant, hoc pacto firmauere. Primum quidem nihil dixere, aut ab vllo dici passi sunt, ne quis, vt in iudicio ple-

runq; fit quicquam auferre Masinissa posset. In medio autem progressi manus extenderunt: hæc eorum ad utrosque mandata conciliationésque fuere. Non multo post Masinissa disceptare iterum cœpit, & agros qui magni nominantur, & rationem quinquaginta urbium Tiscam appellatam sibi vendicare. Quibus ex rebus Carthaginenses denuò ad Romanos confugerunt opem postulantes. Hi legatos ad certam diem missuros se polliciti, eousq; distulere, quoad plurima in Masinissæ potestatem peruenisse crederent. Tum demum illos emiserunt, inter quos Cato fuit. Cum ad locum in quo de finibus agebatur, ventum esset, ut sibi potestatem omnium utrique darent, postularunt. Masinissa cum Romanis plurimum fideret, lucri haud incertus, se suáque eorum arbitratui facilè permisit. Carthaginenses contrà addubitare cœperunt. Quæ enim antea perpessi fuerant, haud æqua videbantur. Dixere igitur, quæcunque à Scipione prius composita essent inter eos, neque iudicibus, neque correctione ulla indigere, nisi siqua interim eorum culpa emanasse dicerent. At legati spretis illis per partes iudicare pergunt. Regionem itaque in primis scrutari incipiunt diligentissime cultam, magnosq; apparatus ostendentem. Vrbem præterea ingressi, cum potentiam eius, tum ciuium multitudinem non multo post. Scipionis

vict

victoriam adauctam conspexissent, admirati sunt. Romam itaque reuersi, singula senatui populóque Romano retulerunt, non æmulatione magis quam suspicione commoti. Carthaginensium vrbem adeo infidam, adeóque finitimam in tantum augeri, dietimque inualescere. Cato etiam præ cæteris nihil tutum illis fore, ac ne libertatem quidem adesse posse salua atque incolumi Carthagine professus est. Quæ omnia intelligens Senatus, bellum gerere instituit: excusationes etiam habuisse dicitur, quæ nulli patefactæ sunt: Catonem quoque in senatu sententiam dixisse ferunt, Carthaginem delendam esse. Scipionem autem Nasicam contraria illi sentientem, seruandam suasisse ad Romanorum metum diutino ocio desidiáque languentium. Interea Carthaginenses qui populares habebantur, Masinissæ socios atque amicos aggressi, ad XL. vrbe pellunt, decreto fugæ indicto. Populum præterea sacramento adegere, neque vlterius quenquam ex his admittere, neque suadentibus vt hos reciperent, annuere: hi verò expulsi ad Masinissam confugiunt, eúmque ad bellum concitant. Ille haud secus belli cupiditate ductus, Gelossem ac Micipsam filios eius Carthaginē legatos destinat, ciuésque vrbe pulsos denuò admitti postulat. Carthalō obuiam progressus, portas illis occludi mandauit, veritus ne expulsorum cognati atq;

Dicitur

amici populum ad commiserationem flecteret. Gelossi porrò redeunti Amilcar Samnitis inopinus occurrit, occisisque nonnullis ex socijs eius Gelossum metu terruit. Quibus rationibus adductus Masinissa, Vrbem Horoscopam contra foedus obsidere cœpit. Carthaginenses. V. & XX. peditum millibus, equitibus Vrbanis trecentis in vnum collectis pluribus additis, Hasdrubalem plebis fautorem in ducem eligunt, qui in Masinissam statim copias mouit. Appropinquantibus autem ipsis Asasio & Subasia regis prætoribus, cum dissensio inter eos & regis filios orta esset, ambo ad Hasdrubalē equites sexies mille abducentes confugiunt. Quibus ex rebus elatus Hasdrubal propinquior regi castra posuit, locorum iniquitate confisus. At Masinissa insidias illi struens, copijs retro abductis fugam simulat. Carthaginenses illum sequentes, in campum late patentem. Vastúmque deducit. In eo omni ex parte colles quidam scopulique prominebant: commeatus verò inopia permagna aderat. Cum in hunc locum venisset Hasdrubal, Masinissa conuersis signis medio in campo castra locat. Hasdrubal quò tutius insisteret, ad asperiora loca deduxit exercitum. Cum sequenti die prælium viderentur inire, Scipio iunior, qui posterius Carthaginem cepit, ad regem venit. Militabat autem ea tempestate cum L. Lucullo aduersus Celtiberos

beros gerente bellum. & ab illo missus elephantos à rege postulabat. Eo loco Masinissa in pugnam parato corpore equites vniuersos ire iussit. filiúmque ad se venientes recipere imperat. Ipse orta luce copias in ordinem statuit, octauum iam & octogesimum ætatis annum agens, equitandi peritissimus, nudum ephippijs equum (vt Numidis mos est) solus inscendere, siue ducis munus obiens, siue militis, solebat. Sunt quippe Numidæ Libycorum omnium longe fortissimi, longæuisque, vt aiunt, vita longiores: causam afferunt, quòd non admodum illis frigida sit hyems, sub qua omnia ferè corrumpuntur: æstas non multum torrida, vt ad Aethiopes atque Indos, ob idque immanissimas omnium belluas regionem illam gignere, homines sub diuo assidue degentes, labore maximo exerceri, modicum illis adesse vini. Cibus verò simplex nullóque apparatu. Masinissa igitur assumpto equo copias ad bellum instruebat. Hasdrubal multitudinem omnem in ordinem educit: & iam multi in equis ad plana descenderant, cum Scipio pugnam ab edito quodam loco veluti è theatro inspecturus conscendit. Sæpenumero itaq; dicere solebat, cum paulopost varijs in prælijs aliquando exerceretur, nullo vnquam tempore tantam se percepisse voluptatem, cum X. supra C. millia hominũ interse depugnantium, ipse omni periculo solutus

& cura ab alto intueretur. Addebat praeterea glorians duos duntaxat simili ante se spectaculo gauisos esse, Iouem scilicet ab Ida, Neptunum verò ex Samothracia, cum acies inter se pugnantes à longe viserent. Perseuerante ab aurora vsque in noctem acerrima pugna multis hincinde cadentibus, tandē Masinissa superior visus est. Dum igitur praelio excederet, Scipio illi occurrit, quem rex vt amicum iampridē ab auo cognitum amplexus, late suscepit. Carthaginenses cognito Scipionis aduentu, vt eos cum Masinissa componeret, magnopere rogabant: hoc munus à Scipione vltro susceptum oblatis inuicem petitionibus Carthaginenses terram omnē qua circa Emporium sita est, à Masinissa reddi postulabant: daturos se talenta argenti ducenta Attica, octoginta verò ad tempus polliceri. Transfugas quidem repetentis ne aurem quidem adhibuerunt: sed infecta re ad suos abiere. Scipio cum elephantos à Masinissa recepisset, in Iberiam ad ducem rediјt. Masinissa interea collem quem hostes insederant circunducta vndique fossa vallauit, & ne commeatus inferri posset prohibebat, cum alioquin prope nihil esset, vixque è longinquo quicquam & id modicum afferri posset. Hasdrubal itaque belli discrimen prior cum hostibus videbatur initurus, vtpote qui exercitu valido atque inuicto comitatus regem quoque commeatu supe

rar

raret. Et hostes quidẽ prouocare instituit. Mox cum Romanorum legatos pacem Vtrinque conciliaturos aduentare intelligit, amplius differre maluit. Venere tandem legati, quibus imperatum erat Vt si Masinissam prælio inferiorem cernerent, ad pacem hortarentur: sin superiorẽ, ad bellum incitarent. Interea fames Hasdrubalem caterósque Carthaginenses Vehementius Vrgere cœperat adeò Vt afflicti atque egẽtes infirmis corporibus nihil in hostes conari aut facere auderent. Impedimenta itaque primum aut currus, deinde equos igne torrebant, lora atque habenas Vice ferculi mandentes: ex quibus Varia morborũ genera ob ciborum prauitatem immobilitatemq; operum æstatis maxime temporibus illos pati contigit, cum angustia loci clauderentur. Ad hæc necessitas militum, multitudo gentium, calor Libyæ Vniuersa corruperant. Deficiente demum materia lignorum, ad parandos cibos, arma cremabant, neq; morientium quisquam efferri, Masinissa custodiente locum, neque ob lignorum inopiam cremari poterat: ex quo contagio ac pestis occlusis dentibus tabidisq; corporibus dietim pullulabat. Iam maior pars exercitus morbo consumpta defecerat, cum reliqui nullam salutis spem superesse rati, transfugas Masinissæ, ac tria millia argenti talenta in quinquaginta annos dare pollicentur, fugitiuos eorum iuxta

fœdus

fœdus recipere debere: ipsi per vnicam portam quæ in hostes veheret, ad vnum transeuntes cũ singulis duntaxat tunicis abire velle. Discedentibus illis Gelosses regis filius factæ pauloante in eum persecutionis memor, siue conscio patre, siue inscio equites Numidas post illos misit. Hi armis destitutos quibus se tuerentur, nec satis ad fugam promptos, ob imbecillitatem deprehendentes ferro cadunt. Ex octo igitur & quinquaginta millibus hominum (tot enim eos fuisse constat) vix pauci Carthaginem salui peruenerũt: inter quos & Hasdrubal eorum dux, nonnullique Carthaginensium illustres extitere. Huiusmodi igitur inter eos Masinissámque bellum crudeliter gestum. Secutum deinde tertium ac vltimum in Libya Romanorum bellum. Nam Carthaginenses Masinissæ culpa ad has delati clades, vrbe diutius afflicta regem verebantur propinquum admodum, magnisq; adauctum copijs. Romanos præterea assidue infensos, & excusationem in primis in regem deferentes suspectos habebãt: quod vtrunq; haud indigne videbantur suspicari: statim quippe Romani exercitus per Italiam omnem parare, quasi magnum quippiam instaret, nulla proposita causa properabant. At Carthaginenses belli occasionem auferre cupientes, primum quidem Hasdrubalem, quòd in Masinissam mouisset bellum, dein Carthalonem eorum præsidem

dem, cæterosq́ eiusdem belli socios, capitali pœna publice condemnant, culpam omnem in eos referentes. Legatos insuper Romam misere qui Masinissam accusarent, reliquosq́ similis culpæ affectos dicerent, quòd inter se contendentes, Carthaginensium vrbem in has clades coniecissent, inimicámque inter se reddidissent. Tũc quendam ex senatoribus legatos in hunc modum rogasse ferunt. Cur sontes à principio nequaquam condemnastis, cæterùm peracto bello accusare pergitis? & cum prælia meditati estis, nunc vltro irrisuri ad nos venitis? Silentibus illis, tandem in hunc modũ responsum est, Carthaginenses neutiquam Romanis abunde adhuc satisfecisse. Vlterius disceptantibus illis, ac rogantibus, quo tandem pacto, cum se peccasse faterentur, veniam adipisci possent? denuò his verbis respondetur. Si quod sufficiens est, Romanis præstiteritis. Scrutantibus ipsis inter se quid sufficiens id esset, quidam Romanos pecuniis à Scipione impositis quicquam adiicere velle putabant, alij regionẽ quæ in dubio esset, Masinissæ concedendam. Ambigentibus illis, nouos denuò legatos Romam destinant, qui quod sufficiens id esset, explicari poscerent: quibus vicissim à Senatu respõsum est, optime Carthaginenses quid id esset intelligere: hisq́ duntaxat expositis eos dimisere. Qua ex re maximo in timore & trepidatione versari eos contigit.

tigit. Vtica autem in Libya maior post Carthaginem ciuitas est, portu accommodo ad continendas rates, exercituum quoque perfaciles receptus habet. Hæc sexaginta stadijs à Carthagine distat, & ad bellum opportuna maxime, Carthaginensium ab antiquo æmula, tunc odio ad tempus patefacto legatos Romam miserat, qui Vrbem Vltro illis offerrent. Qua ex re Senatus in bellum pronus, paratis copijs cum Vrbem munitißimam & in tempore obsequentem facile Videret, patefacta animi sui interiori Vi, in capitolium proficiscitur, quo in loco de bello consultare mos fuit: ibidémque Carthaginensibus bellum inferendum statuit. Imperatores autem ad id consules M. Manilium qui pedites duceret, L. Verò Martium qui equitatui præesset, elegerunt: quibus clam edictum fuerat, non prius à Carthagine exercitum tollere, quàm Vrbem euertissent. Hi peractis sacrificijs ex Sicilia soluentes, Vticam Versus nauigare pergunt, quinqueremes quinquaginta sescuples centum Vnà deducentes. Has onerariæ & rostratæ naues plures sequebantur, quæ octoginta millia peditum, equitũ quatuor millia ex omni electorum numero secum Veherent: cum omnes ferme ciues, omnes socij Veluti ad insignem quandam militiam ac speratam Victoriam Vltro accederent: Carthaginensibus igitur eodem tempore belli moles rumórque ab

Vnico

Vnico duntaxat nuncio allatus. Is quippe belli decretum afferebat, cum naues in eos tendētes in alto visæ. Stupentibus itaq; ipsis rei nouitate, cum classe destituti, non socios, non mercenarios milites vllos haberent, frumenti inopia premerentur quo obsidionem tolerare possent, omnesq; vt insperato inualidoq; bello trepidarent. Legatos denuò Romam eorum duces mittere visum, qui præsentibus quoquo pacto obsisterent. Quibus à Senatu in hunc modum respōsum est. Si consulibus in Sicilia existentibus intra trigesimum diem trecentos pueros ex nobilioribus Carthaginenses obsides dedissent, fore vt cæteris quæ dicturi essent, accommodarent aures: ferrent itaq; Carthaginem mandatum. Ipsi deinde ad consules quæ vellent secretò imperant. At Carthaginenses quanquam eorum voluntatem suspectam haberent, nec satis fidei his quæ à Romanis proponebantur si obsides darentur, adhiberent, tamen vt in extremo periculo euenire solet, ne quid spei intentatum sinerent, deposita statim mora pueros in Siciliam mittunt, parentibus eorum ac domesticis & in primis matribus fletu reclamantibus, quæ proprios natos eiulatu gemituq; prosecutæ, furibundis similes, naues quibus illi, milites, & argentum ferebatur, inuadunt, funes auellunt, nautas præterea aggressæ exire prohibebant. Fuere quæ per vndas enatarent,

filius

filios profusis lacrymis intuentes: quædam quæ in littore persisterent, comas laniantes, tundentésque pectora. Vt in funere mos est, cum quidem verbo obsides ab illis exigi crederent, re autem Vrbem Romanis tradi, ex quo nullum huiusmodi fœdus propositum fuisse constat, quo pueros exigerent: ob id plurimæ earum hoc ipsum inter fletus & eiulatus diuinasse dicuntur, nullam puerorum præbitionem Carthaginensium Vrbi vtilitatem allaturam esse. Huiusmodi igitur obsidum exhibendorum Carthaginiensibus ratio fuit. In Siciliam autem cum adducti essent, consules eos Romam miserunt, Carthaginensibus verò responsum præbuere, in fine belli cætera se in Vtica dicturos esse. Ita classe delati castra disponunt: pedites quo pridem à Scipione locati fuerant, sedem capiunt, naues verò in Vticæ portu constiterunt. Accedentibus deinde ad eos Carthaginiensium legatis, consules in edito quodam loco consedere, ducibus ac tribunis eos circunstantibus, quos vniuersus deinde exercitus longo ordine insignibus ebibat armis: vexilla porrò recta tenuere, vt facilè legati copiarum multitudinem intueri possent. Consulibus demum tubæ signo cunctos silere iubentibus, tubicen legatos iussit accedere. Illi per ingentia profecti agmina, neutiquam ad consulum tribunal habuere aditum, sed eo tabernaculo, quod

in

in medio situm erat perstitere: quibus consules si quid vellent effari imperarunt. Legati miseranda plurima ac varia locuti, fœdera quæ cũ illis prius extitere, repetebãt. Carthaginis præterea sortem, qua tempore, multitudine, potentia ac principatu terræ marisq; floruisset, recensentes, nequaquã id ex iactãtia se loqui prædicabant. Non enim in aduersis iactantiæ esse locum, sed vt vobis, dixere, Romanis & ad vestram moderationem ac tranquillitatem hæc exempla sint. Quoscunq; etiam potẽtiores infelicium casus misereri solitos, & suorum spem sibi præponere, ne quid in aliorũ fortunas indigne agant. Hæc quippe vobis ac vestra pietate digna, dissimulare maximè quæ hominum sunt. Sin verò inter homines impios inhumanosq; incidimus, abundè nobis miseriarũ hæc erunt, quæ pertulimus, qui principatum terræ marisq; amisimus, naues nostras omnes dedimus, nullas retinemus, elephantorum possessionem vobis liquimus, obsides porrò qui potiores fuerant, assignauimus, vectigalia suo ordine dimisimus, qui ab alijs continuè assumpsimus. Hæc quidem patribus vestris abundè fuere, cum quibus bella gessimus. Qui fœdera nobiscum sancientes, vt socijs & amicis vsi sunt. Iusiurandum fœderibus ab vtrisq; additum. Sed hi nobiscum belligerantes fideles demum extiterunt. Vos autem, cum quibus nul-

lum vnquã bellum fuit, fœdera non obseruasse criminantes, tam subitò prosiluistis ad arma, ac r.e monitos prius inuasistis. Cur id enim? an quòd tributa vobis non exoluimus? an naues retinuimus? an elephantos adeo inuisos possidemus? Nõ misericordia vlla vos detinet ò Romani, quòd quinquaginta millia hominũ fame amisimus? Sed Masinissa, dicet aliquis, intulimus bellũ: qui plurima iam superlucratus est. Quæ omnia propter vos perferre visum, cum tam impiè ac scelerate terrã illam in qua innutritus & altus esset, bello inuaserit, aliam quæ circa Emporium sita est ademerit, qua sumpta reliquam habere cupiat, quoad fœdera inter nos icta confuderit. Hæc enim totius belli occasio vobis est. Nos autem eos qui auxilium in illum attulissent, condẽnauimus, legatos ea de causa ad vos misimus, qui pro omnibus istis satisfacerẽt, & ad alios duces vestros si quid libuisset imponere. Quid igitur nauibus aut copijs, aut exercitibus opus est contra eos qui nec se peccasse diffitentur, & vobis cũ placuerit se subijcere parati sunt? Quod igitur neq; vos decepimus, neq; paruifecimus, et pati quodcunque libuerit parati sumus, hec ideo vobis proposuimus. Satis animi quid esset nobis, perspectum est, cum optimos pueros poscentibus vobis, vt mandati vestri ratio exigebat, intra vigesimã diem obsides ad vos misimus,

quibus

quibus traditis æquum & vos fuit leges vestri seruare mandati, Carthaginēsium vrbem liberam, suisq́; degentē moribus. & quæ nunc habet poßidentem , nobis linquere. Hæc à legatis palàm dicta. Ad quæ Censorinus cum assurrexisset, in hunc modū respondisse dicitur. Causas belli quid vobis opus est referre ó Carthaginenses, legatis vestris Romæ à Senatu de his abunde commonefactis? Quæ autem apud nos mentiti estis, paucis refellam, quod & mādatum nostrum in primis arguit. Nos quippe vobis in Sicilia ediximus cum obsides nobis dedissetis vestros, reliqua in Vtica relaturos esse. Obsidum verò quos misistis , cum celeritatem tum electionem cōmendamus. Sed quid armis vobis opus est , in pace nobiscum firma degentibus? Afferte quicquid apud vos publicè priuatimq́; armorum, sagittas, catapultas ac alia omnia nobis tradite. sic ille locutus est. Quibus legati se parituros responderunt , cæterum nescire se quo pacto Hasdrubalem quem morte damnassent, ad viginti millia hominum secum adducentem instantémque Carthagini in potestatem eis traderent. Dicentibus deinde consulibus id curæ Romanis fore, & idipsum se facturos polliciti sunt. Assumptis igitur vnà Cornelio Scipione , qui Nasica dictus est, & Cn. Cornelio cognomine Hispano, ad ducēta millia armorum attulerūt, sagittarum, te-

lorum infinitam multitudinē. Catapultas præterea, & acuta iacula lapidū excutiendorum machinas &c. ad duum millium numerū, quorum aspectus splendidus insignisq; visebatur, tot hostilibus curribus eà deferentibus. quos legati reliquiq; seniores totius populi quicunque optimi in primis habebantur, sacerdotes præterea & illustres viri, quò consules ad pietatem & misericordiā flecterent, secuti sunt, omnésque suo ordine ante ipsos constiterunt. Tum Censorinus (erat enim collega suo ad dicendum promptior) simulato gestu, cum prior surrexisset, huiusmodi sermonē habuit. Vestra quidē obedientia ac promptitudinis ô Carthaginenses in exhibendis obsidibus deferendisq; armis non mediocri laude digni estis. Cæterùm in rebus necessarijs quā breuissime loqui opus est. quamobrem residuum mādati huius quod à Senatu nobis iniunctum est, subire dignum. Tradite itaq; nobis vrbem vestram. & aliūde quocunq; libido fert octoginta stadijs à mari distantem vobis condite. hanc enim quā incolitis, euertere in animo est. Loquente adhuc eo, Carthaginenses elatis ad cælum manibus deos inuocare. quasi ab his decepti, Romanis multa diraq; imprecari siue moribundi, siue amētes, siue quòd Romanos in legatos iritare cuperēt, vna voce simul occepere. Demum in terram prouoluti hi manibus capita contundere, quidam

dam

dam vestes laniare, nõnulli manus sibi afferre veluti insania quadam stimulante non cessabant. Cum à fletu quieuissent, mœsti ac silẽtes non aliter quàm si vita functi essent, perstitere. Qua ex re stupefacti consules, omnisq́ multitudo aliquãtulũ illis differre statuũt ob mãdati diritatẽ, quoad mœstitiæ quies data esset. satis gnari ingẽtes dolores audaciam afferre, tempore verò moderari animum, necessitatiq́ succumbere: quod & Carthaginenses pati contigit. Post silentium enim cum non minus eos mala sequerentur, querelæ tandẽ modũ posuerunt. Deplorabant autem seipsos, ac lamentabantur, eorum filios ac vxores nominãtes, deinde ad patriam veluti audientẽ referebãt fletus; multa dira ac miserãda recensentes. Demum sacerdotes, ac eorũ nomina, deosq́ cum illis veluti præsentes inuocabãt, vrbis cladem in eos referentes. Erat autẽ confusio quadam miseranda lugentium, cum priuata pariter ac publica deflerent, adeò vt Romanis lacrymas excuterent. Consules præterea humanæ volubilitatis meditatio torqueret, mœstiq́ ac silentes querelæ finem expectarent. Cum à fletu desiuissent, iterum coorto silentio intra se cogitare cœpere, vrbem inermem esse atq́ vacuam, non nauem habere, non catapultam, non sagittam, non gladium, non ciues denique ad tuenda mœnia sufficere, quinquaginta millibus fame ab-

sumptis, peregrinũ adesse neminẽ, nõ amicum neq; socium, neq; tempus ad ista sufficere. hostibus filios, arma, prouinciã in potestate habẽtibus, Vrbẽ armis, nauibus, pedstibusq; obsidentibus, Masinissa hoste in lateribus hærente. Hæc igitur animo Voluentes, à tumultu denuo ac querelis abstinebant, nihil Vtilitatis ob hæc in aduersis deprehendentes ad orationem confugiebant. Inter quos & Hanno fuit, qui Gallus dicebatur, Vir nobilitate, & Virtute præcipuus: qui deprecatæ Venia in hunc modum loqui orsus est. Siqua apud Vos dictorum per nos ratio constat ô Romani, nonnulla denuo dicemus, nõ Vt iusta comprobemus (neq; enim hoc tempore infelicibus contentio Vobiscum æqua est) sed Vt intelligatis nõ sine causa & ratione pietatem à Vobis erga nos habendam esse. Nos quidem Libya ac mari dominantes, cum pluribus ex Vestris de principatu cõtendimus, tandẽ Scipione duce Vobis cessimus, naues & elephantos quos habuimus, Vltro dedimus: tributa dare polliciti, in tempore exoluimus: Per deos quoq; fœdera ineuntes, quæ per nos acta essent, quæ Ve à Scipione promissa, pariter seruare conuenimus, cum iureiurando affirmaretis Romanos ac Carthaginẽses inuicem socios fore & amicos: nihil est quod interim à nobis peccatũ sit, cũ nec naues habemus, nec elephãtos, nec tributa darè desiuerimus, quinimo

aduer

aduersum tres reges vobiscum depugnauimus. At vos nec vrbi parcitis, quanquam & hac ipsa cum arma à nobis exigeretis, propius diximus. Erumnæ quippe loquaciores reddunt homines. Verũ nihil est quòd precibus nostris opituletur magis, quàm fœdera iure inita: nec aliud residuum nobis est, ad quod cõfugiamus. potentiam omnem vobis dedimus. Priora igitur huiusmodi sunt, quorum omnium fideiussor est Scipio. Præsentium autem vos consules testes estis, atque authores. Obsides requisiuistis, qui potiores erant exhibuimus. Arma petistis, omnia in potestate vestra sunt, quæ nec in expugnatione deprehensi sponte concessissent. Credidimus vobis Romanorum ritu atq; more. Sic enim Senatus nobis edixit. Vos porrò obsides petentes professi estis cum eos haberetis, liberam nobis vrbem dimissuros esse. Sin autẽ & id adiunctũ erat, vt reliqua quæ iuberetis, nos pati oporteret. non hercle æquum fuit id tam constanter nobis polliceri. In depositione quippe obsidum liberatio vrbis contineri debuit. Quàm si vobis euertere fas est, quemadmodũ liberam, aut suis legibus vti sinitis? hac enim habemus quæ priori ex fœdere, aut his quæ à vobis adiũcta sunt, possumus dicere. Sin & ipsa nõ admittitis, vniuersa concedamus. Verùm quod infelicibus reliqui est, defleamus ac precemur. Magna nobis de-

precandi copia ob malorum inest inuidiam. Per Vrbis igitur vetustatem, oraculis deorum conditam, per gloriam eius longè patentem ac vulgatam, per nomen quod vniuersa in terra notum est, per sacra quorum in ea ingens copia, per deos qui nihil impiè vsquam egerunt, deprecamur ne eorum celebritates, pompas, solenniáque eripiatis nobis, aut defunctorum monumenta, quod impium est, cum nihil ab his passi sitis, velitis auferre. Et siqua vobis inest pietas, misereremini eorum quibus vnà migrare opus est. Parcite dijs penatibus, parcite foro & plateis, parcite deorum templis, cęterisq; omnibus quę consuetis iucunda sunt atque honesta. Quid Carthaginem metuere vlterius opus est, cum arma, naues, elephantos quibus omnes adeo inuident, ipsi teneatis? De habitatione autem & si id deprecari fas est, hoc certè admirandum videtur, homines mari assuetos ad mediterranea velle traducere, quorum infinita multitudo in mari operatur. Dabimus enim quod aequè valeat, rem nobis chariorem, vobis autem gloriosiorem, Vrbem nostram. Quę cum nullius mali causa sit, immunem esse sinite: nos autem quocunque inhabitare vultis, eò mittite. Sic enim hominibus aduersi eritis, nō sacris, neq; dijs, sepulcris ve, aut Vrbi innocuę, pietatis verò & clementię gloriá super omnes assequemini, & in his

quę

quæ felicia vobis accident, moderationem vestram ostendetis: quod in omni victoria continuè à vobis obseruandum est, ne Iouem, cæterosq́ deos, quos Carthago adhuc habet, aliquando in vos filiosq́ vestros irritetis, neque optimam famam vestram in nos abijcientes, tam immenso scelere ad audendum graui, ad agendum grauiore, quod à maioribus vestris omni seculo inauditum fuit, insignem gloriam vestram maculetis. Plurima quidē inter Græcos & Barbaros inuicem fuere bella, plurima etiam à vobis ad alios gesta sunt ô Romani: neque tamen ab vllo gentium vrbem funditus fuisse euersam fama est. Ante pugnam cohibuere manus, arma filiosq́ tradidere, & siqua alia inter homines mulcta sit, vltro subierunt: fœdera, deos, fortunam humanam, & quæ felicibus rebus admodum verenda est, indignationem vobis præponentes. Rogabimus igitur vos ne secundis vobis affluentibus, nobis insultetis, in calamitatibus verò nostris, quæ intolerabilia nobis sint imponere velitis. Indulgere quippe nobis, ut vrbem concesseritis, legatos denuo nostros ad Senatum mittere, proq́ ea deprecari breuitatem huius spatij, facilè videtis, quod nobis ob futuri euentum in tam modico tam ingens tormentum affert, vobis autem æque in tuto est, siue nunc, siue paulò pòst quod videbitur efficere, quod

pium & humanum nobis fuerit cōcessisse. hæc Hanno. At consules loquente adhuc eo satis mæstitia cum illis haudquaquā prodesse possent, cepisse visi. Silentibus iterum ipsis, Censorinus in hunc modum fari orsus. De his quæ Senatus in vos cēsuit, quid vlterius loqui opus est ô Carthaginenses? Edixit autem, & ita facere necesse est, neque aduersari nobis licet quo minus ea exequamini quæ vobis iniuncta sunt. Hæc enim vt hostibus edicimus nostris, quæ solum effari opus est, deinde vt fiant, cogere, ex quo vtilitati communi congruūt fortassis & vestra. Magis tamen hæc vobis ô Carthaginenses conducere arbitror, quod & rationibus nitar ostendere, si suadere facilius est quàm cogere. Hoc mare quod vobis adest, principatus & potestatis antiquæ memores continue extollit, & ad rapinas incitat, & ab illis in has deducit calamitates. Siciliam cum per ipsum aggressi essetis, ob id ipsum amisistis. Inde in Iberiam classe prouecti, prouinciam cepistis: interq; ipsa fœdera negotiatores deprædati, nostros potissime, vt scelus tegeretur, mari obruistis, quoad deprehensi Sardiniam mulcta pœnam tradidistis. Eandem porrò insulam per mare eripere tentastis. Sic enim in mari degentibus à natura datū est, vt aliquid maius semper affectent ob operā opportunitatem, celeritatemq; vehendi: quod &

Athen

*Athenienses cum nauibus operam dare cœpissent, ad summũ extulit, eosdẽq; subuertit. Maritima quidẽ negotiantibus videntur similia, quæ cũ augeantur plerunq;, cito tamẽ decidũt. Scitote igitur illos de quibus verba feci, cũ imperium ad Ionium vsq; protulissent, ac Siciliam non prius à cupiditate habendi desiuisse, quàm principatum amisissent, portus, naues hostibus dedissent, præsidium intra vrbem recepissent, mœnia postremo tam ingentia solo æquassent, & ipsi mediterranei quodammodo effecti essent: quæ res plurimum illis salutis attulit. stabilior quippe in mediterraneis vita est, ô Carthaginenses, agricultura scilicet, solicitudoq; laborum. Minora fortasse lucra, firmiora certè, ac periculorum expertia multo magis quæ ab agricolis, quàm quæ à negotiatoribus solent experiri. Omnino mihi ciuitas quæ in mari sita est, naui magis quam terræ assimilis videtur esse, magnam in se negotiorum continẽs fluctuationem. Quod autem ex telluris frugibus carpitur, securius vt in terra fit: propterea & priscorum regna vt plurimum à mari longe aberant, ob idq; in maius excreuerunt, Medorũ, Assyriorum, ac Persarum, aliorumq; quamplurimorum. Cæterum de regnis in præsenti dicere omittam, quæ nihil à vobis differre visa, ad Libyam vestram referte oculos. Cuicunque finitimi esse volueritis, per nos licebit fore.

fore, ut obstantē aliquando vobis aspectum memoriamq́ malorum, quæ adeo molestè fertis, possitis auertere, ne cum mare scaphis vacuum intueamini, continuò nauium multitudinem quæ vobis adesse consueuerat, cogitetis, aut spoliorum quæ abstulistis, aut portuum in quos adeo superbè delati estis, recordemini. Quid autem hæc intra mœnia exercituum receptacula, aut equorum & elephantorum stabula, aut horreorum dispositiones ad id conditæ, aliud mentibus vestris suggerunt, quàm dolores & incitationes quasdam ad ea redeundi cum licuerit? Passio hæc quidem consueta mortalium, præteritæ sortis semper reminisci, ad eamq́ reuerti posse sperare. Malorum verò medicina quàm optima est obliuio: quam neuti quam assequi fas est, ni locū mutaueritis. cuius rei argumentum in promptu est, quòd cum fœdera nobiscum inieritis, sacra vicissim libaueritis, principatus tamen cupiditate in nos irruistis armati, quasi imperium nobis erepturi, continue tempus obseruantes. Oportet autem & ciuitatis vestræ, & portuum huiusmodi ac naualium obliuisci, mœniumq́ vestrorum in exercituum formam modumq́. Quid enim hostibus captis ulterius parcere opus est? Sin principatus syncerè ceditis, nec verbo magis quàm animo dicitis, educite quæ vestra sunt, nulla excusatione proposita: promittite inquam, &

opera

optra ostendite, & in eam quam tenetis Libyam habitaturi concedite, ab hoc mari longe distantem: neque excusationem addideritis, sacrorum vos misereri, penatum, fori, sepulcrorum, quæ immobilia & certa sunt: sed ad illa cum libuerit accedentes, sacra facite: cætera euertemus. Non quidem nauàlibus sacra fiunt, non mœnibus litatur. Penates verò, templa alia, foráque quæ in ea ad quam migrabitis, erigetis, statim patriam vobis reddent, quemadmodum ex Tyro alias profecti in Libyam venistis, & hæc olim acquisita nunc patriam dicitis. Breui denique sermone hæc à nobis discite, quæ neque furentes, verum stabiles & concordes, & communi bono consulentes dicimus. Num vos recordatio subit Albanæ vrbis? quam neutiquam inimicam, verum matrem & altricem nostram relinquentes, non vt furentes, sed vt conditores communis vtilitatis promptis animis Romam transtulimus, quod vtrisque vtile fuisse credimus. Cæterum sunt vobis mercenarij plurimi mari degentes. Hoc quidem notissimum nobis est, quàm libenter mari cunctamini. Dispositionem igitur locorum & electionem quam amplissimam habetis, non enim procul à mari incolere, sed per octoginta stadia abesse imperamus. Nos quippe qui hæc edicimus, per centum stadia distamus à mari. Locum vobis quocunque libuerit

rit

rit eligere concessimus, in eóque liberos & immunes degere vestris legibus. hoc est quod in primis vobis proposuimus, suis legibus degentem immunémque Carthaginem dimissuros esse, si nobis parueritis. Non enim aream in qua urbs sita est, Carthaginem putamus esse. Hæc effatus Censorinus loqui desijt. Carthaginensibus autem ob mæstitiam ad ea nihil respondentibus, iterum fari cœpit. Quæ suadentem & hortantem dicere oportuit abunde dixi. quæ verò Senatus imperat, facere necesse est, & statim quidem facere. Abite igitur, legati enim adhuc estis. sic ille. At hi à lictoribus expulsi, futuram urbis sortem præsidentes, velle loqui iterum dixerunt. Ita introducti fari incipiunt: Inexorabile mandatum vestrum intuemur, neque enim legatos Romam mittere conceditis, ad vos autem redire non speramus, sed à civibus inter dicendum opprimi. Precamur igitur non pro nobis quidem, cum omnia exequi parati simus, sed pro urbe ipsa Carthaginis. si fas est tantis obstupefactam malis has ærumnas perferre posse, ut ad illam propius classem propellatis, quoad nos iter nostrum recedentes facimus, ut hæc ipsa audientes cives atque intuentes, quæ nobis imperatis, si potis est, compelli queant. Ad hæc enim nos necessitas adduxit, ac fortuna, ut ad inferendam patriæ nostræ classem ipsimet vos cogamur

mur

mur deprecari. Hæc cum dixissent legati recesserunt. At Censorinus quinqueremibus viginti prouectus, in altum haud longe ab vrbe classem sistit. Interim legati hi quidem à via currentes declinare, multi silentes mæstique praire, Carthaginenses partim è mœnibus legatorum aduentum opperiri, morantibúsq; illis vltra modum angi, comasq́; laniare, partim aduentantibus obuiam prodire moræ impatientes, & quæ afferrent, scire properantes. Cum autem tristes tacitosq́; intuerentur, facies sibi ipsis contundere, lamentariq́; cœpere. Nonnulli inuicem progressi, vt quemq; sibi amicum aut notum offendissent, ad eum diuertebant. Sed cum rogantibus ipsis nihil responderent, veluti indubia clade circunuenti flere non cessabant. Quod audientes ij qui in mœnibus constiterant, consono reclamabant fletu, cum nihil intelligerent, sed tanquam manifesto oppressi malo trepidarent. Cum ad portas ventum esset, modicum cum illis ambulantes, cum turmatim accurrissent, post modicum eos reliquere, cum hoc vnum eis retulissent, Senatores quamprimum adeundos esse. Tunc autem ab illis discedentes expectabant: quidam audiendi cupiditate ducti vlterius prodibant. Cum prætorium ingressi essent Senatores, statim plebem abegere, ipsiq; in consilio soli remanserunt, reliqua multitudine foris expectante. Legati itaque
in

in primis consulum mandata referre incipiunt ad quæ Senatorum acclamatio secuta est. qua audita, populus qui ab extra steterat, cœpit reclamare. Addidere præterea legati quàm multa illis dixissent, quæ æqua forent referentes, ac rogantes vt legatos Romam mittere liceat. His auditis, ingens silentium secutum est, rei quippe finem expectabant, populus quoque silere cœpit. Cum autem intellexissent nihil legatis concessum esse, adeò in fletum ac clamorem effusi sunt, vt populus accurreret, omniũq; in immensum luctus resonaret, quemadmodũ in Bacchanalibus mysterijs nouas quasdam lugendi formas & ignotas Menades dicuntur afferre. Hi consultorum taciturnitatem in dandis obsidibus reprehendere, & vt insidiarum principes hinc inde distrahere. nonnulli eos qui arma dari censuissent, palàm criminari. plerique legatos vt malorũ nuncios verbis incessere. quidam per vrbem discurrere. Alij Italos qui apud eos adhuc erant, vt inopino periculo deprehensos atque indicto variè torquebant, pro armis, obsidibus, cæterisque se vlcisci prædicantes, adeo vt fletu, ira, pauore atque indignatione tota adimpleretur ciuitas, perque angiportus discurrẽtes charissimos quosque vocare, & ad templa tanquam in asyla confugerent, deos criminantes quasi sibi ipsis impotentes ad ferendam opem. Erant qui ar-

mamen

mamentaria ingreßi deflerent, armis vacua intuentes, alij naualia ratibus destituta lugerent, tanquam infidelibus concessa viris, nonnulli elephantorum veluti præsentium nomina inuocarent, parentes suos ac seipsos increpantes. Decentius enim illis fuisse aiebant, si neq; elephantos, neque naues, neque arma aut tributa pendentes cum patria simul vitam amisissent. Maximè autem ad iram illos concitabant obsidum matres, quæ veluti tragicæ quædam hermes fletibus & eiulatibus vniuersos adorsæ, puerorum traditionem quasi abiectionem quandam suorum deplorabant, eorum causa vindictam ab his sumere deos clamitantes. Cum aliquantum quieuisset furor, portas occludi, mœnia pro catapultis saxis impleri imperant. Senatus quoque eamet die bellum suscipiendum esse decreuit, seruisque bellum suscipiendum esse decreuit, seruósque in libertatem vindicari. Imperatores ad id bellum duos elegerunt, Hasdrubalem scilicet, qui ad ea quæ foris fierent præsideret, quem antea veluti hostem publice damnatum, nunc ad viginti millia hominum secum adducentem imperatorem fecerant. Ad hunc præmissus quidam deprecari cœpit, ne patriæ iniuriæ memor esset, in eámque sæuiret, quinimmo in extremo destitutam periculo iuuaret, néue ex necesßitate offensus ob Romanorum metum bellum in eos

verteret. Vrbanis autem rebus alterum præfecere ducem Hasdrubalem Masinissæ nepotem. Ad consules porrò delegant qui dierum triginta inducias posceret, quoad legatos suos Romã mitterent. Repulsi igitur ab his, adeo in admirabilem mutationem vehementémque sublati sunt audaciã, vt quæcunq; prius pati decreuerint, quàm vrbem derelinquere. Fiducia quoq; ex mutatione repleri cœpere, sic vt opificia omnia, negocia publica ac sacra cessarent, & si quid aliud maius fieri solitum, desineret: mulieres æquè ac viri die noctuq́; nulla interposita quiete operi intenderent, frumẽto per partes diuiso, & ad mensuram tradito. Eo modo clypeos centum singulo die, enses trecentos, catapultas mille, sagittas, iacula quoq; & lanceas quingentas cuderent, catapultas quoad potis esset, fabricarent. In edictis autem eorum rasere mulieres funium inopia. In hoc itaq; apparatu Carthaginenses se exercebant. At consules statim quidem, ne negligentia in difficile aliud opus laberentur, simul & vrbem vtcunque libuisset suscipere confisi, perstabant adhuc deditionem eius ex inopia sperãtes, satis arbitrati, quemadmodum in aduersis euenire solet, primum quidem ciues contradicturos esse, procedente autem tempore ex ratione dissuasos, metuq́; succumbere. Quæ Carthaginensium quispiam animaduertens, abunde ratus eos iam timorem

attigisse, ausus est tanquam ob alia ingressus in medium afferre, Ex malis quidem, quæ mediocria essent, eligere eos oportere, qui armis carerent. Hoc autem tam apertè ferente sententiam, Masinissa apud Romanos questus est: ac grauiter ferre visus, quod cum ipse Carthaginensium potentiam ad eorum genua prior subiecisset, alios literis hinc inde discurrentes cerneret: nec nisi re perfecta quæ egissent referentes, quemadmodum prioribus in bellis sæpe fecissent. Respondentibus autem cõsulibus, vt & ipse vicissim auxilium afferet, tũc se missurum esse ait, cum indigere cognouisset. Paulò deinde pòst cùm ad consules misisset, si quid opus esset, se paratum fore: Consules superbiam eius non ferentes, & veluti iam insanienti minus confidentes in hunc modum responderunt, missuros se cum indiguissent. Exercitus verò commeatum omni cura & diligentia parabant, cum ex solis duntaxat Adrumeto, Lepta, Saxo, Vtica ac Chellis haberent. residua quippe Libyæ Hasdrubali parebant, ex quibus Carthaginensibus commeatum suggerebant. Paucis deinde elapsis diebus consules Carthaginem versus mouere copias ad prælium instructi. Erat autem ciuitas vasto quodam in sinu & magno sita, Cherroneso maximè assimilis. Collum eius à mediterraneo primum insurgit, & per quinque ac viginti stadia in latitudine extenditur

A collo præterea Zona quædam in longitudine angusta, dimidij stadij potissimum latitudinem tenens ad occasum vergit inter stagnum & mare media, simplici muro per scopulos munita. Quæ autem ad meridiem spectent, & ad mediterranea, vbi & Byrsa inest, supra collum triplici muro clauduntur. Horum quilibet altitudinem triginta cubitorum habet, turribus & propugnaculis exceptis, qui per duo iugera distantes, quaternis tectis distinguuntur, in profundum triginta pedes demissi, duobus tectis assurgunt. & ipso quidem concauo ac contecto inferius trecenti stabulabantur elephati, in quibus horrea quæ cibaria eorum seruarent, adiuncta erant, equorum deinde stabula superius condita quater millium facilè capacia, & pabuli hordeique vicissim repositiones. Præterea virorum receptacula vsq; ad viginti milliũ peditum, equitum quater millium numerum. Hi apparatus belli tempore, præsertim in ipsis muris continebantur. Angulus porrò vltra lingulã illã à muro ad portum flectebatur, debilis admodum ac humilis, quem à principio neglexerant. Stagna autem adinuicem nauigabilia, & ex ipsis exitus in mari amplus, cuius latitudo pedum septuaginta fuit. Hunc catenis cohibebant ferreis. primum quidem negociatoribus patens in eo funes varij ac densi ad continendas rates. interius verò insula in medio sita, et

ipsa

ipsa non mediocribus à stagno scopulis diuidebatur. His naualia interiecta erant, quæ vigintisupra ducentas naues continerent. Horrea porrò nauibus superimposita ad triremium apparatus. Columnæ Ionicæ duæ singulis prominebant nauium receptaculis, in porticus similitudinem insulæ aspectum stagnique referentes, supra insulam naucleri tabernaculum cōditum: ex quo tuba signum dari solitum, & tubicē preloqui cū opus foret, & nauclero vndequaque liber essetintuitus. Adiacebat insula iuxta exitum, & extēdebatur maximè, ex qua nauclerus vniuersa pelagi facilè conspiceret. Adnauigantibus neutiquam interiorum aspectus quanquam acutè intuentibus patebat, neque à negociatoribus statim naualia videri poterant. Nam murus duplex illis prominebat, & ianuæ quædam quæ negociatores à primo portu in vrbem non ad naualia deferrent. In hunc modum Carthaginensium ciuitas eo tempore se habebat. At consules opus inter se partiti, copias in hostes mouent. Manlius à mediterraneis supra collum fossam repleturus ferebatur, vt breui murum qui illi imminebat, & ab illo altiora mœnia inuaderet. Censorinus parte alia scalas è terra mari aduehebat, vt anguli quæ debiliora viderētur mœnia occuparet: ambóque veluti inter inermes pugnaturi grassabantur, donec nuper armatis obuiantes inopi-

na virorum multitudine deiecti repelluntur. Et hoc primum illis contigit urbem metu suscipere confisis. Cum autem denuo ad pugnam rediissent, denuóque pellerentur, Carthaginenses animos attollere cœperunt. Consules itaq; Hasdrubalem veriti, qui post se haud magno interuallo supra stagnum castra habebat, exercitus ambos vallo munierunt. Censorinus prope stagnum, ac sub ipsis mœnibus, Manlius supra collum ad viam quæ in mediterraneis vergit, insederant. Munitis castris Censorinus vt ad conficiendas machinas materiam quæreret, per paludem vectus quingentos ad id munus electos, ingentémque armorum copiam amisit, Himilcone improuiso è Carthagine occurrente, cui Phameas cognomen fuit. nonnulla tamen lignorum parte aduecta machinas scalásque fabricatus est. Quibus peractis consules ambo ad oppugnandum iterum vrbem rediere, vicissímque ab insultu repulsi sunt. Manlius cum aliquantum operi incubuisset, ac modicum quid munimenti deiecisset, ab incepto desistere maluit. Censorinus stagni particula prope Zonam tellure obruta, quò liberius insisteret, binas machinas arietibus instructas ingentésque appellere cœpit. Hanc quidem præcedentibus tribunis sex millia militum ducebant, alteram remiges præfectis nauium hortantibus atque impellentibus. Contentione igitur vt in æquali ac

parili

parili opere inter minores primósque vicißim exorta, tandem murus ab imo corruit, interioráque videri cœpta sunt. Carthaginenses vt illos ab opere auerterent, quæcunque per diem ce cidisse viderant, nocte reparabant: qua non suf ficiente ad peragendum opus, cum ob idipsum timidiores effecti essent, veriti ne Romani denuò vrbi machinas afferrent, ad hostium castra impetu feruntur, quidam armis instructi, plurimi inermes lampades accensas manu quatientes, sic, vt magnam eorum partem igne absumerent: nec tamen accurrentes Romanos prævenire licuit. Cæterùm inutilia multa relinquentes, in vrbem reuertuntur. Illucescente deinde die, Romani quà murus corruerat, nõdum firmiter refectis mœnibus inuadunt, vrbémque vi ingredi conantur. Campus enim interius ad pugnam accommodus latè patebat. In hoc Carthaginenses armatos primum à fronte constituunt. Post eos verò inermes lignis lapidibusq́ instructos, plurimos quoque super imminentes domos collocarãt, qui hostes ingressos inuaderent. Romani ad pugnam magis incensi, quasi ab inermibus despicerentur, audacius in eos ferebantur. Scipio autem qui post modicum Carthaginem vicit, ob ea eámque rem Africani cognomen meruit, tribunus militum ea tempestate maximè addubitare cœpit. Cohortes itaq́ suas in plures partes distribuit, easq́

ex internallo in muro statuit, Romanos quoque in Vrbem ire prohibebat. Exeuntes verò & ab hostibus impulsos, qui vndique illis insurgebant, recipiens, ab impetu seruabat. Quæ res plurimum gloriæ sibi attulit, cum imperatore suo prudentius illis consuluisse videretur: extat enim de hac re ipsius epistola. At Censorinus cum exercitum infirme degentem supra stagnum immobile, aquaq; durioris, ac mœnibus editis ad quæ à mari nulla perflarent auræ, diu tenuisset, tandem in altum se contraxerat, ibidémque naues in anchoris habebat. Id conspicati Carthaginenses, cum ventus flare cœpisset, naues sarmentis ac stipulis refertas sub ipsa mœnia adducunt, deinde ignorantibus Romanis in bellum prouocant. Illi modicum flectentes ferè in conspectu aderant, cum sulphur ac picem supra naues effundunt, demum vela ventis implentes, ignem scaphis inijciunt. quæ venti violentia & ignis impetu in Romanorũ rates delatæ subitò incendunt: omnisque penè classis vno momento conflagrare cœpit. Non multò pòst Censorinus Romam ad comitia profectus est. Quæ ex re Carthaginenses solito audacius Manlio insultabant: nocte hi quidem armati plurimi inermes asseres inuicem ferentes castrorum fossis inijcere, alij vallum ascendere tentabant. Romanis igitur noctis timore perterritis, Scipio per eas portas quæ longius à

præ

prælio aberant, cum equitibus accurrit. Ab his, Carthaginensibus inuectus adeo conterruit, vt relictis castris in vrbem denuò redire cogerentur. Quo egregio facinore peracto, secundo Romanis salutem in nocte trepidantibus præstitisse Scipio visus est. Ea ex causa Manlius exercitum munire diligentius cœpit, muro ante vallum addito. Præsidium præterea nauale ad commeatus curam à mari imposuit, ipse ad mediterranea conuersus peditum decem millibus, equitum verò duobus millibus regionem depopulabatur: ligna, pabulum, commeatum omnem in castra deferebat. Ducebant autem continuè eos qui frumentatum mittebātur, tribuni, vnus iuxta alium insequentes. Verùm Phameas Libycorum præfectus nuper etiam ob pugnam factus audacior, cùm equis paruis & agilibus & gramine tantummodo pasci solitis vteretur, quibus famem aut sitim pati cum oporteat, perfacile esset, in syluis delitescēs ac conuallibus, inopine pabulantes aggrediebatur Romanos, & veluti aquila quædam insultans, ac subinde fugiens deprædabatur. Scipione autem deducente nusquam comparebat. is enim pedites in ordinem dispositos, equitésque paratos in promptu habebat: in metando autem nō prius ordines dissolui patiebatur, quàm campum in quem eundum esset occupasset peditibus, equitibusq́; munisset, & ipse cum aliis

equitum cohortibus præsens astitisset: quippe qui militum quoscunque ex ordine aut circulo exeuntes grauiter punire solitus esset. Itaque Phameas cum illo congredi neutiquam audebat: qua ex re Scipionis gloria dietim augebatur. Quod cæteri intuentes Tribuni, per inuidiam illi detrahere, quasi amicitia inter Scipionem & Phameam usque ab auo perseuerante, non cessabant. Libycis autem ad oppida ac munitiones quæ plurima apud eos sunt, confugientibus, reliqui tribuni per inducias exeuntes aggredi solebant: Scipio autem ad domos eorum dimittebat. Itaque nõ prius se quisquam componere audebat, quàm Scipio accessisset: tanta illi virtutis ac fidei opinio breui etiam apud hostes creuit. Redeuntibus igitur à pabulatione Romanis, Carthaginenses nauium custodiam inuaserant, clamor quoque varius ac multiplex in ciuitate audiebatur, ciuibus ad tumultum conclamantibus. Manlius cum strepitus causam ignoraret, copias intra vallum continebat. Scipio cohortes metu territas assumens, accensis facibus præire iubet, neque per noctem hostibus congredi, cæterùm cum igne hinc inde discurrentes multitudinis speciem præ se ferre, metúmque aduersantibus incutere, quoad Carthaginenses duplici errore compulsi in vrbem refugerunt: quod Scipionis probitati pariter adscriptum fuisse constat. Erat

igit

igitur omnium in ore cum quid strenue agendū esset, quasi solus Paulo patre, à quo Macedonia victa erat, solus Scipio, in cuius familiam translatus fuerat, dignus esset. Manlio autem ad Nepherim contra Hasdrubalem proficiscente, Scipio admodum angebatur animo, cùm per rupes ac conualles & excelsa quaque iter faciendum esse videret. Cum verò per tria stadia ab Hasdrubale abessent, ac per fluuium quendam transitus àd eum esset faciendus, addubitare, & de reditu consulere cœpit, quasi alio tempore & ordine in Hasdrubalem eundum esset. Cæteris autem tribunis per æmulationem aduersantibus, & mollitiem eius non cōsilium esse dicentibus si in cōspectu hostium cederent, cum fugam arbitrati, statim illis à tergo adessent, iterum secundo eos monuit, vt exercitum ante flumen sisterent: vt si fortè pellerentur, tutos receptus habere possent, cùm fuga nullus illis aliunde superesset locus: quod dictum risu prosecuti sunt, quodam etiam ex tribunis ensem abijcere per iram minitante si non Manlius verùm Scipio esset imperator. Transgressus est igitur Manlius, quanquam ad bellum nequaquam expertus esset: cui statim Hasdrubal ex aduerso occurrit. Cædes vtrinque magna exoritur. Hasdrubal intra vallum receptus, nihil aduersi subire poterat: solum abeuntes opperiebatur Romanos quos aggrederetur. Hos cum

errati,

errati sui pœniteret, redire incipiunt. Cùm fluuio appropinquassent, & in ordine transire ob vadi angustiam asperitatémque non possent, ex necessitate ordines confundere coguntur. Quod animaduertens Hasdrubal, summa alacritate eos aggressus plerosq; fœda strage cecidit, nullis inuicem sibi auxiliantibus, & in fugam versis. Ex tribunis tres occubuisse constat ex his qui ducem in primis ad prælium hortati fuerant. Scipio ad trecentos equites quos secum habuit, cæteris additis quoscunque in vnum colligere potuit, in duas diuisit acies, eásque in hostes emisit celeri cursu per partes iaculantes. Sic enim illis ab imperatore edictum fuerat, vt pars nunc incesseret, pars reuerteretur, & continuè iacula emittentes se inuicem veluti circulo quodam commutarent. Quod cum illi assiduè & sine interuallo facerent, Libyci in eos conuersi, in Scipionem ferebantur, ac discedentes Romanos minus infestabant, eóque modo flumen transire permittebant, cum interim Scipio continuè adequitans in eos depugnaret: inter hæc quatuor Romanorum cohortes belli principio ab hostibus diuisa, à fluuio ad tumulum quendam confugerant, quem Hasdrubal obsidere cœpit. Ea res prius, quàm in castra redirent, Romanos latuit: mox animaduersa vehementer terruit. Nonnullis quidem fugiendum videbatur, nec vniuersos paucorum causa

peric

periculo subijcere. At Scipio manifestè eos docuit in inchoandis rebus consilio & prudentia vti oportere. periclitantibus, vt optimis viris, audacia & quidem admirabili vtendum esse. Ipse nonnullis equitum delectis cum illis in castra redire, aut læte cum cæteris occumbere vel le pollicitus, duorum dierum cibarijs assumptis iter peragit, vniuersis de reditu eius desperantibus. Cùm ad tumulum in quo milites obsessi erant, peruenisset, ascensum quendam ante tumulum prominentem cursu superat, sic vt vna duntaxat vallis inter illum & hostes intercederet. Tunc verò Libyci obsessis acrius incumbere, inuicémque significant neutiquam Scipionem ob itineris difficultatem suis auxilium afferre posse. At Scipio cum primum radices vtriusque tumuli, vallémque interiacentem contemplatus est, nulla interposita mora per eam in hostes fertur: qui statim ab vtraque parte circundati, in fugam vertuntur. Sed cum suos numero excederent, Scipio libere abire passus: sic ille milites obsessos trepidantibus reliquis saluti reddidit. Quem vt cæteri a longe venientem insperatúmque cum socijs saluum adesse vident, ingenti vociferatione ac lætitia excepere venientem, deum quendam auxilium illi ferre rati, quem etiam Scipioni eius auo futura sæpenumero annunciasse fama erat. Manlius igitur ad exercitum vrbi proxi-

mum reuersus mulctam illis comminatus est, qui Scipioni in reductione copiarum parere neglexissent. Mærentibus cunctis ob defunctorum funera, potissimum cum tribunos insepultos iacere permoleste ferrent, Scipio ex captiuis quendam liberari, & ad Hasdrubalem mitti iussit, qui iusta illis persolui posceret. Ille corpora scrutatus ex annulorum forma, cum tribuni aureis, reliqui verò ferreis vterentur annulis, sepulturæ tradidit, siue quòd humanum, communéque cum hostibus id esse crederet, siue quòd Scipionem iam tum veritus, potissimum obsequi illi cuperet. Romanis ab Hasdrubale redeuntibus, Phameas ex ipsa clade conterritis occurrit, quos alia ex parte Carthaginenses ciuitate egredientes inuadunt, ac nonnullos vasa aut similia ferentes interficiunt. Inter hæc senatus, qui intelligerent, quique omnium diligentissimam curam haberent, in exercitum mittũt. Quamobrem Manlius cæteriq; primores, tribuni præterea deposita omni inuidia, exercitúsque vniuersus ob res à Scipione felicissime gestas testimonium virtutis eius reddiderunt. Legatis igitur Romam reuersis, cum prudẽtiam eius retulissent, exercitúmque in illum inclinare palam dicerent, Senatus admodum gauisus est. Sed pleraque haud prospere euenisse cogitantes, ad Masinissam legatos mittere visum, qui illum hortarentur, strenuéque ad bel-

lum

lum in Carthaginenſes excitarent. Verùm ille ſenio ac valetudine confectus iacebat, qua ex re à legatis haud adiri potuit. Habebat autem is filios plures, & quidem nothos, quibus multa impenderat: legitimos verò tres, caterùm ad opera male concordes. Qua ex re Scipionem, veteris cum illo atque auo beneuolentiæ memor, quaſi regni ac filiorum conſultorem futurum accerſierat. Ad quem Scipio cum proficiſceretur, Maſiniſſa paulò ante aduentum iam morti proximus filijs mandaſſe dicitur, vt Scipioni obſequerentur: ipſum enim inter eos compoſiturum omnia. Quibus dictis vitæ exceſſit, vir ad omnia fortunatus ac felix, cui regnum deus paternum à Syphace & Carthaginenſibus ereptum habere conceſſit, adeóque extulit, vt à Mauruſijs qui ab oceano ſunt, ad Cyreneos vſque in mediterraneis propagauerit imperium. Manſuefecit & nationes plurimas, Numidarum præcipue, quæ ob agriculturæ negligentiam pabulo aſſueuerant. Theſauros pecuniarum ingentes, ac exercitum armis expertiſſimum reliquit: inimicorum præcipuum Syphacem manu ſua cepit. Carthaginenſium præterea cum Romanis diſſenſionis auctor: impotentes ad reſiſtendum illis reddidit. A natura corpore eximio ac robuſto vſque ad extremam fuit ſenectutem, prælijs ad vltimum vitæ diem operam attẽdit, equum ſine ephippijs ſolitus inſcendere. Ma-

xime

ximè autem in hoc fortitudinem ac vivacitatem eius licet contemplari. Nam cum filios plures habuisset, pluresq; amisisset, ultima tamen senectute minores habuit. puerumq; quadriennem quem nonagenarius ipse cum cæteris reliquit. Hac igitur corporis habitudine & ætate præditus Masinissa cessit è vita. Scipio post hæc filijs nothis plura contribuit, legitimis verò thesauros redditusq; concessit, ac regium nomen in commune habere voluit: alia quoque prout libuit inter illos æque partitus est. Micipsæ igitur natu maiori, cui pacis studium in primis curæ fuit, Cirtam urbem, & quæcunq; regia in ea essent, habere concessum. Golosso militaribus artibus edocto, qui secundus ab illo fuit, pacis bellique potestas pariter tributa. Mastanabæ, qui minor natu fuerat, & iustitiæ favebat plurimum, quæ dubia inter populos forent, adiudicare datum. In hunc modum Scipio regnum ac Masinissæ substantiam inter filios divisit. Golossum in societatem belli secum duxit. Quo authore Phameæ insidias quibus Romanos dietim affligebat, potissimum avertit. Proficiscentibus aliquando Scipione & Phamea per crepidinem quandam, quæ vastam in medio & inaccessibilem vallem contineret, ita ut se invicem aggredi non possent, veritus Scipio ne quis anterius insidias apponeret, præcedens cum tribus duntaxat cuncta

rimab

rimabatur. Quod animaduertens Phameas, cum vnico ex suis processit obuiam. Ratus igitur Scipio illum quippiam loqui velle, vnico & ipse comitatus accessit. Cũ appropinquassent vt se inuicem audire possent (Carthaginenses enim praiuerant) cur, inquit Scipio, de salute tua non cogitas, qui de communi non potes cogitare? At ille: Quæ salus mihi futura est Carthaginensium rebus sic se habentibus, Romanis autẽ tot mala à me perpessis? Tum Scipio, Polliceor, inquit, qui fidus & idoneus sum, veniam tibi apud Romanos & gratiam non defuturam. Ad hæc Phameas cum annuisset, dignissimũ omnium te iudico inquit: & an possibile id sit, haud quaquam te latere arbitror. quibus dictis ambo recesserunt. Manlius cum ob cladem ab Hasdrubale acceptã vehementer erubesceret, denuo ad Nepherim mouit exercitum V. & X. *dierum cibariis assumptis. Cũ loco appropinquasset, castra posuit, vallumq; fossa muniuit. Sed cum nihil necessarium omittere, attamen expauescere ac trepidare visus ne abeuntibus Hasdrubal à tergo insisteret. Cùm in hoc trepidationis esset, nuntius ex Gelossi exercitu epistolam Scipioni defert. Qua accepta, sicut erat obsignata, imperatori ostendit. soluentes hæc interius scripta inueniunt. Hac ipsa die ego ad locũ illum veniã. Tum cũ quibus placuerit accedito, & custodibus impera,*

vt ad se venientē noctu accipiant. Erat autem sine nomine epistola, & hac solum continebat, ex quo Scipioni visum est, eā à Phamea emissam esse. Ob id Manlius de Scipionis salute dubitare cœpit, nequa fraus tegeretur ab homine qui insidiarū omnium esset peritissimus. Tandem mittere visum est, vt Phamea fiduciā vltro offerret, gratiā autē nullā imparti-ret, verū qua honesta essent, relaturū se, & Romanos facturos esse diceret. sed neq; relatione opus fuit. Cùm primum enim Phameas in conspectū Scipionis venit, pro salute sua satis illi fidere professus est. gratiam autē Romanis impertiri se ait. ... Hæc fatus postera die se ad pugnā comparat ac cum cæteris ducibus in medium spatium profectus, quasi consultationem facturus aliā sic ad eos inquit. Si patriæ auxiliū adhuc afferre licet paratus ad hoc vobiscum sum. sin ita se habet vt nunc habet, mihi quidem propriæ saluti videtur consulendum. Fidem ipse cum pro me sumpsero, & pro vobis qui mihi credideritis, assumā. Tempus enim est quæ convenientia sunt eligendi nobis. hæc ille. Ex ducibus autē nonnulli cum ijs qui eos sequebantur, statim defecerunt, fuereq; omnes ducenti supra duo mille equites. Hos & Hanno qui Leucus cognominabatur, imitatus est. Redeūti igitur Scipioni exercitus cū Phamea occurrit, & veluti triumphantem lætis clamoribus

prosecuti

prosecuti sunt. Manlius præter modũ exhilaratus, cum iter nõ amplius difficile arbitraretur, nec Hasdrubalẽ metu territũ ulterius uenturum putaret, à tergo tandẽ ob necessitatem recedere compellitur. Septimã enim supra decimam agebat diem, cum quintam ultra decimam cogitanti agere, tribus in reditu diebus abeundum esset, famesq́; patienda. At Scipio assumptis Phamea & Gelosso, cæterisq́; sub eo militantibus, nonnullis porrò Italicorũ præmissis ad campum processit, quem magnũ Barathrum incolæ appellant, ingẽtemq́; uim frumenti & commeatus cũ exercitu per noctem attulit. Sentiens deinde Manlius Calphurniũ Pisonem successorem ad se proficisci in magistratu, Scipionem unà cum Phamea Romam mittit. Quod animaduertentes milites ad nauem concurrere, Scipionem laudibus extollere, & ut imperator ad eos in Libyam reuerteretur, optare, quasi solus Carthaginẽ esset euersurus. Residuus enim à deo Scipio ille electus uidebatur, cui gloria delendæ urbis eius deberetur: quod plurimi ab exercitu domesticis suis Romam perscripsere. Senatus igitur Scipione collaudato Phameã xenijs condonat plurimis, purpurea ueste, & fibula aurea, equo phaleris ornato aureis, & insignibus ac illustribus uicissim armis. Ad hæc argenti drachmarum decem millia, & minas centum pari-

 ter

ter argenti contulit, maiora quoq; dare pollicitus, tabernaculum & apparatum illustrem addidit. Eo modo donis auctus atq; exornatus, cum belli residuum pro Romanis spopondisset agere, in Libyam ad exercitum reuersus est. Iuit & Calphurnius vnà consul, & cũ eo Lucius Mancinus classis præfectus, qui Carthaginensibus & Hasdrubali minimè congressi ciuitates circumibãt. Hi cum Aspidam terra mariq; oppugnãtes obtinere non possent, alteram haud longè ab ea sitam Piso cepit diripuitq; hostiliter, quanquam ad fœdera veni re postulantem. Ab hac ad Hippargetam proficiscitur vrbem magnam, quæ mœnibus, arce, & portu, necnon nauali bus insignis, ab Agathocle Syracusanorum tyranno instructa, media inter Carthaginem & Vticam cõdita fuerat, cõmeatumq; ad Romanos aduentantẽ mari deprædabatur: qua ex re summas compararat diuitias. Itaq; Calphurnius quamprimum de ea se vlcisci statuit, opesq; & lucrũ tollere. Aestatem deinde omnem immoratus cũ nihil profecisset (quippe bis excurrentes Hippargetæ Carthaginensibus opem afferentibus machinas eius igne absumpserãt) tandẽ repulsus Vticam in hyberna rediјt. Carthaginẽses cum Hasdrubalis exercitũ insuperabilem sibi adesse cernerent, ac se ipsos longè superiores ea pugna quæ ad Hippargetam cum Pisone habitæ

bita fuerat, animaduerterēt, Bithyam præterea quendam octingentis cum equitibus à Gelosso ad eos concessisse, Micipsam & Mastanabam Masinissæ filios. Romanis illis arma pecuniasq; pollicentibus, nihil assentiri, verùm cunctari, & quæ futura essent prauidere velle, animis elati vniuersam Libyam suscepturi ferebantur. Multa itaq; enormia, atq; nefanda hinc inde per vrbes in Romanos prædicantes, ad eorum impotentiam cuncta referebāt. His addebant quæ bis cum illis contigissent, quàm turpiter ad Hippargetam, & ad ipsam deniq; Carthaginem sese habuissent, quam præsidijs armisq; destitutam obtinere nequiuissent. Misere deinde ad Micipsam & Mastanabam, & eorum complices Maurusios, qui eos hortarentur edocerentq; Romanos denuo illis bellū illaturos esse. Misere & in Macedoniā alios ad eum quem Romanis aduersantem Persei filium plerique credidere, ad bellum incitantes. Non enim pecunias aut arma à Carthaginensibus illis defutura referebant, quippe iam armis instructi atq; ornati haud minimū de se sentire videbātur, verū audacia & apparatu paulatim creuerant. Auctus erat & per partes Hasdrubal regioni præfectus ob Manlij errata, vrbisque principatum assumere festinans, Hasdrubalē illi præsidentē Gelossi consobrinum, in senatu cōmitijs adorsus erat, quasi

Vrbem Gelosso esset traditurus. Quo sermone in medium prolato, cum ille vt insperatò vehementer trepidaret, ciues verberibus eũ affecere, subiecereq́; sedilibus. Romæ autẽ nuntiata Pisonis clade, cum Carthaginensium apparatus vicissim referrẽtur, populus tristari capit, vehementerq́; trepidare. Crescẽte enim in dies bello quod omnium maximũ ac difficillimum esset, vrbiq́; finitimum, nullum finem expectabant futurum. Itaq; Scipionis bella quæ tribunus adhuc in Libya gessisset, mente repetẽtes, eaq́; præsentibus cõferentes rebus, et quæ à domesticis olim habuissent, ex eorum literis vnà recensentes, Scipionem consulem facere instituunt, eumq́; in Libyam mittere contendunt: & iam comitia aderant. Scipioni verò consulatum petere haudquaquã per ætatem sinebãt leges. itaq; ædilitatẽ petere constituit. Verùm populus statim eum cõsulem effecit. Quod cum inique factũ videretur, consules illi legem protulerunt. At ciues rogare, instare, demum clamare incipiũt, ex Iulij legibus, ac Romuli, populum comitiorũ esse principem, ac legũ quæcunq; ad ea pertinerent, ita vt creare ac deponere quoscũq; velit fas illi sit. Tandem vno ex tribunis proclamante creaturam à consulibus auferendam esse, ni populo placeret: Senatus vt legem exoluãt tribunis imperat, eamq́; post annum iterum rescribant, quemadmodũ Lacedæmo

cedamo

cedemonij in opportunitate fecisse dicuntur, captiuorum infamiam circa Pylum euitantes, ad misericordiam magis quàm ad supplicium inclinantes legem. Per hunc modũ Scipio adilitatem petens consul creatus est, atq; eius collega Drusus de Libya post ipsum sortiri iussit, quoad Vnus tribunorum in medium proferre ausus est, Præfecturæ quoq; iudicium ad populum spectare. Scipionem Verò populus elegit, Datus est itaq; illi ex ordine exercitus quantum ante interfectorum affuisset numerũ: datum & Volentes quot suaderet è socijs educere, necnon à regibus & Vrbibus quot ipse ille probasset, emittere licere, populo Romano epistolas ad eos subscribẽte. fuereq; quos ita acciperet à ciuitatibus & regibus. His itaq; dispositis, in Siciliam primũ, ex Sicilia Verò in Vticam classe appulit. Interim Piso mediterranea obsidebat. At Mancinus partem muri Carthaginis aggressus qua neglecta Videbatur, rupes quippe & aspera & inuia Vndiq; eminebant, cæteris quæ propiora Videbantur destitutis & incultis scalas muro latẽter apponit, Vrbemq; per insidias ingredi conatur plerisq; militum operam illi strenue nauantibus. Carthaginenses spreta eorum paucitate, portam quæ ad rupes deferebat, Vltro reserant, ac celeri cursu in Romanos feruntur. Romani contrà in illos conuersi fugientes persequuntur, Vnaq;

cum illis portam intrant. Sublato vndique clamore, vt in victoria mos est, Mancinus ingenti alacritate ad eos decurrit, cum alioquin leuis esset ac citus. Cæteri subinde naues ingressi Mancinum consequuntur, & ad mœnia delati, clamore ac vociferatione nudi inermesq́; bellantur. Iam sol ad occasum vergebat cum muros oppugnarent. Necessarijs itaque deficientibus Mancinus nuntios ad Scipionē destinat. & Vticensium primores rogat, vt periclitanti sibi opem afferāt, cibaria propere mittant. Et ille quidem exorta luce à Carthaginensibus expulsus in discrimen facilè adduci poterat. Scipio vespera Vticam applicuit. circa mediam verò noctem quæ Mancinus scriberet, edidicit. Subito itaq́; milites tuba ad prælium citari iubet. porrò quicunque ex Italia cū eo mari accessissent, à tubicine vocari: adolescentes Vticorum qui per ætatem conuectare possent, commeatum ad naues ferre. captiuum præterea ex Carthaginensibus soluēs demisit qui annuntiaret Scipionem Pisoni in auxilium venire, equites alios super alios ad Pisonem mittens, qui eum propere accerserent. ipse postrema vigilia milites educit, admonitis ipsis vt cum hostibus propinqui essent, erecti supra stramenta vt plurimum illis faces ostenderent. His à Scipione constitutis, Mancinus orta iam luce Carthaginensibus vndiq́;

insurg

insurgentibus quingētos milites, quos in armis solos habuit, duobus millibus qui inermes exti tere à fronte opposuit. Vulneratus igitur ab illis, & expulsus sub ipsis muris deleri videbatur cum Scipionis naues in alto visa, terribili impetu in hostes aduentantes, armatis vndiq; extantibus referta. Carthaginenses ex captiuis certiores facti Romanos insperatò auxilium suis afferentes properare, statim substitere. Cedentibus ipsis Scipio milites periculo iam proximos nauibus excepit, ac Mancinum subinde Romam misit. Aduenerat enim illi successor ab vrbe Serras classi præfectus. ipse haud lōge à Carthagine substitit. Carthaginenses ex muris per quinque stadia progressi vlterius vallum iaciunt, ipsiq; in eo constiterunt, Hasdrubal regionis princeps, & Bithyas equitum præfectus peditum sex millia, equites verò mille, cura temporeq; ad bellum instructos deducentes. Scipio cum nullum ordinem aut ornatum militibus adesse cerneret, verum ad inertiam, auaritiam, rapinasq; sub Pisone assuetos ad deteriora quæque procliues esse, multitudinem præterea nundinatorū illuc cōuenire, qui prædæ causa audacioribus se iubente nullo ad rapinas commiscerent: cum lex militem ab auditu tubæ longius distantem in hostium referret numerum, quippe cum eorum errata exercitui ascribi soleant: quæcunque

 autem

autem rapuissent, alterius litis principium afferrent, multi nempe socios ob lucrum contemnentes, ad vulnera, plagas & homicidia paulatim defluebant, satis conscius neutiquam se hostes superare posse, ni suis imperasset, omnes in consilium vocari iussit. ipse editiori loco constitutus his verbis eos coarguisse dicitur. Ego quidem ô viri dum sub Manlio imperatore vobiscum militarem, fidelitatis in vos meæ experimentum præstiti, quam nunc imperator repeto, qui ad vltimum vsque supplicium puniendi vos, si minus parueritis, potestatem habeo: vtile tamen existimaui aliquid præfari. Nostis enim quæ facitis. & quæ me dicere oporteat, quorum erubesco. Latrocinamini potius quàm militetis, & fugitis, non castrametamini, & nundinantibus lucri causa, non obsidentibus estis similes, & delicias quæritis pugnantes nondum victores effecti. Quid? quæ hostium insperato & breui ex quo dereliqui, in tantam creuere potentiam? & vobis labor ex facilitate dietim fit. Causas autem si quidem in vobis ipse discernerem, statim punirem. Verũ quia alteri potius adscribo, quæ in præsentem vsq; diem gesta sunt à vobis, prætermittam. Venio ego non latrocinaturus, cæterum victor futurus, nec vt pecunias cumulẽ ante victoriam, sed vt hostes prius superem. Abite ab exercitu omnes hodie

die quicunq; nõ militatis, separatim ab ijs quos sub me manere institui. Abeuntes verò nequaquam redire velim, nisi siquis commeatū ferat, & hunc quidem militarem, & exilem, quibus tēpus diffinitū adsit, in quo huiusmodi disponant. Venditionis autem eorum & quæstor & ipse geremus curam: & hæc militibus dicta sint. Vobis autem militantibus vnum adsit mandatum in omnibus commune operibus, meus scilicet mos, atque labor. ad hæc siquidem vos dirigentes, neque promptitudine egebitis, neq; gratia carebitis. Oportet autem nos in ijs defatigari, quibus inest periculum, lucrum autem ac delicias in aliud differre tempus. Hæc ego & lex iubet. Fideliter itaq; se habentibus multorum retributionem afferent bonorū, infidelibus verò pœnitentiam. Hæc fatus Scipio, inutilium virorum turbam, & quæcunque superuacua, vana, ac delicijs referta inerant in medio, sustulit. Purificato exercitu, & ad disciplinam redacto, cum promptus ad exequenda mandata videretur, locum latenter aggressus est quem Megara appellant, insidijs bifariam appositis per noctem. Est autem in vrbe locus satis amplus Megara, qui mœnibus annectitur. Ad hunc vna ex parte alios ex suis præmittit. ipse ex altera cum securibus, scalis, ac vectibus per. XX. stadia ingēti silentio processit. perceptus desuper quà maxime proximus erat.

erat, insidijs, voceq́; è muris reddita, ipse econtra primus & cum eo reliquus exercitus cœpit reclamare. Qui autem ab altera parte constiterant, vehementius extulere vocem, adeo vt Carthaginenses quamprimum terrerentur tot hostibus subito illis noctu in lateribus vndiq; assistentibus. Circa muros verò quanquam diligentissime cuncta rimaretur, nihil perfecit. Erat forte priuati cuiusdam, turris, ac destituta extra muros, cuius altitudo mœnia aquabat. Per hanc adolescens quidam audacter euectus est. Ab hac ad muros emissis hastis per interuallū ligna asseresq́; apposuere, per qua ad murum decurrentes, ad Megaram venerunt. inde perfractis portis Scipionem receperunt. Ille cum quatuor millibus ingressus est, ac statim fuga veluti reliqua occupata vrbe à Carthaginensibus citissime in Byrsam facta, voxq́; multiplex audita clamantium. ac nonnullorum captiuitas, & tumultus fieri cœptus est, sic vt foris castrametantes relicto vallo vnà cum cæteris in Byrsam se conferrent. Scipio cum Megara locum Angustiorē intueretur arboribus vmbrosis obsitum, rubis praterea ac vepribus, & ripis aquæ profundioribus varijs difficilibusq́; repletū esse, vereri cœpit ne exercitui insequenti inuiū ac difficile iter redderetur, potissimum cum per ignota commeandum foret, si quæ noctu insidiæ adessent. subito itaque regredi instituit.

tuit. Cum verò illuxisset dies, Hasdrubal Megara à Romanis occupata permolestè ferens, captiuos omnes quos ex illis ceperat supra murum statuit, eo videlicet loci, quo maxime à suis videri dignoscique possent, ibidémque varijs affecit supplicijs. Nam eorum aut oculos, aut linguas, aut neruos, aut pudēda vncis ademit ferreis, nōnullis verò soleas erasit, digitósq; abscidit, aut reliquam corporis cutem sustulit, & spirantes adhuc è muris appendit omnes, quò Carthaginenses in Romanos perpetuo irritaret odio, solamq́; in bello salutem spes illis anteferret: verum aliter ac putarat euenit. Nam his perceptis Carthaginenses operum prauitate deterriti, ex audacibus timidi effecti sunt, & Hasdrubalem veluti salutis viam eis præcludentem odere. Præcipue autem senatores illi acclamare, & vt crudelia ac superba meditantem inter tot domesticas clades increpare non cessabant: qua ex causa nonnullos senatorum aggressus occidit: ob idq́; inter omnes formidabilior effectus, ad tyrannidē magis quàm ad imperium aspirare videbatur, quasi in hoc duntaxat stabilitatem habiturus, si à multis timeretur, propter quæ incommunicabilis apud omnes haberi cœpit. Scipio hostile vallum quod in arce primum fugientes reliquere, succendit. Isthmum autem omnem circuncapiens, à mari vsque ad mare fossa vallauit, per sagittæ iactum

ctum distans ab hostibus, quod opus per V. & XX. stadia produxit à fronte, cum continue foderet, atque pugnaret. Perfecto opere alteram pariter eduxit fossam, haud multum à prima illa distantem, quæ ad mediterranea spectaret. Duas præterea prioribus persimiles illis addidit, ita ut quadrãguli formam uniuersum opus uideretur obtinere. Has sudibus undiq; acutis præmuniuit, lignis in crucem ductis reliquas porrò firmauit muniuitq; uallo, è quibus intra urbem esset intuitus: & per V. ac XX. stadia muro sepsit, cuius altitudo exceptis propugnaculis, ac turribus quæ muro adiacebãt duodecim pedes supergressa est. Profunditas supra dimidium altitudinem excelluit. In medio turris editior fundata fuit, & supra ipsam propugnaculum è ligno quadrangulum, ex quo uniuersa quæ fierent in urbe, facile perspiceret. Hæc per uiginti dies totidémque noctes facta sunt laborante exercitu, & per uices operante atque pugnante, neque cibo aut somno indulgente admodum. Quo facto intra uallum exercitum deduxit, fuitque ea pariter & militum castrametatio, & in hostes circunsessio in spatium deducta, in qua residẽs ipse commeatum omnem qui à terra ferebatur Carthaginensibus, adimeret: cum excepto duntaxat superiori collo cætera Carthaginẽsium introclusa essent: & exinde fames, ac malorum causa sumpsit

init

initium. Nam multitudine ex agris in Vrbem confluente, neque egredientibus Illis propter obsidionem, neque negociatoribus ob bellum ad eos commeantibus, cum solum ex Libya, & id modicum, superesset commeatus, minimum etiam ex mari cum tranquillum esset, Veheretur, quem autem à terra capiebant, maximo periculo laboreq; perciperent, fames Vehementius Vrgere cœpit. Erat Bithyas quidam præfectus equitum apud illos. Is cum ad ferendum commeatum iampridem missus, neque clanculum accedere, neque Scipionis Vallum superare Vi posset, commeatum à longe circunuectum, scaphis quibusdam paruis imponebat. Insurgentibus autem Vrbi Scipionis nauibus, neq; continue ac coniunctim subsistere Valētibus iuxta Vrbem ipsam ob Vndarum fluxus, & scopulis refertum mare, Carthaginensibus potissimum in muris consistentibus, & Vndarum impetu è petris concutiente naues, Bithyæ onera, & quæcunque negociatores lucri causa contulissent, Vim Venti è pelago expectantes, tensis Velis in portum ferebantur, triremibus minores rates ob celeritatem Veli Venti haud quaquam prohibere aut assequi potentibus. Verum & id modicum erat, nec nisi Vehementiore Vento è mari subuectari poterat. Quicquid præterea id esset, Hasdrubal triginta millibus quos bello elegerat, contemptis reliquis, solis diuidebat:

quæ

qua ex re fames acrius premebat Vrbem. Id cum animaduerteret Scipio, nauigationẽ quæ à portu ad occidentem vergit, nec multum distat à continenti, inhibere statuit. Aggerem itaque in mari perlongum cepit à Zona qua stagni in medio marisque constituta, lingua dicebatur, progressus deinde in pelagus, & ad exitum vsque directo aggere saxis ingentibus densisq́ firmauit, ne alluuie vndarum solueretur opus. Fuit autem latitudo aggeris à superiori parte quatuor & viginti pedum, in profundum verò per quadruplum innixa fundamento. Carthaginensibus quidem à principio irrisio quadam fuit eius operis, quasi in longum ac multo vix tempore habituri finem, ac quod vix perfici posset. Incumbente mox exercitu vniuerso, neque dies aut noctes ab opere cessante ob rei magnitudinem admiratio in timorem versa est. Itaque artificium aliud è contraria portus regione meditati, pelagi in medio quà nullam molem ob profunditatem violentiamq́ ventorum educi confidebant, effoderant, mulieribus ac pueris vnà laborantibus. Incepere autem interius, ac admodum latenter, simul naues ex vetere materia triremes quinqueremesq́ formarunt, nihil promptitudinis aut audaciæ omittentes: adeóque omnia occulta tenuere, vt ne captiui Scipioni quicquã de hac re manifeste fari possent, cæterùm

stre

ſtrepitum perpetem intra portum diu noctuq; ſe audiſſe diceret, cui antē vtilitati id eſſet, nequaquam intelligere: quoad omnibus in vnum comparatis Carthaginenſes ex orientis parte aperuere portum: ac nauibus quinquaginta triremibus quinqueremibusq; inſtructis, celoces, myoparones, aliásq; quamplures minores educentes rates, horrendam explicauere aciem. Romanos verò & os portus ſubitò apertum, & claſsis in ipſo exitu celeriter emiſſa adeò conterruit, vt ſi Carthaginenſes eorum naues propere aggreſsi eſſent, cum illi veluti obſidentes incurioſe degerent, nullis aut nautis aut remigibus eo tempore aſsiſtentibus, facilè eorum claſſem delere potuiſſent. Verum Carthaginem à Romanis capi neceſſe erat. Tunc igitur vt ſe oſtentarent tātummodo, mouere claſſem, ac ſuperbe hincinde diſcurrentes, in portum reduxerunt. Tertia poſthac die ad pugnam conſiſterunt: Romani naues cæteráq; diſponentes illis occurrere. Clamore igitur ac vociferatione ab vtraque parte vehementer editis, cum remigum ac gubernatorum promptitudo, militumq; audacia vbiq; emineret, & in hac duntaxat pugna & Carthaginenſium ſalus, & Romanorum victoria pendere videretur, continue per diem plaga vulneráq; multipliciter inter vtroſque facta ſunt. Pugnantibus illis pleraque Libycorum rates, quæ for-

ma inferiores scapha appellãtur, Romanorum nauibus maioribus inuectæ, ac submissius illis discurrentes proras infestabant, gubernacula remósque abscindebant, aliáq; proterue in eos factitabant ob fugiendi promptitudinem, celeritatémq; redeundi, quoad die in vesperam vergente Carthaginensibus retrocedere visum est, non quòd prælio cessissent, sed vt insequenti die feruentius se ad pugnam compararent. Quæ ex re minores rates in fugam versa, nauigandi promptitudine seipsas implicantes, aditum clausere portus. Ob id à maioribus subito præuentæ, cum progredi non possent, aggerem petiere fuga. Ibi locus ante mœnia haud angustus fuit, in quo negotiatores onera deponerent, verùm ingruente bello superimminentibus muris in breuiorem redactus formam, ne in amplo aliquando morarentur hostes. Ob portus igitur inopiam ad aggerem delatæ Carthaginensium rates, conuerso impetu Romanos infestabant, ac hostes circunnauigantes, hi quidem à ratibus, nonnulli ab aggere, alij autem è muro depugnabant. Romanis verò & nauigatio leuis erat, & pugna perfacilis consistentibus illis. Cum autem retrocederent, ob nauium conuersionem, quo maiores erant, eo grauiores difficilioresque reddebantur, sic vt illis similia sæpe paterentur. Cum enim se conuerterent, à Carthaginensibus statim

tim hinc inde discurrentibus ferre petebantur, quoad quinque Sidetorum naues, quæ ob Scipionis beneuolentiam eum sequebantur, hoc modo cepere pugnam. Ex ingenti quippe interuallo anchoras mari inijciebant, inde longißimis funibus annexæ in hostes ferebantur. Cum autem se illis miscuissent, iterum funes prosecutæ, & in puppes conuersæ ad suos remeabant, demum rostro prouectæ in hostes, iterum per puppes retrotrahebant. Quod cum à cæteris perspectum esset, milites Sidetorum morem imitati facillime insequentes hostes repellebant. Id prælium nocte intermissum est. Carthaginensium naues quotquot reliquæ illis superfuerant, arrepta fuga Vrbem repetunt. Scipio exorta luce aggerem aggressus, cum debile admodum esset munimentum quod portui imminebat, arietibus machinisque adhibitis partem deiecit muri. Carthaginenses quanquam fame multiplicibúsq; affligerentur malis, nocte mœnibus erumpunt, Romanorum machinas inuadunt, non terra quidem progreßi, cum nulla adesset via, neq; nauibus, cum mare omni ex parte teneretur, verum nudi facibus extinctis, ne à longe viderentur, aut præueniri possent: eo modo mare ingreßi quidam ad vbera funibus incincti, quidam nantes pertransibant, inde ad Romanorum machinas delati ignem suscitant. Cúmque omnibus conspicui

iam essent, vt pote nudi, multis affligebantur plagis, multos & ipsi vulnerabant audacia freti. Fuere ex omnibus qui telorum ac ensium mucrones in pectoribus ferentes ac vultibus à pugna non cessarent, in modum ferarum inter vulnera ruentes, quoad machinas succendere igne, ac Romanos pepulere. Turbatis omnibus ex insultu strepitúque qui per vniuersum effundebatur exercitum, cum trepidatio qualis antea nunquam fuisset, depugnantibus nudis, Scipio turbatus equo accurrit, suósque nisi à fuga sisterent, humi prosterni, stratósq; iussit interfici: qua ex re plurimi in exercitu ex necessitate saluati sunt, ac perpetuam noctem armati peregerunt, insultum ac desperationem veriti hostium. Illi succensis machinis subinde in vrbem sese referunt. Orta luce Carthaginēses cum ab hostibus non amplius infestarentur machinis, murum qui ceciderat, denuo reficiunt, turrésq; super ipsum complures ex interuallo ædificant. Romani alias interim erexere machinas, aggerémq; ex aduerso turribus instituūt, faces praterea ex sulphure picéque componentes in hostes emittunt. Cumque nonnullas succendissent turres, fugientes hostes subinde persequuntur. Verùm cruore ac limo madefacta tellus haud instabiles sustinebat gressus, qua ex causa ab insecutione sponte temperabant. Scipio aggerem adeptus omnem fossa

cir

circumsepsit, murúmque ex lapidibus eduxit, neque finitimum hostibus, neque longo ab illis distantem interuallo. Cùm autem fossam murúmque erexisset, quatuor millia militum in eo statuit qui hostes depugnantes neque iacula aut sagittas multifacerent. At illi ex aduerso consistentes è muro propellebant. Eóque modo æstas inter vtrosque consumpta est. Incipiente hyeme Scipio cum plurimos illa in regione Carthaginensibus fauere, & auxilia ab his submitti videret, quamprimum eos delere statuit. Misit itaque hinc inde ad illos complures ex suis: ipse Nepherim versus in Diogenẽ quià Hasdrubali fauebat, per stagnum profectus, Caium Lalium terrestri itinere ire iubet. Cum Diogeni ad duo stadia proximus esset, castra disponit, relictóque ibidem Golosso qui Diogeni obsisteret, ipse Carthaginem reuersus est, ac modo ad Nepherim, modo ad Carthaginem quæ fierent cuncta perspiciens vertebat gressus. Turribus duabus ad Nepherim in medio collapsis Scipio applicuit, ac mille electos milites Diogeni à tergo in insidijs locat, tribus millibus à fronte constitutis, cum quibus & ipse quà turres ruina pr ociderant ascensum capit, non multitudine stipatus, verùm per partes ac cuneatim deducens agmina ne priores vi deiecti, subsequentibus alijs in fugam abire possent. Cum clamore ac strepitu cun

cta resonarent Libycis in pugnam concurrentibus, cæteri qui à tergo instabant, quemadmodum imperatum illis erat, aduertente nemine, aut id suspicante, vallo insiliunt, ac statim qui interius aderant Libyci, percepta re in fugam abeunt, cum multo plures quàm quos insufficerent arbitrarentur adesse hostes. Gelosses altera ex parte Numidarum multitudine & elephãtis comitatus in eos fertur, plurimósq; fœda nece prosternit. Ad septuaginta enim millia hominum cum inutilibus cæsa dicuntur, decem millia capta, ad quatuor millia fuga euasisse. Capta est ab exercitu Nepheris post duos & viginti dies ex quo obsideri cœpit à Scipione, cum hyemis tempore in algenti regione multa grauiter perpessus esset: quæ res potissimum illum ad capiendam Carthaginem videtur erexisse. Nam exercitus commeatum hostibus ademerat, & in castris aduentantes Libyci fiduciam præstabant. Tum autem eo suscipiente, & reliqua Libyæ loca in militum suorum venere potestatem, quæ haud difficulter susceptæ sunt. Et iam commeatus Carthaginensibus deesse cœperat. & nihil ex Libya quæ iam alterius ditionis erat, aut aliunde nauibus conuectari poterat ob bellum ipsum, ac temporis stationem, cum hyems esset. Oriente vere Scipio Byrsam aggredi, & portum qui Cotoni dicitur, expugnare instituit. Quod

præ

præsentiens Hasdrubal, noctu partem Cotoni quæ quadrangula erat, succendit igne, ratus Scipionem subinde inuadere. Verùm conuersos in bellum Carthaginenses Lælius à tergo latuit, qui per ambitum Cotoni circumuectus, altera ex parte in eos ferebatur: sublato clamore, vt in victoria mos est, nonnulli trepidare. quidam spretis hostibus ascensum vi petere contendunt ligna machinas, asserésque per interualla statuentes. Verùm non idem virium aut animi custodibus aderat. corporibus fame languentibus. Itaq; ab impetu statim defecerunt. Capto circa Cotonum muro, commeatum prope existentem Scipio intercepit. Vespera ingruente, cum bello fatigatus nihil amplius moliri posset, cum omnibus pernox in armis constitit. Illucescente die alios denuò armatos ad quatuor millia numero accersit. Hi templum Apollinis ingressi, eius statuam, quæ ex auro fuit. templum auro illitum mille talentorum pondere inuadunt: porrò securibus aggressi prædam militibus diuisere qui vnà aderant, deinde ad opus redeunt. Scipioni Byrsam quàm primum inuadere mens fuit. Nam is munitissimus totius vrbis locus erat, multique in eum confugerant. Tribus autem itineribus à foro in Byrsam peruehentibus. cùm frequentes adessent domus, ac tectorum vndequaque domicilia penderent ab extra, Romani primis adi-

ficijs solo aequatis, loca capiunt, ab his ad finitimas transeuntes ades. Cùm illis quoque potiti essent, ligna asserésque per angiportuum internalla iaciunt: deinde in his veluti per pontes gressus dirigunt. Erat igitur atrox praelium, alterum cùm ijs qui superius imminebant è tectis, alterum cum ijs qui inferius per vicos ferebantur. Inde suspiria, gemitus, vocésque resonabant, variisq; cades passim iacentium repleuerant omnia: cùm quidam inter manus caesi, quidam viuentes adhuc à tectis praecipites in terram lapsi, inter gladios & erecta pila figerentur. Nemo tamen ignem immittere ausus propter eos qui tectis insidebant, quoad Scipio Byrsam ingressus est. Tunc verò tribus itineribus palàm diffusum est incendium, ac continuè quod igne cremabatur vlterius iter aperire ac diffundi in maius iubebat Scipio, quò facilius per vicos discurrens liber permearet miles: verum ex hoc atrocior mali prodibat facies. Igne etenim cuncta peruastante, & in latum fundente vires, ciuium domos, quòd contigua inter se forent, ignem auertentes sponte diruebant, ex quo strepitus multo maior audiebatur in vrbe, cum vnà cum lapidibus frequentes in medio corruerent mortui, viuentésque, senes maxime mulieres atque pueri quicunque intra adium penetralia compulsi pauore latitabant, & hi partim vulneribus oppleti, partim

semiam

semiambusti miserandas emittebant voces. Alij ab immensa altitudine delapsi, inter lapides lignáque cadentia igne torridi, & in varias procidentes formas membratim spargebantur: neque tamen finis mali in his erat. Fabri quippe & quecunque securibus & dolabris exercitui iter faciunt, iacentes telorum mucronibus auulsos. quosdam defunctos, quosdam etiam viuentes in quaque telluris concaua, vt lapides lignáque proijciebant, attrahentes potius quàm voluentes ferro. Erant autem fossarum replementa homines, & hi quidem in caput prouoluti, eminentibus supra terram palpitabant cruribus, alij pedibus immersi extantia proferebāt ora, quibus equi subinde discurrentes, collis, capitibúsque facies cerebrúmque proterebant, non sponte quidem, cum ob festinantiam fabri inhumatos reliquissent. Et iam bellici laboris finis, ac victoriæ gloria adesse videbantur, & militum solicitudo ac tubicines vndique strepentes tumultum concitabant. Tribuni porrò & delecti ex omnibus per ordines diuisi ac discurrentes continuè vrbem ingrediebantur, ob festinantiam quæcunque illis occurrissent, haud multifacientes: quod per sex dies totidémque noctes vastantes vrbem effecere. Permutatis interim ordinibus, ne perpetua vigilia aut labore, occisioneve aut aspectu rerum horrendarum defatigarentur milites: aßistēte

præterea Scipione imperatore, & plerunque omisso somno hincinde discurrente, ac vix cibum vllum capiente, quoad labore defessus in edito consedit, quæ gesta fuerant, ex ordine discernens omnia. Vastatis plurimis, cum abunde malis ab illis peractum videretur, septima die nonnulli ad eum coronati perfugere Aesculapij ritu serta sustinentes. Erat autem eius in arce templum præ cæteris illustre atque opulentissimum, ex quo supplicationes afferentes Scipionem rogare incipiunt, vt ijs qui è Byrsa excedere instituissent, salutem indulgere vellet: quod ille exceptis transfugis concessurum se pollicitus est: statímque ad quinquaginta millia virorum ac simul mulierum è Byrsa excesserunt, reseratis muri angustijs, quas iussit custodiri. Quicunque autem Romanorum trãsfugæ, qui ferme noningenti fuerant, desperata venia in Aesculapij templum confugere omnes, cum Hasdrubale & vxore, duobúsque filijs ex ea virilis stirpis, & ab illo, quanquam pauci essent, ob altitudinem templi, asperitatémque rupis promptissime pugnabant: citra pacem tamen per gradus sexaginta ab eo descenderunt. Sed cum fames, vigilia, pauor, labórque, ac mali propinquitas eos domuisset, templo cedentes intra penetralia eius ac pinnaculum ascendũt. Inter hos delitescens Hasdrubal clàm ad Scipionem supplex fugit: quem Scipio ad pedes

eius

tius sedere iussit, ac subinde transfugis videndum obtulit. Hi Hasdrubalem intuentes silentium sibi impendi postulant. Quo impetrato, eũ maximè variéque criminantes, templum immisso igne succẽdunt. Hasdrubalis vxorem memoriæ proditum est, cum ignem immisissent, ex aduerso factam exornasse se quantum per erũnas licuit: dein filijs ante se cõstitutis, in Scipionem audientem hæc dixisse. Nulla tibi indignatio est ô Romane ex quo me hostem circunsides. Hasdrubalem hunc patriæ, tẽplorum, mei quoq́ ac filiorum proditorem, fortunæ Carthaginensium adnuẽt, & tu vnà cum illis? Deinde in Hasdrubalem conuersam exclamasse, O funeste, infidelissime, & mollissime virorum omniũ, me quidem ac filios meos hic ignis absumet: tu autem quod triumphum præfers, quòd magnæ Carthaginis dux aliquando fueris, cur non pœnas pendis huic cum quo assides? Et hæc elocutam, filios interfecisse ambos, & se cũ illis in ignem coniecisse. Creditũ est tamen Hasdrubalem, quemadmodũ vxor illi consuluerat, oppetisse mortem. At verò Scipionem cum vrbem intueretur per septingentos annos ex quo condita olim fuerat, florentẽ rebus omnibus, quæ tantum terræ, insularũ, marisq́ tenuisset, nauib⁹ præterea, armis & diuitijs nulli priscorum imperio cessisset, audacia & promptitudine longe superasset, demum præsidijs ademptis per tres

assid

assidue depugnantem annos, fame belloque profligatam ad extremum venisse exeidium, il lacrymasse ferunt, ac palàm hoc fletu in hostes. ostendisse se satis intelligere atque dignoscere, quoniam urbes ac nationes, regnaque omnia non secus ac hominis fortunam variari necesse sit, atque interire. Id enim passa est Ilion maxima aliquando ciuitas: Assyriorum praterea, Medorum, ac Persarum regna cum ad summum peruenissent, vicissim pertulere: quod fortunæ ludibrium etiam in Macedones maxime enituit Itaque seu consultò seu temere Homericum illud protulisse aiunt:

Iamq́ dies aderit quo concidat Ilion ingens,
Et priamus priamiq́ ruat plebs armipotētis.

Polybio autem satis fidenter atque amicè ab illo sciscitante (erat enim illi studiorum comes, ac praceptor) quid huiusmodi sibi vellet carmē, non aliud respondit, quàm Romam, pro qua pensitatis humanis casibus permaximè addubitaret animo. Hac enim Polybius ab illo se au disse meminit. Scipio ex quo Carthago euersa est, nonnullos post dies exercitui pradam omnē, praterquam aurum & argentum ac insignes statuas, diripere concessit: plurima deinde pramia inter milites partitus, exceptis ijs qui Apollinis templo intulere manus, nauem cursu celerem spolijs ornauit, nunciúmque victoria cum illa Romam misit. Pari modo & in Siciliam

demi

demisit alias, ut quæcunque illustria Carthaginenses illis abstulissent, cùm in bello unà cum Romanis militarent, repetentes domum vehe-rent. Quæ res plurimum beneuolentiæ sibi attulit, cùm potentiæ humanitatem adiunctam intuerentur homines. Prædam deinde partitus ex æquo. arma, machinas & inutiles naues Marti & Palladi discinctus ipse more patrio combussit. Qui autem Romæ fuerant, inclinante iam sole nauem intuentes, victoriæ certiores facti ad cantus prodeũt, peruigiles quoque per noctem inter se complexi latique morabantur, quasi tum primùm à pauore liberi, tum primũ principes effecti, tum primùm urbem indubiè tenentes, ac victoriam adepti qualem antea nullus esset consecutus. Multa eorum virtutis ornamenta præclara recenseri, multa à maioribus suis in Macedones; Iberos, & Antiochum cognomine magnum, deniq; per Italiam omnẽ facinora gesta esse gloriosa. Bellum nullum adeo finitimum ac formidandum in ipsis portis se vidisse vnquã, ob hostium fortitudinem, prudentiam, atque audaciam, denique ob infidelitatem perniciosius extitisse fatebantur. Quæ deinde à Carthaginensibus passi essent repetebant, in Sicilia & Iberia, deinde in Italia per sex & decẽ annos ducente Hannibale, quadringentis urbibus igne absumptis, trecentis millibus hominum aut amplius bello interemptis,

cum

cum Vrbem sæpe aggressus, in vltimum posuisset discrimen. Quæ omnia mente recensentes, ad victoriæ incredulitatem demum trahebantur, & se inuicem de his percontabantur, an Carthago re ipsa euersa esset. Postremò per totam confabulabantur noctem quomodo ab illis arma sublata essent, quomodo & alia præter opinionem essent fabricati, quomodo naues omnes abstulissent, & classem tam ingentem ex veteri materia denuò fecissent, quemadmodum portus exitum clausissent Romani, ipsi verò alia ex parte paucis diebus nouum perfodissent. Plurimus tamen inter eos de altitudine mœnium, & lapidum magnitudine sermo erat, quemadmodum ignem plerunque machinis intulissent hostes. Postremò quasi prælio quod nuper gestum erat, & ipsi affuissent, se inuicem formabant, & in rerum memoriam gestarum motus corporis inanes effingebãt: Scipionem nunc in scalis, nunc in mœnibus, in portis denique ac prælijs omnibus accurrentem putantes intueri. In hunc modum Romani noctem perpetuam insomnémque ducebant. Orta mox luce, sacrificia, pompæq; solennes dijs immortalibus per ciues factæ. Agones deinde ac varia spectacula omnifariam ludorum edita. Decem postremò optimos ex Romanis Senatus elegit, qui Libyam inuiserent, eámque cum Scipione ad Reipub. vtilitatem ac commoda

compo

componerent, & si quid Carthaginis superesset adhuc, ab eodem demoliri iuberent, nullique Vlterius in ea incolatum dari sinerent. Maximè autem in Byrsam assurrexere omnes, & in ea quæ Megara appellantur: ingredi autem nequaquam Vetuerunt: Quascunque ciuitates hostibus eo prælio auxilia dedissent, euertendas: quæ Verò Romanis paruissent, regione donandas esse decernunt: & primùm quidem Vticensibus Carthaginem & Hipponam Vsque altera ex parte tribuendos agros: Reliquis Vectigalia imposita sunt, agris Videlicet eorum, ac corporibus Virorum mulierúmque. Prætorem quoque è Roma quotannis illis mittere decretum. His ita constitutis, Romam rediere. Scipio quæ sibi agenda Videbantur, sacrificijs, spectaculisque peractis, Romam naue deuectus, splendidissimum omnium ac plurimo insignem auro duxit triumphum, statuis monumentisque refertum, quæ ex omni terrarum orbe continuis Victorijs plurimo tempore Carthaginenses Libyæ intulerant. Fuit autem is, quum capto Pseudophilippo persuirili, tertius è Macedonibus triumphus ductus est, è Græcis sub Memmio primus olympiade sexagesima supra centesimam. Procedente mox tempore, cùm Caius Gracchus tribunatum plebis Romæ gereret, coorta seditione ex inopia, Visum est ad sex mille colonos sorte ductos en Libyam mit

mittere. Verùm designatis mœnibus circa Vrbem, lupi fundamenta iam capta dissipasse euertisséque dicuntur: qua ex causa Senatui ab ædificatione continere placuit. Posterius verò C. Cæsarem, qui dictator ex victoria creatus est, Pompeium in Aegyptum, ac deinde amicos eius ex Aegypto in Libyam fugientes persequẽtem, castris apud Carthaginem positis, per somnum vidisse memorant exercitum ingentem lacrymis ante se vbertim deplorantem, eáque visione territum sibi ad memoriam scripsisse Carthaginem denuò reficiendam esse. Itaque non multò pòst cum Romam rediÿsset, tenuioribus agros ab illo deposcentibus sic ordinem dedisse, quasi nonnullos ex his Carthaginem, nonnullos Corinthum esset dimissurus. Cæterùm illo in Senatu occiso, à ciuibus Octauium Cæsarem, qui postea Augustus cognominatus est, inuentis huiusmodi à patre scriptis Carthaginem, quæ nunc est, erexisse, verùm aliquanto submissiorem, cum priscæ eminentiam Vrbis vereretur condidisse: colonos ex Romanis ter mille à principio illuc missos fama est, reliquos ex finitimis in vnum collectis additos. In hunc modum Romani Carthaginensibus olim parẽtem Libyam, sibi subegere, & Carthaginis Vrbem à fundamentis erutam, restituere denuò post euersionem duobus & centum elapsis annis.

FINIS.

APPIANI ALEXANDRINI SOPHISTAE LIBER

SYRIUS.

ANTIOCHUS *Seleuci Antiochi filius, Syriorum ac Babyloniorum, necnon aliarum gentium rex sextus à Seleuco, qui post Alexandrum Asiæ circa Euphratem imperitauit, in Mediam profectus & Parthiam, aliasq; nationes quæ ante ipsum defecerant, cum plurima strenuè gessisset, ob idq; magnus Antiochus diceretur, progenitorum suorum gloria ac propria appellatione elatus, Syriam inferiorem ac Ciliciam, quæ ab Ptolemæo Philopatro Aegypti rege puero adhuc tenebantur, inuasit, nec paruum quippiam mente complexus, Hellespontum ingressus est, Aeoles & Ionios veluti Asiæ præsidenti peraccommodos ratus, quòd prius Asiaticis paruissent regibus. tandem in Europam classe traiecit, Thraciam subegit, ac minus sibi parentes per vim cepit. Cherronesum muniuit, Lysimachiam præterea erexit vrbem, quam Lysimachus Thrax*

pro Alexandro imperitans, vt propugnaculum quoddam in Thraces olim condiderat. Sed cum Thraces defuncto Lysimacho vrbem euertissent, Antiochus denuo eam condidit, profugos quoscunque Lysimachiorum vltro reuocans, ex quibus nonnulli in seruitutē redacti ei parebant. Emptis alijs, & in vnum collectis, boues insuper & pecora, ferrumque ad agriculturam necessarium illis impartitus, nihil moræ præstitit ad mœnia erigenda: cum regionē situ inclytam, & in vniuersam Thraciam accōmodam, & veluti horreū quoddam opportunum ad peragenda reliqua quæ animo complexus esset, intueretur. Plures enim ad illum confluxerant, & tutelā vrbis timore adducti susceperant. Ob id Smyrnæi & Lampsaceni, aliique Antiocho aduersantes, ad Flaminium Romanorum imperatorē misere legatos, cuius ductu Philippus Macedo in Thessalia ingenti pugna superatus fuerat. Erant quippe Macedonum & Græcorum inter se paulatim per tempus & partes inuicem commista omnia, vt à nobis eo libro in quo de Græcis agitur: perscriptum est, ac nonnullæ inter Antiochum & Flaminium legationes hinc inde missæ, et imperfectè plura ab his tentata. Iampridē enim Romani cum Antiocho in suspicionē mutuam venerant. Illi nempe haud tutè quiescere satis poterant, Antiochū magnitudine principatus

ac felicitate elatum intuentes: nec ille cum Romanos adeò inualuisse cerneret, vt soli potētia adauctum impedire, & in Europam trāseuntē prohibere possent. Cæterùm cū nulla inter eos & regem manifesta adhuc intercessisset inimicitia, legati ab Ptolemæo Philopatro Romam venerūt, Syriam ac Ciliciam ab Antiocho sibi eripi querentes. Qua ex causa Romani principio huius belli quod ipsis opportunè afferri videbatur, permaximè lætati, legatos ad Antiochū miserunt, qui verbo quidem Ptolemæū Antiocho conciliare velle dicerent, re autem Antiochi impetum reprimerent, illiq́ue quoad possent obsistere tentarent. Horum autē Cneus prior Antiochum rogare pergit, vt Ptolemæo Romanorum socio atque amico, regni quantum pater ei reliquisset, restitueret: vrbes autem quas in Asia Philippus tenuisset, liberas esse sineret. Non enim æquū esse, Antiochū eas vrbes possidere, quas olim Philippo ademissent Romani Omnino nescire se quamobrem exercitum tam ingentē, totq́ue in armis paratos desuper ex Medis adducens in Asiam quæ mari adiacet, inferret Europæ, vrbesq́ue in ea erigeret, Thraciam sibi vēdicaret, nisi hæc alterius belli essent fundamenta. Cui Antiochus ita respondit: Thraciam progenitoribus suis quondam parentē, & ex impedimento amissam, se cùm per otium vacaret, recuperasse: Lysima-

chiam autem erigere Vrbem, Vt Seleuco puero habitaculũ ſit. Quæ Verò in Aſia Vrbes eſſent, eas liberas eſſe ſinere, ſi ſibi non Romanis gratias ſint habituri. Ptolemæo & affinis, inquit, ſum, & inquantum illi ſocer non ſim, eum Vobis gratias habere cupio. Cæterùm & ipſe addubito quo iure Romani Aſiæ rebus ſeſe immiſceant, cũ nulla mihi Italiæ cura ſit. In hũc modum infecta re legati diſceſſerunt, minas iam inter ſe paulatim detegẽtes. Fama deinde & opinione Vulgata Ptolemæum Philopatrum Vita ceſſiſſe, Antiochus propterea ad eum mouit quaſi rege deſtitutam occupaturus Aegyptum. Cui Hãnibal Carthaginẽſis iuxta Epheſum occurrit ob æmulorum calumnias patria profugus, quẽ Romani litis & belli cupidum eſſe aiebant, nec Vllo tempore paci daturũ operam. Hæc acta ſunt cũ Carthaginenſes Romanis per fœdera parerent. Hãnibalem porrò in prælijs expertum Antiochus lætè ſuſcepit, ſplendidéque circa ſe habuit. Audiens deinde Ptolemæum in Lyciã Veniſſe, depoſita Aegypti ſpe, & Cyprum eius loco ſe habiturum confidens, in inſulam enauigauit. Vi igitur tempeſtatis iuxta Sarum fluuium in diſcrimẽ adductus, multis nauibus amiſsis, ex quibus nõnullæ amicis refertæ erant, in Seleuciã Syriæ profectus eſt, ibiq; exercitum labore enectũ renouauit. Nuptias præterea Antiochi & Lao-

dicis filiorū vnà celebrauit. Cum vero bellum à Romanis apertè detegi videret, affinitatibus sibi reges finitimos conciliare studuit, & Ptolemæo quidem in Aegyptum Cleopatram misit Syram cognomine, gratis Syriam inferiorem illi offerens, quam idem Ptolemæo olim ademisset, quò iuuenē demereretur, & in bello contra Romanos constantiorem redderet. Antiochiam autem Ariarathi Cappadocum regi, reliquam Eumeni Pergamo imperāti dare instituit. At is bellum iam cum Romanis affuturum videns, et ad vtilitatem simul curā adiunctam esse, vxorem tenuit. Admirantibus autem Attalo & Philetero eius fratribus quòd regis tam eximij, & adeo finitimi, & sibi imperantis, vltro etiā precantis affinitatē recusaret palàm ostendit futurū bellum principio quidē pares habiturū esse euentus, procedente tempore Romanorū res in maius euasuras ob eorū magnitudinem atq; tolerantiam. Ego etenim, inquit, Romanis victoria potitis, firmiorem regni mei adipiscar sedem, Antiocho verò bello superante, spes omnis ad propinquos mihi elapsa est, cum se illi inseruientem demū imperaturū fore speraret. His adductus rationibus, Eumenes nuptias sibi oblatas vltro renuit. Nec multò pòst Antiochus in Hellespontū descendit, ac Cherronesum classe prætervectus, magnam Thraciæ partem subegit

euertitq́;, Græcis quicũq; Thracibus parebant, libertatem reddidit. Plura quoque Byzantijs gratis contulit, veluti opportunã in ipso aditu tenentibus vrbẽ. Galatas etiã donis & apparatus splendore pellectos in societatẽ compulit, ob eximiam corporis magnitudinẽ bello vtiles arbitratus. Post hæc in Ephesum cõtendit, ac legatos Romã misit, Lysiam scilicet & Egesianactem ac Menippum, qui quidem re Senatum vt tentarent venisse visi, verbo autẽ Menippus sic effatus est, Antiochum Romanorũ beneuolentiæ studentẽ, ac propugnatorem cum illis esse cupientem, si dignũ ducant, vehementer admirari, quòd ab vrbibus quæ in Ionia sunt, eum abstinere velle dicant, & redditus quosdam illi auferre, nonnulla etiam ex Asia adimere, cũ paci suadeat, Thraciã præterea dimittere iubeãt, quæ progenitorũ suorũ quondam fuerit. Hæc enim nõ vt amicis, sed vt victis victores imperare solitos. Senatus eos ad tentandũ venisse ratus, in hunc modũ respõdit, Antiochum si Græcos in libertate esse sinat, & ab ijs quæ in Asia & Europa sunt, vicissim se contineat, Romanos si velit amicos habiturũ esse. Hæc solũ à Romanis dicta causa adhibita responso. At Antiochus quamprimum in Græciam descendere, & exinde bellum Romanis inferre statuens, Hannibali Carthaginensi animum adiecit, qui ad illũ his

verbis

Verbis vsus dicitur, Græciam quidem ex longo conflictatam bello quã facillimum opus esse credere, bella omnia cuicũq; domi esse grauiora ob ingruentẽ famem, foris autem leuius geri. Romanos autẽ, si Græciæ inferatur bellum, Antiocho nequaquam concessuros, commeatu domestico & apparatu abundantes. Suadere igitur vt in Italiam quamprimum transeat, ibidemq́; bellum gerat, vt Romanis et quæ domi fuerint, & quæ foris, debiliora æquè fiant. Italiæ, inquit, expertus sum, & multa hominũ millia in tempore illi inferre possum. Carthagine præterea amicos euocare, populum ad seditionem concitare, licet continuè inter se dissidentem, & erga Romanos parum fidè se habentem, audacia præterea tumentem ac spe, cũ me denuo Italia potiturum esse autumet. Hæc haud ingratè ab Antiocho accepta, & magni, vt erat, ad id bellum ducens Carthaginẽsium vires. statim illũ ad amicos mittere suadet: quod tamen Hannibal facere distulit, non enim tutum putabat, scrutantibus omnia Romanis, nec bello adhuc satis certo, plurimis ad Carthaginenses deferentibus nondum Repub. firmi quicquam aut stabilis habente, ijs ex caussis quibus denuo Carthago euersa est. Aristonem autem negotiatorem è Tyro per occasionem mercaturæ ad amicos misit, eosq́; adhortatus est, vt quamprimum ipse in Italiam venisset,

nisset. illi in vindictam eorũ quæ passi essent, excitarent vrbem. quod ab Aristone factum est. Inimici vero Hannibalis intellecta Aristonis profectione, tumultuari, & quasi res nouas molientem inquirere cœpere. At is nę huiusmodi calumniam Hannibalis amici in primis paterentur, noctu clàm literas ad Senatũ destinat, in quibus Hánibal vniuersos Senatores ad patriæ salutẽ bellumq; cum Antiocho vná capessendum adhortari videbatur. Hisq; peractis inde enauigat. Orta luce, timor qui ex Aristonis profectione Hannibalis amicos ceperat, subitò euanuit, quasi hæc ipsa ad omnes Senatores relata essent. Verùm ciuitas varia trepidatione agitabatur. nam cũ Romanis aduersaretur, hæc minimè latere arbitrabatur posse. Romanorũ deinde legati alij, inter quos & Scipio ille qui Carthaginensibus principatum ademit, in primis fuit, ad Antiochum missi quò mentem & apparatum eius explorarẽt, quum ad Pisida morãtem offendissent, in Epheso venturum operiebantur regem. Eò loci sæpenumero cum Hannibale in sermonem incidisse fama est, Carthaginensibus cũ Romanis adhuc in fœdere manentibus, Antiocho nondum manifestè se hostem profitente, cum quidam Hannibalem patria effugisse quererentur, Romanis nihil in eum aut reliquos ciues delinquentibus. Hæc autem faciebant quò

Hann

Hannibalem continua inter eos conuersatione atque congressu regi suspectum redderent: quod ille, vtpote vir militaris, haudquaquam animaduertit. Rex verò cum intelligeret, addubitare cœpit, & an Hannibali adhiberet fidem, variè agitabat animo, Zelo quodã ac inuidia eum affari negligens, ne futuram gloriam sibi vendicaret. Aiunt præterea inter hos sermones nonnunquam astantibus plurimis de re militari contendere solitos Scipionem & Hannibalem. Cúmque ab Hannibale sciscitaretur Scipio, quis præstantior dux in bello sibi fuisse videretur, Alexandrum dixisse Macedonem, Scipionem verò silentem Alexandro concessisse. Interrogasse deinde quem secundũ ab Alexandro esse diceret, cum Pyrrhum Epirotarũ regem nominasset, quòd virtuti militari audaciam haberet adiunctã. Non enim facilè inter reges, virum tanta audacia præditũ posse reperiri. Reiectum deinde non sine liuore Scipionem quæsiuisse quem tertium esse crederet, cum laudem illam sibi attribui putaret, Hannibalem verò eum locum sibi vendicasse, his verbis. Iuuenis dum essem adhuc, inquit, Iberiam bello cepi, exercitumq́; trans Alpes secundus ipse ab Hercule in Italiam duxi, nulloq́; ex vobis obstare auso, quadringentas euerti vrbes, nonnũquam circa vrbem Romam certamẽ extuli, neq; patria mihi

 pecun

pecunias suppeditante, neque exercitus. Cum autem eum iusto amplius se iactantem audiret Scipio subridentē dixisse memorāt: Quem locum tibi deligeres ô Hannibal, si à me non fuisses victus? Tum illum æmulatione eius intellecta, ante Alexandrum, respondisse, meipsum posuissem. In hunc modum Hannibalem ulterius se iactare destitisse, & clam Scipioni concessisse visum, quasi Alexandro potiorem superasset ducem. Soluto inter eos colloquio, Hannibal Scipionē in conturbernium vocauit. Cui Scipio perhumane respondit, obsecuturum se, ni Antiochum minus iam Romanis fidentē sciret. eoq́ modo inimicitiæ finem cum bellis uterque imposuit. Quod neutiquam à Flaminio pariter seruatum est. Victo nempe in posterum Antiocho, fugientem Hannibalem, & circa Bithyniam demum errantē, cum ad Prusiam alia ex causa missus esset, nō ob ea quæ ab Hannibale prius pertulisset, Romanis minime iubentibus (non enim illis ulterius formidabilis esse poterat deuicta Carthagine Hannibal) Prusiæ tamen veneno confecit huiusmodi oraculo fidentem, Libyssa gleba corpus teget Hannibalis, cum in Libya moriturum se speraret. Est autem Libyssus fluuius in Bithynia, & cāpus subinde ab eo Libyssa dictus. Hæc ideo apponere visum, quò Scipionis magnanimitatem à Flaminij pusil-

lanimi

lanimitate distinguerẽ. Antiochus deinde ex Pisidis in Ephesum reuersus, Rhodiorum legatis sententiam huiusmodi protulit. Rhodios se, Byzantios ac Cyzicenos & alios quoscunq; circa Asiam Græcos liberos esse sinere, si sibi cum Romanis fœdus iniretur: Aeoles autẽ & Ionios nequaquam esse velle, quasi iampridem Asiæ regibus & his quidem barbaris parere solitos. Romanorũ igitur legati Antiocho congressi cum nihil perfecissent, tandem infecta re Romã rediere. Interim Aetolorũ legati ad Antiochum venere, quibus Thoas præsidebat, regẽ sibi ac ducem Antiochum poscebant, & vt in Græciam enauigaret, veluti ad rem sibi paratam hortabantur. Non enim vtile esse aiebant morari exercitum ab Asia quæ desuper esset accedentem. Aetolorũ quoq; res in maius extollẽtes, & Lacedæmonios sibi & Philippum Macedonem super Lacedæmonios Romanis succensentem auxilio affuturum esse. At ille vane admodum cõmotus, filium in Syria nondum decessisse intelligens, concito cursu cum decem millibus duntaxat in Euboiam classe appulit, quã ex aduentu eius territam, vniuersam sibi adiunxit. Perrò Micithion eius præfectus Romanis circa Delum obuius factus (est enim hic locus Apollini sacer) quosdã ex his occidit, nonnullos cepit. Animander autem Athamanorum rex cum Anticho in societatem belli conuenit,

uenit. hac occasione pellectus, ut aiunt. Cũ quidam ex Macedonibus Alexander in Megalopolitana urbe innutritus, & eius politiæ primarius uir obseruaretur à multis taquam ab Alexandro Philippi filio originem duceret, filios ab se genitos, quò sermoni fidẽ adhiberet, Alterum Philippum alterum nominauit Alexandrum. filiam porrò Apemam quam Aminandro connubio adiunxit. Cum autem frater eius Philippus sororem ad nuptias euntem comitatus, Aminandrum natura imbecillem omnium rerum inexpertum intueretur, ibi manere instituit, regni eius curam habiturus. Hunc igitur Philippum Antiochus in regnũ Macedonum quasi iure quodam sibi debitum inferre satagens, Athamanas socios sumpsit ad bellum, & cum his Thebanos. Ipse Thebas profectus, & palàm concionatus, uanè quidẽ ad tantam rem Thebanis & Aminandro Aetolisq; confisus. In Thessaliam quoque descensurus, uariè agitabat animo, an statim, an transacta potius hyeme exercitum deduceret. In qua re Hannibalem silentem intuens primum sententiam dicere iussit. At ille, Thessalis, inquit, haud difficilè siue nũc siue post hyemẽ cũ uelis inferre manus gentẽ illã iãpridẽ laboribus affectã ad te nunc & ad Romanos si quid noui accidat facilè cessurã puto. Imus quippe sine propria potentia, inquit. Aetolis

qui

qui nos inducant, confidentes, quoniam Lacedamonij & Philippus nobiscum sentiunt, ex quibus Lacedamonios nobiscum bellare audio cum Achais, Philippum tibi præsentem non intueor in hoc bello maximè potentem in quam velit inclinare partem. Hæc autem sententia mea est, exercitum quamprimum ex Asia educere, Aminandro aut Aetolis spem apponere. Cum verò Italiam deprædari dabitur, ac domesticis circunuenti malis, quæ tua sunt, minus perturbare poterũt. Quinetiam de proprijs verentes nusquam pedem proferre audebunt. Non idẽ, vt prædixi, mos à nobis seruãdus est. Cæterùm necesse erit dimidium classis educenti maritimam Italiæ oram populare, residuum ad ea quæ vtilia erunt, in promptu habere. Te autem vniuerso peditatu insistẽtem, ad eã quæ Italiæ finitima est, Græciã congressus, famam excitare, & si potis erit bello insurgere, Philippum omni ingenio ad ea inducere, in quam velit partem potentem plurimum. Quòd si abneget, Seleucum filium tuum per Thraciam inferre bellum, quò domesticis circunuentus malis nullius vtilitatis hostibus esse possit. Hæc ab Hannibale dicta, quibus nil salubrius dici potuit. Ob inuidiam autem existimationis eius ac prudẽtiæ non solum reliqui, verùm rex ipse ne militari disciplina eos antecellere videretur Hannibal, néve futurorum gloria illi merito

rito

rito adscribi posset, in contrariam partem vertere omnia, nisi quod Polyxenides ad exercitum in Asiam missus est. At Romani cum Antiochum in Græciam mouisse, & Romanorum in Delo necem captiuitatémque sensissent bellum vltro inferre statuunt. In hunc modum Antiochi & Romanorum bellum ex suspicione iampridem ortum tunc primum geri cœptum est. Quod ab Antiocho superioris Asiæ plurimarúmque ac maximarum nationum rege, marique præter modicum quid imperante, & in Europam descendente iam fama & apparatu ingenti formidando, cum multa rei militaris præclara opera edidisset, ob quæ magnus cognominatus esset, Romani geri existimantes diuturnius ipsis atque ingens futurum expectabāt. Philippum verò Macedonem prius ab illis superatum suspectum habebant. Carthaginenses quoque neutiquam sibi fœdera seruaturos putabant, Hannibale cum Antiocho ad bellum conspirante. Cæteros vicissim iampridem subactos non minus verebantur, ne ob Antiochi aduentum res nouas molirentur. Exercitus igitur ad omnes qui eos quietè pacificéque detinerent, ac duces ad exercitus destinant, quos ipsi sex secures vocant. cum cōsules XII. *securibus totidémque fascibus quemadmodum Prisci reges vterentur: sic his dimidium duntaxat dignitatis, dimidium quoq; adesset*

appa

apparatus. Quemadmodum autem in maxima trepidatione & pro Italia rebus formidantes, cum nemo ferè illis in Antiochum constans aut fidus videretur esse, ingẽtem peditatum Tarentum demisere, qui aßistentes contineret: classem praeterea quae maritimã circumiret oram: tantum illis pauoris Antiochus à principio inferre visus. Cum autem ad imperium parata essent omnia, in Antiochum palàm mouere incipiunt, ex proprijs militum viginti millia, ex confoederatis & socijs bis totidem numero adducentes, vt in Ionium aliquando mouerent arma: hyememq; ferè totam hoc apparatu consumpserunt. At Antiochus in Thessalos deducto exercitu, cum ad locum quem ad canis capita incolae appellant, accesßissent, ibi quondam Macedones à Romanis victos fuisse constat, reliquias caesorum inhumatas adhuc splendidè sepulcro iussit inferri. Sic enim & Macedones sibi obnoxios, & Philippo aduersos fore suspicatus, cum milites suo ductu atque auspicio interemptos insepultos reliquisset. Haec cum intellexisset Philippus, dubius admodum, & quo se verteret inde cõtemplans animo, tãdem Romanis haerere instituit. Itaq; Bebium imperatorem Romanum haud longe ab eo castrametantem ad locum quẽdam vt accederet hortatus est, sine fraude se in Antiochum paratum offerens. Bebius his perceptis,

ptis, collaudato eo sidere amplius cœpit. Appium igitur Claudium per Macedoniam cum duobus peditum millibus in Thessaliã mittit. Appius circa Tempe Antiochum cum exercitu consedisse videns, ignes ingentes excitari iubet, quò militum suorum paucitatem tegeret. Qua ex re Antiochus Bebium ac Philippum adesse ratus, timore percitus obsidionẽ omisit, hyemis occasionẽ præse ferens, & inde in Chalcidem profectus est. Hic formosæ virgunculæ amore correptus quinquagesimũ iam excedens annum, cum tanta bellorum mole premeretur, nuptias tamen solenni more celebrauit, exercitumq; per hyemem in otio & desidia secum habuit. Oriente demum vere in Acarnaniam profectus, militum suorum ignauia perspecta, cum ad omnia inutiles eos experiretur, & nuptiarum & lasciuiæ cœpit pœnitere. Acarnaniæ verò parte suscepta, reliquis obsessis, cum Romanos in Ionium pertransire fama esset, in Chalcidem denuo reuersus est. Romani summa celeritate equitum duobus millibus, peditum verò viginti millibus in vnum comparatis cum nõnullos elephantos præterea haberent, Achinio Manio Glabrione duce ex Brundusio, Apolloniam, & inde in Thessaliam mouere exercitum, vrbésque obsidione statim liberant. In quibus autem Macedonum præsidia posita inuenerunt, expulere omnia, ac Megalopoli-

tan

tanum illum Philippum captiuum abduxerũt Macedonum regnum suscipere sperantem. cum quo ad tria millia militum Antiochi vnà suscepta. Dum hæc à Manio geruntur, Philippus in Athamaniam profectus, omnem sibi parere compulit, Aminandro in Ambraciam fuga delato. His perceptis, Antiochus cognita rei celeritate, etiam vehementius trepidare cœpit, & vt insperato ac subito malo circunuentus, Hannibalis consilium tum primum salubre sentire visus, alios super alios in Asiam demisit, qui Polyxenidis accelerarent aduentum. Ipse copias omnes quacunque potest in vnum contrahit. Coactis autem ex proprijs peditibus decem millibus, equitibus quingentis, additis insuper quibusdam sociorum copijs, Thermopylas occupat, vt dum exercitum ex Asia venientem opperitur, loci iniquitate præpeditos detineret hostes. Duplex autem semita ad Thermopylas ducit, arcta quidem, & in longum producta: & huic parte ab vna mare asperum & importuosum adiacet, alteri palus inuia ac profunda. Cacumina præterea duo inter ipsa montium abrupta, quorum vnum Tichiũtem, alterum Callidromum appellant. Habet autem locus ipse aquarum fontes calentium, qua ex caussa Thermopylæ dictæ sunt. Murum igitur Antiochus duplicem in his ædificauit, machinásque supra murum statuit.

H *Aeto*

Aetolos verò in summitatibus ipsis manere iussit, ne quis per semitas lateret accedens, per quas olim Xerxes Leonidam Lacedæmonijs præsidentem, cum incustodita forent, aggressus est. Aetoli igitur mille ex suis in vtroque montis cacumine positis, cum reliquis Heracleam obsidebant vrbem. At Manius hostium apparatu cognito, signum prima luce ad pugnam edidit, ac duos ex tribunis, Marcum scilicet Catonem, & Lucium Valerium, quem mallent per noctem montis verticem ascendere, eligere imperat, Aetolósque qua possent è monte deturbare. Ex his Lucius ab Tichiuntis semita repulsus est, Aetolorum primis aduersum annitentibus. Cato à Callidromo insultans, commotis iam hostibus in vltimam incidit vigiliã, ingensq́; præliũ circa ipsum factum est hostibus ab summo per aspera & inuia prohibentibus ascensum. Et iam Manius exercitum Antiocho aduersum, & in turmas rectas distributum à fronte deducebat. sic enim præcipuè per angustias montis voluebat agmen. Rex leuis armaturæ milites ac clypeatos ante phalangem pugnare imperat. ipsam verò ante exercitum statuit. In dextera funditores ac sagittarios supra itinera locat, elephantes in sinistro. Cateruam verò quæ illum assiduè sequebatur, versus mare considere iubet. Orta deinde pugna, primùm quidem leuis armaturæ milite

lites vndequaque discurrentes. Manium vehementer turbauere. Caterùm Philippus nūc eos opperiens, nun c vltro cadens, terga vertere cōegit. Macedonum phalanx per medium diuisa intra se recepit, & antecedens eos tutata est: Sarissas quoq; densas ex ordine proferre cœpit. At Macedones, maximè qui ex Alexandri & Philippi partibus steterε, plurimis ac longis annitentes hastis, hostes terruerunt accedere verentes. Manifestè autem intuentibus Actolis ex Callidromo fuga & vociferatio in Antiochi exercitu à desilientibus facta. Et primum quidem vt vtrisq; ignoratio rei affuit, ita ex ignorātia tumultus aderat. Vt verò Cato illos insequens palàm ex clamore factus est, & iam Antiochi castris immineret pro rege metuentes, cum Romanorum prælium à longe præsentiscerent, trepidare incipiunt. seipsos enim per hyemem delicijs & ignauia labefactatos norant, & irruentibus Catonis militibus, cum eos non discernerent, ob trepidationem multo plures arbitrabantur esse, & iam de exercitu summa metuentes, nullo ordine ad regem confluebant, quasi ab illo propulsaturi hostes. Verum Romani illos insecuti, in ipsum regis incidere exercitum. Quo metu alia ab Antiocho fuga turpiter fieri capta est. Manius vsque ad Scarphiam eos persecutus, partim cadens, partim capiens. cum à Scarphia re

trouerteretur, exercitum diripuit regis, ac Aetolos Romanorum castris ob eorum absentiam illatos perturbauit. Cecidere ea pugna & insecutione Romanorum propè ducenti, Antiochi verò cum ijs qui capti sunt, circa decem millia oppressi. Ipse rex cum primum terga vertere cœpisset, quingentis stipatus equitibus in Elatiam nulla conuersione facta, & inde in Chalcidem atque Ephesum profectus est, Eubia noua nupta comitante, hoc enim nomine eam appellabat, cum nauibus fuga euasisset, nec his quidem omnibus, quasdam enim ex ipsis commeatum ferentes Romanorum classiarius aggressus euertit. Romani qui in vrbe aderant, percepta victoria, cum celerrimè commodissimeq́ adepta videretur, sacrificijs templa collustrant, ex tremenda Antiochi æstimatione iam primam experti victoriam. Et vt Philippo belli socio pares gratias referrent, filium eius Demetrium obsidem apud eos patri remiserunt. Hæc tum in vrbe agitabantur. Manius interim Phocenses & Chalcidas, & quoscunq́ alios Antiocho fauentes deprecatos veniam exemit metu. Aetoliam verò Philippus circumibat, vrbesq́ obsidebat. Hic Democritum Aetolorum ducem ac sese occultantem Manius capit, qui castra iuxta Tyberim se aliquando positurũ Flaminio fuerat comminatus. Caeterùm Manius cum per Callıopolis mõtem quem Coruum

appel

appellãt, iter ageret, altißimum admodum, & transitu difficilem potißimum exercitus præda & spolijs onusto, & cui ex præruptis esset commeãdum (multi enim ex altißimis rupibus incedentes, cum impedimentis simul & armis præcipites ad ima corruerant) facile ab Aetolis deleri potuisset, nisi quòd ab illis non conspectus est, & legatis Romã mißis quò pacem impetrarent, nullo in loco exeruere agmen. Interea Antiochus summa celeritate à satrapis qui desuper incolunt, exercitu ad mare conuocato, naues præparabat. Claßis autẽ ducem Polyzenidem Rhodium patria pulsum instituerat iterúmque in Cherronesum delatus vrbes obsidebat, Sestum & Abydum occuparat, per quæ ab ab Romanis exercitus in Asiã esset tra ducendus. Lysimachiam verò vrbem quasi belli horreum quoddam constituerat, arma, frumẽti magnã vim in eam cumularat, ratus peditum nauiũq; multitudine opprimere Romanos. Interea Romani Manio qui succederet ad exercitus curam Lucium Scipionem eligentes consulem ea tempestate, verùm rei militaris non admodum gnarum, Publium Scipionẽ eius fratrem, à quo Carthaginenses superati sunt, & Aphricani cognomen in primis habitum, consilij participem illi statuere. erãt quippe Scipiones ferè omnes eo apparatu. Liuius verò cui Italiæ cura commissa fuerat, Atti-

lij successor ad classem electus est, qui statim proprijs nauibus in Italiam delatus sumptis à Carthaginensibus & socijs alijs quàm plurimis ad Piræam accessit. Ibi accepto ab Attilio exercitu, vna et octoginta armatis nauibus se quente Eumene cũ quinquaginta ex proprijs, quarum dimidia pars armata fuerat, ad Phocidam olim Antiocho parentem, tunc percepta illius clade Romanis obsequentem, recta ferebatur. Cùm nauigationi nonnihil insequentis lucis addidisset, Polyxenides regiæ classis præfectus cum ducentis leuibus nauibus illis occurrit, quæ ex Causa nauigationis cursum subitò antecapit, Romanis adhuc ad pugnam im paratis: duas quoque Carthaginensium naues præcedentes conspicatus, tribus ex suis propere emissis ambas sed inanes capit, Carthaginensibus vi depulsis in mari. Liuius interim ira cõcitus primus ad tres illas militari naui dirigit cursum. Quæ cùm ab hostilibus sola sperneretur, manicas iniecere ferreas. Connexis itaq; in vnum nauibus præliũ vt in terra fieri cœptum. Sed cum audacia præcellerent Romani, naues ingressi illas tenuere, ac vnica naui duas adducentes ad suos rediere. Et hoc quidem naualis pugnæ præludiũ quoddam fuisse visum est. Cum autem classis in vnum cõuenisset, Romani prõptitudine & viribus longe superabant. Verùm ob nauium suarum grauitatem hostes assequi

nequa

nequaquam poterant, leuibus antefugientes ratibus, quoad Ephesum vsq; fuga peruenerunt, Romani verò in Chium delati sunt. Hoc in loco naues Rhodiæ septẽ & viginti numero belli sociæ Romanis accesserunt. Antiochus percepta nauium fuga, Hannibalem præmittit in Syriam, qui aliam ex Phœnicea & Cilicia præpararet classem, quem deinde redeuntem Rhodij in Pamphylia aggressi, nonnullis nauibus ademptis reliquas ipsi assidentes fuga prohibebant. P. autem Scipio in Aetoliam delatus vnà cum Lucio consule assumpto Manij exercitu, vrbium quæ in Aetolia erant, obsidiones nulla ferè opera dissoluit. Deprecantibus demum Aetolis vt legatos Romam mittere liceret, facile concessit. Deinde vt in Antiochum moueret prius quàm frater ab imperio discederet, per Macedoniam ac Thraciam in Hellespontum iter facere instituit, difficile admodum atque asperum, ni Philippus Macedo iter illi aperiret, venientémque susciperet, & à longe fluminum trãsitus commeatúmque pararet. His ex rebus Scipiones residuo illum tributo liberauerant, Senatu in sententiam adducto si Philippum ad agẽda promptum inuenissent. Ad Prusiam quoque Bithyniorum regem dimisere legatos, qui dicerent omnes quibus imperant Romani, qui opem illis atq; auxilia attulissẽt: principatum adauxisse, Philippo nempe Ma-

cedoni quem antea bello ſuperaſſent, regnum conceſsiſſe. Filium præterea obſidem apud nos datum vltro abſoluimus, tributi debitum remiſimus. Quibus lætatus Pruſias cum Romanis in Antiochum bellare inſtituit. Liuius claſsis præfectus in ipſo Scipionum tranſitu naues collocarat: Pauſimachum Rhodium vnà cū Rhodijs nauibus & exercitus ſui parte in Aetolia reliquerat, pluribus ipſe in Helleſpontum pertranſiuerat, imperatorem illuc venturum recepturus, & iam Seſtum & Retium ſibi aſciuerat. Abydum cunctantem obſidebat. Pauſimachus recedente Liuio plurima ſuorum experimēta meditatus, varias erexit machinas. Vaſa præterea ferrea ignem deferentia telis longis annexuit, vt ignem mari geſtarent, quo proprias naues tueri, hoſtibus autem appropinquantibus facile obeſſe poſſent. Hæc animaduertens Polyzenides regiæ claſsis præfectus, Rhodiēſis patria, cū certis ex cauſis vrbe exul eſſet, haud longe caſtrametatus Antiochi claſſem in eius poteſtatem poſiturum ſe pollicitus eſt, ſi de reditu eius curam habiturum ſe promitteret. Ille hominem inſidijs aptiſsimum & aſtutum reformidans, diligentiore adhuc cuſtodia vti nitebatur. Recepta deinde Polyzenidis epiſtola, quam de huiuſmodi proditione propria manu ſibi ſcripſerat, cum ab Epheſo claſſem ſoluere, copiaſque in Sitologiam deducere

velle

velle diceret, Pausimachus profectionem eius intuens, satis arbitratus epistolam propria manu scriptam, haud facile eum missurum qui simulatione vti vellet, fide adhibita custodias dissoluit, & in Sitologiam ipse quoque ex suis mittit. PolyXenides fiducia illius animaduersa subito exercitum contrahit, & Nicandrum piratam cum paucis in Samum præmisit, qui à tergo Pausimachum inuaderet. Ipse noctem circa mediam classem mouet, & matutina vigilia adhuc quiescentem occupat. Ille repentino malo circumuentus, milites derelictis nauibus à terra hostes arcere imperat. Insurgente verò Nicandro à tergo, ratus terram vicissim ereptam esse, cum non eos duntaxat quos intueretur, verùm multo plures per noctem adesse crederet, turbatis omnibus iterum ad naues suos reuocat primusq; prælium ingressus, primus egregie pugnando cecidit, cæteri partim capti, partim interfecti sunt. E nauibus verò septem quæ ignem afferebant, nemine ob periculũ propius illis adire confidente, in fugam abeunt, reliquas numero X X. PolyXenides vinculis iniectis in Ephesum adducit. Eius victoria fama & Phocis iterum, & Samos & Cyme ad Antiochum rediere. Veritus igitur Liuius pro his nauibus quas in Aetolia reliquerat, magna celeritate ad eas rediit, vnáque cũ eo Eumenes. Tum Rhodij alias denuò viginti naues Roma-

nis præstiterunt, modicoq; intersecto spatio magna illos lætitia affecerunt. Itaq; ad Ephesum in pugnam prompti classem adducebant. Occurrente illis nemine, dimidium classis in alto longe in conspectu statuunt, reliquisq; in hostili terra constitutis, vrbē obsidere pergunt, quoad Nicander è Mediterraneis egressus commeatum sustulit, nauesq; insequi cœpit. Tum illi in Samum denuò reuersi sunt, & naualis præfecturæ tempus interim Liuio elapsum est. Ea tempestate Seleucus Antiochi Eumenis regionem depopulabatur, & Pergamo assistens viros ad vrbem conuocabat. Qua ex causa Eumenes ad Aeliam regni sui caput subito euadit. Iuit & vnà cum eo Lucius Aemilius Regulus, qui Liuio ad curam classis successerat. Venere præterea & ab Achiuis Eumeni auxilio pedites mille, equites centum electi, quorum Diophanes prætor, qui cum è mœnibus Seleucios ludentes & vino madidos intueretur, contemptis illis, Pergamenis imperat, vt vnà cum eo in hostes ruerent. Non audientibus illis, pedites mille quos habuit, & equites centum in armis ponit, & sub ipsis muris intrepide cum illis constitit, hostibus procul eos aspicientibus: & quanquam numero longe inferiores, non tamen manum conferere ausis. Ille verò prandentibus adhuc cum clamore accurrens, perturbauit omnes, custodiásque discedere coegit,

&

& cum nonnulli ad arma concurrerent, aut frenarent equos, aut fugientes insequerentur, difficulterue ascenderent, nec tamen consistere auderent, victoria potitus est, Pergamenis desuper è muris proclamantibus, nec tamen egredi confisis. Interfectis igitur quoscunque licuit, veluti repentina insecutione captiuos viros equósque celerrime auferens reuersus est. In sequenti quoque die Achæos ad murum statuit. Pergamenis verò iterum exire trepidantibus, Seleucus plurimis stipatus equitibus, ac propior illi factus in pugnam prouocabat. Verùm ille ne tum quidem prodire voluit, iuxta murū sese continens, cæterùm occasionem expectabat. Cum autem Seleucus vsque in meridiem perstans defessis iam equis reuerti cuperet, Diophanes postremos eorum aggressus, tumultu ac cæde permiscens omnia quoad potuit, iterum sub ipsis muris rediit. Et hunc morem continue cum pabulatum lignatúmque graderentur milites, obseruās, hostesq́ perturbans & infestās, Seleucum tandem à Pergamo coëgit abscedere, & à reliqua Eumenis regione dimouit. Polyzenides interim ac Romani apud Mycnesiū, ingenti classe conuenere. Polyzenides nauibus nonaginta armatis, Lucius verò Romanæ classis præfectus tribus & octoginta, quarū quinque & viginti Rhodiorum fuere. Earum præfectus Eudorus, qui in sinistro cornu locatus, cùm

cum ex aduersa parte Polyzenidem multum Romanos praeeūtem intueretur, veritus ne eos circunueniret, celerrime aduectus, vtpote qui nauibus citis, & remorum vi adactis mari solitis vteretur, naues ignem ferentes primū Polyzenidi aduersas statuit vndiq; splendida luce micantes, quas ille ob ignem aggredi non ausus, sed circunquaq; adnauigans declinare, & maris fluctibus aspergere cœpit. Ligna quoque proras excedentia percutere, quoad Rhodia nauis in Sidoniam inuecta, cum vehementiore impetu vsa esset, anchora ab Sidonia excussa est, & in Rhodiam infixa, ambaq; inuicem connexa, ita vt insidentes commorantibus veluti in terra ratibus simul depugnarent. Prodeuntibus verò ab vtraque parte quamplurimis quò suis auxilium afferrent, contentio inter vtrosq; splendida orta est. Hac ex re destitutis Antiochi nauibus, quæ in medio steterant Romanorum naues superueniunt, & homines adhuc periculi ignaros circundare pergunt: quod cum animaduertissent illi, fugam statim capessunt. Ex Antiochi classe vndetriginta naues deleta sunt, quarum tres & decem cum viris captæ. Romanorum duæ duntaxat periere. Polyzenides abducta Rhodia naui in Ephesum delatus est. Hunc exitum naualis pugna circa Myonesum habuisse dicitur, nondum re ab Antiocho percepta, qui Cherronesum ac Lysimachiam

dilig

diligētissime munierat, magnum, ut erat, opus existimans contra Romanos si quando alium in Thraciam exercitum inferrēt. difficile ipsis, ac pene inuium iter futurum, ni Philippus concessisset. Cæterùm Antiochus ut erat inter alia leuis admodum, subitúsque ad mutationes, cū cladem apud Myonesium habitam intellexisset, collapsus animo, ac ratus quippiam sibi diuinum aduersari, idque præter omnem euenire rationem, ut Romani superiores in mari essēt, in quo se longe præcellere putabat, Hannibale in Pamphylia obsesso, Philippo Romanis expeditum iter adhibente, quem æquius erat illis aduersari, à quibus mala plura pertulisset, longe amplius commotus est quasi fortuna cogitatus suos euertente, quemadmodum in occurrentibus ærumnis solet euenire. Itaque nulla impellente ratione Cherronesum dereliquit antequā in conspectum uenisset hostis, neq; quantū frumenti ea in ciuitate cumulauerat, aliò transferens, neque arma, pecunias, machinas uel igne saltem absumens, uerum integra omnia tanti momenti relinquens hostibus. Lysimachijs subinde ueluti ex obsidione fugientibus, ac pueris cum eiulatu & gemitu sequentibus, uniuersa hæc despiciens sola classe circa Abydum hostes arcere meditatus, & reliquam belli spem in hoc uno duntaxat statuens, neq; nauigationis rationem habens, ob deorum iram ad mediter-

ranea

ranea delatus est, ut hostes preueniret accelerans, cum nullam in nauigãdo custodiam adhibuisset. Tum verò Scipiones discessu regis intellecto, Lysimachiam cursu capiunt, & in Cherroneso thesaurum armáque adepti sunt. Hellespontum porrò custodia vacuum audientes, magna celeritate regem preuenerunt: nondum eos in Sardis accessisse cogitantes. Quibus ex rebus conterritus Antiochus, & errata omnia in fortunam referens, Heraclidem Byzantium ad Scipiones misit, qui bellum quoquo pacto dissolueret. Smyrnam & Alexandriam quæ supra Granicum est, Romanis linqueret, & Lampsacum, quarum causa bellum coeptum fuerat. Impensarum quoque dimidium eius belli soluturum se promitteret: cui etiam mandatum fuerat, si opus foret, Ionias & Aeolicas urbis quotquot idem bello cepisset, restituere Romanis, vel si quid aliud Scipiones poscerent: hæc in publico Heraclidem effari impositum. Priuatim verò P. Scipioni ab Antiocho pecunias & oblationes afferebat. Filij præterea liberationem, quem ex Demetriade in Chalcidem adnauigantem Antiochus in Hellada ceperat, pollicebatur. Erat is puer Scipio qui deinde Carthaginem cepit & euertit, & secundus à Scipione Aphricanus cognominatus est, Pauli filius, qui Macedoniam Perseo eripuit, Scipionis genere ex filia nepos, adoptione filius. Ambo

bo igitur Scipiones in hunc modum respondere. Si quidem Antiochus pacem cuperet, non solum Ioniæ & Aeoliæ Vrbium possessionem, sed ab omnibus citra Taurum montem Vltro excederet. Porrò belli impensam ob ipsum factam Vniuersam solueret. Separatim deinde Publius Heraclidi dixit. Nempe si Antiochus Cherronesum obtinens hæc proponeret, perlibenter Romanos eius preces admissuros crederem, forte etiam si Hellespontum classe custodiret. Nunc autem cum transierint Romani, & in tuto locati sint, & frenum, Vt dicitur, imposuerint equo, ipsum quoque ascenderint, nullum ex huiusmodi Verbis pacem suscepturos puto, Se autē gratias regi agere, quòd pacem eligat: & maiores reddere, filium Vltro accipiens Velle pares illi referre, ac consulere, Vt quæ sibi proponuntur admitteret, antequam maiorum subiret onerum difficultates. Hæc effatus Publius in Aeliam Valetudine correptus abscessit. Consiliarium fratri Cneum Domitium reliquit. Antiochus Verò, quemadmodum & Philippus Macedo, satis arbitratus, nihil tributorum amplius ex bello sibi auferri posse, in Thiatirum campum haud longe ab hostibus copias eduxit. Filium autem Scipioni in Aeliam mittit. Ille adducentibus consulere cœpit, ne quoad rediret ipse Antiochus, bellum caperet. Qua ex re confisus ille circa Sypilum montem

castra posuit, murum castris circunducens, & fluuium Phrygium in obiectum statuens hostibus ne inuitus pugnare cogeretur. Domitius belli euentum suo auspicio decerni cupiens, fluuium ingenti audacia traiecit, & per viginti stadia ab Antiocho distans vallum iacit. Per quatuor igitur dies ex quo quisq; iuxta eorum castra exercitum protulerat, nemo bellum attigit. Quinto die Domitius militibus denuò in ordinem eductis ardue progressus est. Non educente Antiocho copias, proximior illi castra ponit. Vnica quoque die interposita audientibus hostibus per præconem annunciat, in sequenti se cum Antiocho etiam nolente habiturum bellum. Qua ex re conturbatus ille consilium immutat. Cúmque sub muris consistere, aut strenue ab ipsis pugnare posset, quoad P. adesset, turpe ducens cum multo pluribus detrectare pugnam, acies educit. Eduxere autem ambo circa vltimam vigiliam instante adhuc nocte. Ordines verò ab vtroq; eorum in hunc modum distributi sunt. Læuum cornu decem millia ex Romanis strenue armatis iuxta fluuiū ipsum tenuere. Post hos totidem Itali milites in tres diuisi turmas ab vtraque parte inferius. Supra Italos verò Eumenis exercitus constitutus, & Achiuorum scutigeri circa tria millia. Ita læuum institutum Romanorum cornu, in dextro equites erant Romanorum, Italorum

scilic

scilicet & Eumenis, nō plures quàm tria millia. Omnibus autē leuis armaturæ milites & sagittarij plurimi immisti erant. Circa Domitium ipsum equitum cohortes tres. In hunc modum ad triginta militum millia fuisse cōstat. Dextro Domitius præsidebat. In medio consules constituit. Sinistrum Eumeni datū. Elephantos verò quos ex Libya susceperat, cum nullam ex ipsis vtilitatem in bello adesse crederet, ob eorum paucitatē, exilitatemq́ corporum, vt Libycorum est natio. quorum minores maiorum reformidāt intuitum, in vltimis posuit. Sic Romani instituere acies. Antiocho septuaginta militum millia affuisse fama est, quorum potissima pars phalanx ex Macedonibus sex & decem millibus numero fuit, à Philippo primum, deinde ab Alexandro in ordinem posita. Statuit autem eos in medio diuidens, ac supra mille & ducentos in decem partes distribuit, et horū vniuscuiusq; partes aderant in frōte quinquaginta viri, in vltima duo & triginta, in lateribus ab vtraq; parte duo & viginti. Erat autē muro assimilis phalangis forma, elephantorū ad instar turrium. Eo modo peditatus ab Antiocho institutus, Equites ab vtraque parte ab illo dispositi, Galatæ loricis splendidi, & Macedonū agmina. Sunt autem equites electi, & ob hoc agmina appellantur. Hæc ab vtraq; phalangis parte ex æquo

distributæ. Post eos deinde cornua tenebant, in dextera leuis armatura quidem & argenteis clypeis ornati equites, et subsagittarij in equis ducenti. In sinistra Galatarũ gens Tectosagij, Trocmi, & Tolystobosigij, Cappadocesq; nonnulli, quos Ariarathes miserat, & aduenæ alij noti militabant. Loricati deinde equi super his alia ex parte, & ea quam socialem vocant manum leuiter armatam. Hæc Antiochi exercitus forma fuit. Verũ is in equitatu spem magnam apponere visus, quem plurimũ in fronte locauerat. Phalangem verò densam in arctum contraxit, vt in bello rudis qua potissimũ veluti exercita vti oportuit. Sagittariorũ verò, ac funditorũ infinita pene multitudo illi aderat. Lãceatorũ præterea et scutigerulorũ ex Phrygia: & Lycia, item ex Pamphylia & Pisidia Trallenses & Cilices in Cretensiũ morẽ exhornati. Sagittarij equestres vltra hos alij Dacæ, & Misij, & Clymi, & Arabes, qui camelis citis insidentes sagittis eminus vtuntur: cõminus autẽ gladijs bellãt acriter, quos longos & strictiores deferẽtes falcatis curribus belli principio medio in spatio solent decertare. Hi in frõte dispositi, quibus mãdatum fuerat vt post fugã iterum pugnam capesserent. Horũ aspectus fere duorũ fuit exercituũ, vnius pugnare incipientis, alterius in acie & campo cõsistentis. Vterq; verò ad terrorẽ admirabili instru-

ctus

ctus multitudine & apparatu. Cõstitit autem in dextera cum equitibus Antiochus ipse, in altera Seleucus eius filius. Phalangi Philippus elephantorum princeps præsidebat, propugnatoribus Mendis & Causis. Luce tenebris & nebulis obducta, aspectus omnis apparatus videri desijt, & sagittarũ iactus haud aperte emitti poterat, aëre obscuro et humido. Quod animaduertens Eumenes alios quidem contempsit omnes. Curruũ autem impetũ in ordinem dispositorũ, ne obesset, extimuit. Omnes igitur funditores & iaculatores, leuisq; armaturæ milites in vnum congregans, antepofuit curribus, vt ad eos discurrentes assessorũ loco vulnerarent equos. Quippe illis in iugo depugnantibus reliquũ totius currus vt inutile spernitur, plurimumq; ex ordine ipso perturbatur, ipsis falces suas euitãtibus. quod & tunc fieri contigit. Vulneratis nempe turmatim equis, et currus in equos deferẽtibus, primi cameli qui turribus proximi aderant, trepidare incipiũt, & subinde loricati conturbantur equi, qui ex armorum pondere haud facilè occurrentes falces euitabant. Tumultus itaq; immensus exoritur, multiplexq; turbatio. Quæ potissimũ ab his initium assumens, totius campi mediũ inuasit, cum suspicio diligentiã omnẽ superaret, queẽadmodũ lõgo interuallo & dẽsa multitudine, ac multiplici voce, confusoq; pauore, etiam

ijs qui patientibus proximi aderant, industria nulla suppeditaret, & maiorum suspicionem vnusquisq; sibi fingeret. Eumenes cū ad votum rem sibi primo impetu successisse vidit, et spatij medium quantum cameli currúsque tenerent, equis destitutum esse, quoscunq; Romanorum Italorumq́; penes se habuit, aduersus Galatas Cappadocesq́; deduxit, turmamq́; aliam peregrinorū cum clamore adhortatus est, vt in homines belli ignaros, & à propugnatoribus nudatos armis ruerent: quod ab illis factum est. Ex insultu igitur ab his impetuose edito, non solum hi in fugam vertūtur, verū equites illis adiuncti & armati pridem territi à curribus cessere loco, & eos potissimum, quos ob grauitatē fugere oportuit, cum se vertere nequirent, consequuntur, & cædunt. Et hæc circa læuum phalangis Macedonum. In dextro verò Antiochus vbi locatus consistit, Romanorum ordines infringens, diu fugientes insecutus est. At Macedonum phalanx, vtpote cum equitibus in arcto cōstituta, & quadrangula, ipsis à se dimotis, vtraque ex parte leuis armaturæ milites qui in fronte eius depugnabāt, seipsam diuidens in se recepit, interiusq́; conclusit. Domitio autē plurimis equitibus ac velitibus facillimè illam veluti lapidum congeriem quandam ex omni parte discurrente, cum nec emittere tam immēsam turbā, nec explicare posset,

difficul

difficulter admodum ferebat onus, ita vt angerentur ipsi, cum nihil amplius experiẽtiæ in hostes ederent: sed vbiq; hostilibus vulneribus obijcerentur. Itaq; sarissas ex phalangis quadrangulo densas exerentes Romanos lacessebant, & formam quãdam exilientium præ se ferentes, nequaquam prodibãt. Pedites, vtpote armis onusti, hostes in equis intuentes, maximè ne robur ordinis exoluerent, aciẽ seruabant, nec Romani illis appropinquare, aut ad manus accedere ausi, virorũ in bello experientiam, multitudinem, & inprimis desperationem formidabant, hastas duntaxat & sagittas à longè iaciebant, quo nihil damnosius, veluti plurimis in arcto consistentibus. Non enim quemadmodum tela declinarent, aut occurrentibus cederent habebant. Quamobrem cũ diu multumq; sustinuissent, ex necessitate vertuntur, & retrocedentes minis vtebãtur tam constanti vultu, vt Romani vererentur. Nec enim propius adhuc illis accedere audebant, sed circuncurrentes eos vulnerabant, quoad elephantis metu territis in ipsa phalange, nec assessoribus aures præbentibus, ordo fuga dissipatus, & Domitius phalange potitus est: qui mox exercitum præueniens, Antiochi custodias è loco depulit. Antiochus cùm Romanos diu persecutus esset ea ex parte qua aduersus eos steterat, nullo equite, ac ne pedite quidem au-

xilium ipsis afferente (non enim accesserat Domitius, nihil opus esse existimans, ob fluminis propinquitatem) vsq; ad Romanorum castra peruenit. Occurrente autem illi tribuno cum electioribus, cui castrorum custodia commissa fuerat, vlterius progredi desijt, & qui fugiebant immixti alijs ac ipsum exhortantes auertebant. Regrediebatur itaque veluti ex victoria lætus & insolens, nihil eorum quæ alia in parte gesta erant, intelligens. Interim Attalus Eumenis frater plurimis stipatus equitibus regi occurrit. Quibus superbè inuectus Antiochus, interfectis nonnullis cursu defertur, aßistentibus circa ipsum, adhuc multis, paucis derelictis. Vt verò cladem inspexit, campumq; omnem hominum, equorum & elephantorum paßim iacentium refertum cadaueribus, cognita exercitus sui strage, irreuocabili fuga delapsus est, circaq; mediam noctem in Sardis peruenit, inde ad Celenas, quam Apamiam vocant, pertransiuit. Ibi filium vnà è bello aufugisse intelligit. Sequenti die ex Celenis in Syriam proficiscitur, præfectos in Celenis linquens, qui fugientes exciperent, in vnúmque redigerent. Pro inducijs verò habendis oratores ad consulem misit. Ille autem domesticos sepeliri iußit, hostes spolijs exui, captiuos prætereà simul vniri. Romanorum itaq; ciuium equites quatuor et viginti

ginti, pedites trecentos ab Antiocho cæsos inuenerunt, Eumenis equites septem & decem duntaxat cecidisse. Ex Antiochi verò parte cũ captiuis circà quinquaginta millia oppressa fuisse. non enim facilè ob multitudinem annumerari poterant. Elephantorum porrò plurimi interfecti, quinq; & decem capti fuere. Quod cum in tam celebri victoria, & pene vltra rationem omnem parta accidisse putaretur (non enim æquum videbatur pauciores multo pluribus aliena in patria tantũ valuisse, potißimũ Macedonum phalange depugnante atque aßistente, quæ & virtute & robore longe præstaret, & insuperabilis quodãmodo ac tremenda videretur esse) Antiochi familiares atq; amici & proteruiã illius in Romanos, & à principio inexperientiam stultitiamq; accusabãt, qui Cherronesum ac Lysimachiam tot armis & apparatibus munitam è manu proiecisset, ac prius quàm in aciẽ prodisset hostis, Hellesponti custodiam vltro neglexisset, nec adhuc Romanis per vim transire sperantibus. Querebantur præterea nouißimam illius insipientiam quòd optimam exercitus sui partem in tam angustò positam, inutilem sibi reddidisset, spemq; omnẽ in multitudine confusa prius posuisset ad bellum, quàm in ijs qui & experientia & tẽpore, belli opera callerent, & quorum in tam multis animi audacia ac fiducia præcelleret. Hac

de Antiocho ab illis ferebantur. Romanis verò animi elati sunt, vt nihil vlterius illis difficile, dijs ac virtute iuuantibus, videri posset. Hoc enim vel maximè eos ad felicitatis gloriam erexit, cum adeò numero inferiores, veluti ab incursu ac prima pugna exteris in locis tantam regij apparatus multitudinem, cui & mercenariorum militum virtus, ac Macedonum fama inerat, regis prætereà ipsius propè immensum obtinēs imperium, ex quo magnus vocabatur, vna die superassent. Plurimus tamen illis in ore Antiochus ille magnus versabatur. Hæc igitur Romani inter se referentes gloriabantur. At cōsul ex quo Publius ab Aelia valetudine liberatus ad eum venit, Antiochi legatis responsum dare instituit. Illi nēpe scire postulabant, quid Antiochus agens, Romanis socius atque amicus esse posset. Quibus Publius ita respondit, Causas sibi ipsi ob ambitionem & cupiditatem attulisse Antiochum ob hæc quæ in præsenti & prius peregisset: qui cum principatū magnum obtineret nihil prohibentibus Romanis, Ptolemæo eius affini, ac Romanorum socio Syriā abstulisset inferiorē, & in Europam ad se nihil pertinentem exercitum inducens, Thraciam euertisset, Cherronesum muniuisset, Lysimachiā prætereà erexisset vrbem. Deinde in Græciam transgressus, Græcos in seruitutem redegisset, prius à Romanis

manis libertati traditos, quousq; ad Thermopylas pugna superatus esset, neque tamen fuga elapsum à cupiditate hac habendi desiisse. sed mari sæpenumero deuictum. Romanis nõdum transgreßis Hellespontũ, inducias petijsse, deinde ob suspicionẽ quæ sibi proponebantur despexisse, exercitumq; denuo ingẽtem immenso apparatu induxisse Romanis, vt bello cõtenderet cũ melioribus, vires experiri ausus, quoad extrema clade esset superatus. Nobis autem, inquit, æquius fortasse foret maiore adhuc illũ mulcta cõdemnare, qui nobis toties insurgere conatus est. Sed nec felicitatẽ nostram deturpabimus, nec aliorũ clades adaugebimus. Dabimus quæcunq; anteà illi proposuimus, modica quædam adijcientes, quæ & nobis vtilia fore existimamus, nec illi ad securitatem in futurum inutilia. Discedere ipsum ab Europa omni & Asia quæ citra Taurum montẽ sunt, & ijs qui apponentur terminis tradere quoscunq; habet elephantos, & naues, quas imperabimus: deinceps elephantos non tenere: naues quas illi concedemus solum poßidere, tradere insuper viginti obsides quos prætor scripserit: pecunias porrò ad belli impensam ob ipsum gesti, talenta scilicet Euboica statim quidem quingenta exponere. dum verò hæc fœdera Senatus approbarit, duo millia & quingẽta, annis duodecim, subinde sequentibus decẽ millia

& quingenta quæ per partes singulis Romam deferantur annis. Tradere præterea nobis captiuos & trāsfugas omnes eum volumus. Eumeni verò quæcunque residua ab Attalo eius patre per fœdus debet restituere. Hæc Antiocho sine fraude exhibenti pacem amicitiamq́; pollicemur cum senatus iusserit. Huiusmodi à Scipione prolata legati admiserunt, & statim quidem pecuniarum partē & viginti obsides exhibuerunt, inter quos & Antiochus iunior fuit Antiochi filius; quem Romam Scipiones cum legatis misere. Senatus his perceptis fœdera nōnulla addidit, & perscripsit quæ à Scipione dicta confirmarent, & pro imperfectis quædam addiderunt, breuia alia comprehenderunt. Videmus quippe, dixere, Antiochi principatus duo esse promōtoria, Calycadinū videlicet & , Sarpidonium: vltra hos in bello Antiochum nauibus vehi nequaquā volumus, naues cataphractas duas & decem duntaxat à principio habere, quibus in subditos bello vtatur, bellantē verò pluribus vti posse, neminem ex Romanis apud eum peregrinum esse, neque transfugas ex ipsis penes se recipere, obsides intra triennium mutare posse, Antiochi filio excepto. Hæc à senatu conscripta, & in tabulis æneis ad Capitolium affixa sunt, vbi & alia fœdera apponi solita. Antigrapha verò Manio Vlisoni exercitum à Scipione suscepturo

Senatus

Senatus misit, à quo iusiurandum cum Antiochi legatis circa Apamiam Phrygiæ præstitum, quod ab Antiocho vicissim Thermo tribuno ad ipsum præmittente firmatum est. Hic igitur belli finis cum Antiocho magno Romanis fuit, visumq́ue est ad hæc vsque processisse ob Scipionis filij gratiam ab Antiocho habitam. Qua ex causa nonnulli Scipionem cum domum rediisset, calumnijs aggressi sunt. Inter quos & tribuni duo fuere, qui Scipionem peculatus & proditionis accusarent. Verum ille despecta accusatorum improbitate, cum in iudicium venisset eamet die qua Carthaginem subegerat, sacrificium præmisit in Capitolium. Ipse ad iudices profectus, gestu venusto, nec, vt obnoxij solent, miserando & abiecto, omnes in stuporem eius beneuolentiamq́ue conuertit, quasi bonitate confisus, ac virtute, cætera haud multi faceret. Deinde loqui orsus, accusationis verbum nullum fecit, vita autem eius studia & exercitationes omnes retulit, quotiens pro patria bellum gessisset, & quemadmodum bellare solitus, quotiens deinde victoriam adeptus esset, ita vt audientibus iucunditas quædam ob magnitudinem gestarum rerum facilè occurreret. Cum verò altius progressus esset à primordio belli quod cum Carthaginensibus olim gesserat, sermone in longum producto, & multitudine ad audiendum

diendum intenta, sic inquit. Quoniam hac ipsa die hæc omnia deuici, & Carthaginem vobis subegi, ciues prius vobis formidandam, ad Capitolium sacra facturus accedo, quod & à vobis pariter quibus patriæ amor inest, mecum reor esse faciendū. His dictis, nihil iam de accusatione solicitus, versus Capitoliū gressus mouit: quem ingens multitudo plurimiq; iudicum votiua acclamatione secuti, etiam sacrificanti vnà consenserunt. Accusatores ob hæc consilij inopes, vlterius accusationem prosequi non ausi veluti imperfectam. fauorem quoque populi verebantur, vitæ ipsius modestiam accusatione & calumnijs potiorem intuentes. Scipio verò huiusmodi calumniam gestis moribúsque suis indignam auersatus, Aristide mihi sapientior visus est fuisse, cum peculatus et ipse reus diceretur, & Socrate in ijs quæ ab accusatoribus obijciebantur nullum in simili indignitate faciētes verbū, vel ea etiam loquentes quæ Plato meminit. Magnificentius & illud Epaminundæ dixerim, qui Bœotijs præfectus vnà cū Pelopida militaribus functus est officijs. Permiscuere autem eos Thebani, exercitum vtriq; dantes, vt Arcadibus & Mesenijs aduersus Laconas depugnantibus afferrent opem. Cum autem ea quæ mente agitabant, nōdum executi essent, in iudicium eos vocauere. Hi verò belli curam ne successoribus quidē, vt mos fuit, intra

tra

tra sextum mensem præstitere, verum tandiu morati sunt, quoad Lacedæmoniorum præsidia expulere ex oppidis, & Arcadum illis imposuerunt, Epaminunda milites ad hæc compellente, eosq́ ab omni mulcta quæ propterea inferretur, defensurum pollicente. Cum autem in patriam reuersi essent, accusatores vnunquenq́ prosecuti morti damnauere. Sic enim ex lege præscriptum erat, vt qui vi alterius principatum gereret, morte mulctaretur. Qua ex causa amici eius in fugam versi, eiulatu multisq́ verbis culpam in Epaminundam referentes, eos sic instruxisse vt dicerent, & dicentibus adesse testem fatebantur. Tum ille morti condemnatus, confiteor, inquit, me inique gessisse principatum & quos absoluistis, à me coactos esse, nec propterea vitam ob scelus deprecor. Hoc solum à vobis peto, vt pro ijs quæ à me gesta sunt, sepulcro velitis inscribere. Hic est, inquit, qui circa Leuctram victoriam adeptus, & patriam hostes non ferentem, ne quis peregrinus Laconicum Pilon habeat, supra Spartam ipsam deduxit. hic patriæ iniquitate ob eius vtilitatem extinctus est. Hæc effatus, è tribunali descendit, volentibusq́ eum abducere corpus obtulit. Verum iudices sermonis inuidia commoti, cum responsum eius admirarentur, viri quoque authoritatem erubescerent, sortes assumere non ausi, è iudicio abiere. Hæc vt cuiq́ gratius fuerit

rit indicare licet. Manius verò qui Scipioni in imperio successerat, regionem ab Antiocho ereptam præsens ipse suscepit, & Galatas qui cum Antiocho pugnauerant, latrocinijs deditos, & ad Mysium Olympum fugientes ipse nō sine ingi labore supergressus montem, è fuga reuocauit, interfectosq; præcipitauit è rupe, qui tamen ob multitudinem annumerari nequiuere. Captiuorum ad quadraginta millia ab eo habita, quorum arma combussit igne. Corpora, cum tantam turbam inter bella educere haud quaquam posset cæteris barbaris finitimis vendidit. Ipse inter Tectosagos & Procmos in insidias delapsus demum aufugit. Reuersus inde ad eos qui morabantur adhuc, & ob multitudinem immoti consistebant, leuis armaturæ milites aduersum misit, & ipse circumequitans iaculari iussit, neque in vnum confertos, neque finitimos hostibus. Nullo autem telo inirritum cadente ob hostium turbam, ad octo millia occidit, reliquos vsq; ad Halym fluuium insecutus est. Ariarathi autem Cappadocum regi, qui propugnatores Antiocho miserat, verenti admodum, & vt ducenta talenta susciperet oranti, regionē reliquit intactam. Ipse in Hellespontum reuersus est, cum ingenti gaza pecunijs prope innumerabilibus, præda grauissima, & exercitu pōdere onusto. Quæ verò hactenus, nulla ratione ab eo facta existimantur. nam

æstatis

æstatis tēporibus nauigationem distulit, et pondus earum quas ferebat rerum, haud multifaciens, neq; solicitus labore & industria exercitui iter aperire, non ad bellum intento, sed domum cum spolijs redire properanti per Thraciā profectus est, iter lōgum & angustum & difficile ad superandum caloris tempore: neque in Macedoniam ad Philippum mittere curauit, ut illi occurreret, quò tute progredi posset, neq; exercitū in partes multas diuidere, ut facilius incederet, & necessaria paratiora haberet: neq; uasa deferentes in ordines rectos ponere, ut se inuicem tueri possent, uerum omnem in longitudinem immensam exercitū deduxit & impedimenta in medium statuit, ita ut neq; præcedentes illis opem afferre possent, neq; subsequētes ob longitudinem simul & itineris difficultatem. Qua ex re undiq; ex transuerso insurgētibus Thracibus plurima pars prædæ subtracta est, publicæ quoq; pecuniæ & ipsius exercitus abrepta ab hostibus, ipse cum cæteris in Macedonia seruatus est. Quo in loco maxime intueri licuit, quantum ad Scipiones præmittens profuerit Philippus, & quantum uicissim peccarit Antiochus, qui Cherronesum reliquisset. Maximus ex Macedonia in Thessaliam ueniens, ex Thessalia in Epirū, inde ad Brundusium transgressus est, ac reliquum exercitus ad propria dimittens, Romam accessit. Rhodij, & Eumenes

Perg

Pergami rex, quòd bello in Antiochum vnà consensissent, animis elati Romam legatos suos dimisere. Senatus Rhodijs Lycios Caresq́ concessit, quos paulò post ab ipsis abstulit, quasi Perseo potius regi, quàm ipsis in Perseum depugnantibus promptos, ac fauentes. Eumeni quacunque reliqua ab Antiocho ademerant, exceptis Græcis, qui in ipsis erant, perstitere. Horum verò quicunque Attalo Eumenis patri tributa persoluissent, Eumeni quoque præbere voluere. Qui Antiocho prius penderant, tributo liberarunt, ac suis legibus vti permiserũt. In hunc modum Romani quæ bello ceperãt, partiti sunt, Magno deinde Antiocho exempto rebus humanis, Seleucus eius filius hæres institutus est, qui fratrem Antiochum obsidem apud Romanos, tradito eius loco Demetrio filio, liberauit. Is cum in patriã reuerteretur, & iam Athenis propinquus esset, Seleucus ex insidijs Heliodori cuiusdam ex suis incaute interficitur. Heliodorum porrò regnum suscipere conantem Eumenes & Attalus vi pepulere, Antiocho in regem substituto: cui virò blandiebantur maxime. Ex nonnullis quippe offensionibus iam Romanos suspectos habere cœperant. In hunc modum Antiochus Antiochi magni filius, Syriæ principatum adeptus est, quod nomen apud Syrios iampridem insigne fuerat, quòd arrepto ab exteris regno, ipse indigena

rex

rex habitus est. Firmata itaq; cũ Eumene beneuolentia aq; amicitia, Syriæ, & quæ circùm incolunt gentibus imperio præfuit, Satrapem in Babylonia Timarchũ habens, ad exigendos autem reditus Heraclidem, germanos inuicẽ qui ambo antea exoleti illius fuerant. Exercitum quoque in Artaxem Armeniorum regem duxit, quo capto excessit è vita, Antiochũ nouem iam habẽtem annos relinquens filium: quem ob patris virtutẽ Syrij Eupatrũ cognominauerũt. Hunc puerũ Lysias aluit. Senatus cum Antiochi stirpem ad minimum redactam, & breui interituram videret, lætatus est. Demetrium autem Seleuci filium Antiochi illius præclari nepotem filiorum magni Antiochi puero illi consobrinum, & Romæ obsidem, cum annum tertium supra vigesimum agens in regnum demitti posceret, quasi vtilius futurum populo Romano, nequaquam concessit, haud vtile arbitratus, iuuenem iam ætate adultum pueri loco Syriæ praeesse regno. Intelligens deinde elephantorum gregem, & naues plures ijs quæ Antiocho ex pace concesserant, in Syria asseruari, legatos misit qui elephantos interfici, naues igne absumi iuberent. Miserandum itaque spectaculum præbuit bestiarum interitus iam manu assuetarum, & quæ raræ apud omnes erant: tum ignis classi iniectus. Quo spectaculo commotus quidam in Laodicia vrbe Leptinus,

Cneum Octauium legatorum principem deprehensum intra Gymnasium occidit, quem dein de Lysias sepulcro dedit. Demetrius igitur iterum Senatum ingressus, ex seruitute duntaxat liberari postulabat, cum Antiochi loco obses da tus esset, Antiochus autem interijsset. Cum vero id consequi non posset, clanculum enauigauit, & Syrijs pergrate eum suscipientibus imperio præfuit. Lysiam pariter ac puerum necauit. Heraclidem quoque è Babylone expulit. Timarchum vero illi aduersantem tandem peremit, plurima alioquin in Babylonios nequiter agentem. Quibus ex rebus imperantibus Babylonijs Soter ab illis appellatus est. Adeptus igitur imperium Demetrius, decem millium aureorum coronã, quòd obses apud Ro manos fuisset, gratis illis misit, vnaq́ Leptinũ destinauit, qui Octauium interemerat. Illi suscepta corona Leptinum recusarunt, iam inde crimen in Syrios ad tempus obseruantes. Demetrius ex Cappadocum regno Ariarathe depulso, Olophernem mille talentis eius loco induxit, fratrem Ariarathi habitum: cæterum Romanis Ariarathem & Olophernem veluti fratres inuicem regnum administrare placuit. Decedentibus igitur his, & Ariobarzane haud multo post sub Mithridate ponti rege deuicto, Mithridaticum bellum subinde & in alios fieri cœptum, maximũ quidem & multi-

form

forme, & quod à plurimis nationibus per quadraginta ferè annos gestum est, in quibus multi Syrijs principes ex regio genere, verum tempore perbreues extitere, multa præterea defectiones, reditus in regna facti sunt. Parthi ab his deficientes in Seleucidarum regnum Mesopotamiam sibi vendicarunt, quæ Seleucidis parere assueuerat. Et rex Armeniæ Tigranes, quòd nationes quasdam finitimas proprijs vetères regibus sibi subegisset, rex regum existimatus est. Seleucidas præterea parere recusantes bello deuicit. Non aduersante etiam Antiocho Eusebij Tigranes Syriæ vltra Euphratem potitus est, omniúmque Syriæ nationum vsque in Aegyptum tenuit & Ciliciam. Nam & hæc Seleucidis olim paruerat, Megadatem quendam per quatuordecim ferè annos in vniuersum prætorem statuens. Lucullo deinde imperatore Romano Mithridatem, qui ad Tigranem confugerat, bello persequente, Megadates cum exercitu opem allaturus illi occurrit. Quo tempore Antiochus Eusebij in Syriam delatus, Syrijs sponte obsequentibus regnum cepit: Lucullus deinde cum Tigrane primum congressus, & partis per eum prouincijs expellens, patrio tamen regno non priuauit. Pompeius deindè cum Mithridatem Lucullo abstulisset, Tigrani Armeniam habere concessit. Antiochum è Syriorum regno expulit, cum nihil is in Ro-

manos deliquisset, hac re, vt arbitror, commotus, quoniam facile erat exercitum plurimum habenti principatum inermem tollere. Verbo autem, quòd Seleucidas sub Tigrane deuictos Syrijs magis praeesse quã Romanos, haud aequũ arbitrabatur, qui Tigranem superassent. In hunc modum Romani, Cilicia, & Syria qua in mediterraneis colitur, & inferior appellatur, ac Phœnicis, & Palestina, & omnis praterea Syria, quocunque nomine nuncupetur, ab Euphrate vsq; in Aegyptum bello prafuere, vnico Iudaeorum genere aduersante. Pompeius cum exercitu profectus, regem eorum Aristobolum Romam misit. Hierosolymam vrbem magnam, & pra cateris sanctiorem apud eos vicit, quam olim Ptolemaus primus Aegypti rex euertit, & Vespasianus iterum restitutam diripuit, & Hadrianus atate mea subuertit: qua ex causa Iudais tributa corporum, reliqua eorum substantia grauiora sunt. Est que Syrijs & Cilicibus anniuersarius cuilibet possessionis cuiusque impositus. Pompeius verò nationibus qua Seleucidis parere assueuerant, nonnullis reges proprios imposuit, ac dynastas, quemadmodum Galatis in Asia quatuor dynastas attribuit, eorúmque tetrarchias cõfirmauit, vt aduersum Mithridatem auxilio essent: qua nõ multo post Augusto imperante ad Romanos concessere per partes. Syria praterea Scaurum

qui

qui cum eo in prælijs quæsturam gesserat, Pompeius præsidere iussit. Senatus Marcum Philippum pro Scauro, Marcellinum vero Lentulum pro Philippo prætores ambos esse voluit. Cæterum in utroque tempus elapsum est, dum Arabes finitimis aduersos repellunt. Hac de causa prætores subinde creati sunt, qui nomine præ cæteris in Vrbe pollerent, ut ex ordine belli exercitusq; quemadmodum consules haberent potestatem. Horum primus Gabinius cum exercitu missus, qui bellum gereret. Mithridates Parthorum rex principatu eiectus ab Herode fratre, ex Arabia ad Parthos se contulerat. Ptolemæus vero Vndecimus Aegypti rex & ipse regno pariter expulsus, multis pecunijs hortatus est, ut à Parthis in Alexandrinos se conuerteret. Et quidem Ptolemæum Gabinius in regnum restituit illato Alexandrinis bello. Sed is Romanorum consilio damnatus aufugit, quòd absque Senatus decreto Aegyptum inuasisset bello apud eos nefasto ex Sibyllinis monitis. Pro Gabinio mihi visus est Syriæ Crassus præfuisse, quo pugnante ingens clades accepta est. Lucio deinde Bibulo, post Crassum Syriam tenẽte, Parthi in eum mouere bellum. Saxa porrò post Bibulum regnante, usque ad Ioniam Parthi peruenere, Romanis inter se dissidentibus ciuili bello. Sed de his latius in Parthorum libro referemus. In hoc autem qui

Syrius inscribitur, quemadmodum Syriam adepti sunt Romani, & in hunc in quo nunc est, gradum statuerant, abunde diximus. Non incongruum tamen videtur, cum de Syria scribamus, ad Macedones transire, qui ante Romanos illi præfuere. Alexander nempe Syrijs supra Persas imperitasse dicitur, & omniū rex, inquantum progressus, extitisse. Alexandro demum intereunte, vsque ad sobolem eius modicum quid omnino: qua nondum edita Macedones Philippi desiderio Arideum Alexandri fratrem eorum regem statuere, quanquam haud admodum prudentē habitū, quem Aridei loco Philippum appellarunt. Opperientibus interim illis Alexandri sobolem, nam vxorem eius grauidam seruabant, amici prouincias inter se partiti sunt, Perdica illis sub Philippo diuidente. Non multo deinde cum decessissent reges, Satrapæ eorum loco creati sunt. Syriorum autem primus Satrapes Laumedon Mitylenæus instituitur, ex Perdica: & Antipatro post Perdicam: regibus cunctis præsidente, Ptolemæus Aegypti Satrapes in Laumedontem classe deuectus, multis pollicitationibus vt Syriam sibi traderet hortatus est. qua si ingressum Aegypti quendam ac propugnaculum in Cyprum asserens, quod cum aspernaretur ille, vi eum cepit. Laumedon interfectis ijs à quibus seruabatur, Alcetam profugit

in Cariam, sicque aliquandiu Syriæ Ptolemæus præfuit, & præsidia urbibus imponens, in Aegyptum enauigauit. Antigonus verò Phrygiæ & Lyciæ ac Pamphiliæ Satrapes, & custos totius Asiæ institutus ab Antipatro, cum in Europam transmearet, Eumenem Cappadociæ satrapem & Macedonum hostem à se iudicatum obsedit. Ille fuga elapsus, Mediam sibi vendicauit: demum ab Antigono interceptus, neci deditur. Antigonus cum in patriam rediret, à Seleuco Babyloniorum satrape splendidè susceptus est. Increpante deinde quendam ex ducibus Seleuco, neque id Antigono præsenti referante, iratus rerum ac pecuniarum rationes ab eo petijt. Ille cum debilior existeret ad Ptolemæum in Aegyptum abijt. Antigonus post Seleuci fugam, Blitora quendam Mesopotamiæ ducem è principatu expulit, quòd Seleucum abeuntem esset comitatus. Babyloniam verò ac Mesopotamiam aliásque ex Medis supra Hellespontum nationes sibi subdidit. Decedente autem Antipatro, à cæteris satrapis inuideri cœpit, quòd tantum regni tantúmque terræ solus possideret. Seleuco igitur in primis suadente, Ptolemæus ac Lysimachus Thraciæ satrapes, & Cassander Antipatri pro patre agens, in unum conuenerunt, præmissisque ad Antigonum legatis, regiones ac pecunias per eum habitas Macedonibus qui è regnis deci-

dissent partiri poposcerunt. Irridente eos Antigono, bellum in commune statuerunt. Ille ex aduerso paratis copijs, quacunque præsidia in Syria relicta erant ab Ptolemæo, expulit. Phœniciam deinde ac Syriam, quæ inferior dicitur, Ptolemæo adhuc parentes sibi asciuit. Profectus subinde ad Cilicias portas, Demetrium filium vix annum secundum & vigesimum agentem, cùm exercitu reliquit in Gaza aduersus Ptolemæi motus in Aegyptum, quem Ptolemæus iuxta Gazam ingenti prælio vicit. Demetrius ad patrem rediјt. Ptolemæus Seleucũ in Babyloniam vt principatum susciperet, emisit: pedites porrò mille, equites trecentos illi dedit, cum quibus licet paucissimis Seleucus cæteris suscipientibus Babyloniam promptè inuasit, & principatum haud multò pòst in immensum extulit. Antigonus interim Ptolemæo succensebat, demum nauali pugna circa Cyprum eиicit Demetrio filio vnà militante. Qua victoria tam illustri adepta, exercitus ambos reges appellauit, Antigonum scilicet ac Demetrium. Intereuntibus interim regibus Arideo, Philippo, & Olympiade cum Alexandri stirpe, proprij exercitus Ptolemæum regem nominauerunt, cùm post acceptam cladem haud minus tamen ijs possideret, qui victores habebantur. Illis autem econuerso eadem opinio aderat, quos statim reliqui imitati sunt, omnésque è

satrap

satrapis reges euaserunt. In hunc modum Seleucus Babyloniæ præfuit, Mediæ præterea imperauit, Nicatoremque prælio deuicit, ex ijs qui ab Antigono in Mediam satrapes relicti fuerant. Plura quoq; bella cum Macedonibus gessit ac barbaris, verùm duo in primis maxima cum Macedonibus ipsis egit, vltimum cùm Lysimacho Thracum rege. Primum verò cum Antigono iuxta Hipseum Phrygiæ eodem ducente atque pugnante cum octogesimum ætatis annum attigisset. Postremò Antigono in bello concidente, quicunque reges vnà cum Seleuco in Antigonum conuenerant, eius regna inter se partiti sunt. Ea igitur tempestate Seleucus omnis circa Euphratem Syriæ quæ mari imminet, Phrygiæ quoque super mediterranea regnum sortitus est, nationibus quoque finitimis continuè imminens, cum eas ad se suadendo attrahere potens esset, & cogere, Mesopotamiæ, Armeniæ, ac Cappadociæ, quæ Seleucis appellatur, Persis denique ac Parthis, Bactrianis & Arabum populis præfuit. Epirum insuper, Gordianos, Aracosios, & Hyrcanos sibi subdidit, aliásque adiacentes vsque ad Indum tenuit nationes, quæ olim ab Alexandro victæ fuerant, ita vt Asiæ fines post Alexandrum hic maximè putetur attigisse. A Phrygia quippe vsque ad Indum fluuium desuper omnia Seleuco parebant. Indum præterea transgressus

K 5 cum

rum Androcoto Indorum rege tandiu pugnauit, quoad ipsum in amicitiam affinitatémque pellexit. Et hæc quidem ante Antigoni obitū, partim verò post ab illo gesta. Ferunt cum sub rege militaret adhuc, & in Persiam euntem sequeretur, in Didymea oraculum huiusmodi obtigisse. Cùm enim de reditu suo in Macedoniam percontaretur, responsum fuisse,

Europā haud quæras, Asia tibi tutior ora est.

Et in Macedonia paternum larem, inspirante nemine, ingentem emisisse flammam, matrem quoq; eius per somnum existimatam esse quem annulum ipsa reperisset, Seleuco gestandum tradere. Regnaturum quippe illum ijs in locis in quibus decidisset annulus. Postmodum cum ancoram sculptam ferro inuenisset, dedisse filio. Seleucum autem iuxta Euphratem eum amisisse. Dicitur præterea cum in Babyloniam post hæc proficisceretur, ad lapidem quendam offendisse, quo euulso, ancoram statim apparuisse. Tumultu subinde inter natos orto, quasi detentionis indicium id præ se ferret, Ptolemæum Lagi ad eos mittentem prædixisse, firmitatis ancoram, non detentionis esse indicium. Seleuco verò ob hæc cum regno potiretur, ancoræ sculpturam pro annulo affuisse. Superstite adhuc Alexandro ac intuente, aliud Seleuco signum de principatu eius apparuisse memorant. Alexandro quippe ex Sidone in Babyloniam reuertente,

&

& per ipsas Babyloniæ paludes, cum Euphrates Syriam terram inundaret, nauigante, incumbens subitò ventus diadema è capite eius abstulit, volitansq; in arundine non longe à quodam vetusti regis tumulo deposuit quod regiæ necis signum in primis fuit, nautam verò adnatantem diadema capiti imposuisse ferũt, & Alexandro purum ab humiditate attulisse, eius rei præmium à rege argenti talentum accepisse. Auguribus autem illum interfici iubentibus, nonnullos Alexandro idem suasisse, alios aduersatos esse. Fuisse etiam qui prætermissis his, non nautam, verùm Seleucum ad regis diadema adnatasse diceret, & capiti imposuisse, quo purum afferret: & hæc signa in fine ambobus accidisse. Alexandrum quippe in Babylonia finiisse vitam, Seleucum Alexandri imperij plurimum præter cæteros eius successores tenuisse. Hæc de Seleuco ab Auguribus antedicta fuisse legimus, Discedente demum Alexãdro, dux socialis & equestris agminis instituitur, quod & Ephestion quondam sub Alexandro. & post Ephestionem Perdicas rexerat. Dehinc Babyloniæ satrapes, & rex demum pro satrape effectus, cum in prælijs felicissimè pugnaret, Nicator cognominatus est. Mihi autem probabilius videtur Nicatorem interfecisse, vel quòd corpore ingenti fuerit ac robusto, siluestrémque taurum in Alexandri sacrificio olim elapsum è

vinc

vinculis sese opponens manibus tenuerit ambabus: quod in statuis conspicitur, quibus cornua desuper adiecta sunt. Vrbes autem condidit ad imperij eius magnitudinem sex & decem Antiochias in memoriã paterni nominis. In honorem vero matris quinque Laodicias, nouem in sui nominis Seleucias, quatuor in mulierum suarum commemorationem vrbes, tres Apamias, & Stratonicam vnam, quarum ætate nostra illustriores adhuc extant, Seleucia, quæ in maris littore sita est, & quæ supra Tigrim fluuiũ condita, Laodicia, in Phœnicia & sub Libano monte Antiochia, Syriæ quoq; Apamia. Alias præterea à Græcia aut Macedonia, aut ab operibus quibusdã suis nominauit, aut ad Alexandri regis laudem nomen indidit. Ob hoc in Syria, & ijs qui supra ipsam incolunt barbaris, multa Græcorum, multa quoque Macedonum oppidorum insunt nomina, Berria, Edessa, Perinthus, Maronia, Callipolis, Achaia, Bella, Oropus, Amphipolis, Arethusa, Astacus, Tegea, Chalcis, Larissa, Erea, & Apollonia. Inter Parthos autem Sotira, Calliopi, Charis, Hecatomplis, Achaia. In India præterea, Alexandropolis, In Scythia, Alexandrescheta. Et ob victoriarum suarum famam ac memoriam, Nicephorion in Mesopotamia, & Nicopolis in Armenia, quæ Cappadociæ maximè cõfinis est. Fama est cùm Seleucias vrbes conderet, eam, quæ

mari

mari imminet, è cælo tactam esse, & ob id fulgur deum incolis ab eo traditum, solitosq́; choreas ducere fulgur hymnis præcinẽtes. Ad eam vero quæ supra Tigrim colitur, Magi à Seleuco acciti, qui diem & ex die horam qua fundamenta vrbis iaceret eligerent, cum illam veluti iugum ipsis imponi formidarent, horam ementiti sunt. Interea Seleucus hora intẽtus, in tabernaculo considerat. Exercitus ad officiũ paratus, quoad rex mandasset expectabat. Statim vero incumbente fatali hora, à nullo moniti, cùm præceptum sibi putarent esse, milites vltro ad opus aduolant, nec cohibẽtibus tubarum strepitu cesserunt: eóque modo vrbem conditam esse ferunt. Seleuco verò id grauiter ferente, & Magos denuò de fortuna vrbis consulente, in hunc modum veniam deprecatos respondisse. Fatalem quidem sortem ò rex siue bonam siue malam neque hominis, neq; vrbis fas est permutare. Quædam enim vrbium quemadmodũ & hominum sors est. Hanc diuturniorem fore dijs visum est, quæ ab hac hora qua capta est, sumpsit initium. Quippe dum vrbem vt propugnaculum in nos futuram formidamus, quod fatale fuit aperuimus: quod ideo felicius habendum est simulantibus Magis, te autem ignorante. Diuinitas profectò quædam felicitatem istã militibus ostendit tuis: quod in teipso hoc modo intellige, ne nos simulare amplius credas. Tu

enim

enim rex cum exercitu tuo quietè degens, opperiendi cæteris præceptum dederas. At ij qui in periculis & laboribus continuè mandatis tuis paruere, neque expectare, neque ordines seruare potuere, nec turmatim, verùm impetu quodam exciti, neglectis ducibus mandatum sibi credidere, & mandatum quidem fuerat, & velati non prohibente deinceps paruerunt. Quis igitur in hominibus rex deo potētior censendus est? qui mentis suæ compos extitit, & condendæ vrbis nostræ loco dux ipse affuit, succensens nobis, finitimæq; stirpi nostræ. Vbinam nostra quibunt consistere, fortioribus vndiq; nobis insurgentibus? Hæc igitur ciuitas feliciter à te condita, in dies adaugebitur, in longumq; manebit æuum. Nobis autem qui rerum nostrarū charitate ducti erga te deliquimus, propitius mentem firma. Hæc deprecantibus Magis lætatus rex, sponte veniam illis tribuit. Huiusmodi de Seleucia vrbe percepimus. Seleucus verò Antiochum filium superstes adhuc omnis quæ desuper est regionis, eius loco regem esse voluit. Et quanquam id magnificum ac regale existimari queat, magnificentius tamen ac sapientius quiddam, adolescentis amor, & ad amorem eius insignis moderatio videtur attulisse. Stratonicem quippe Seleuci vxorem, Antiochi ipsius nouercam, & iam puerum Seleuco enixam, miserè adolescens deperibat, verùm passionis

sionis

sionis impudentiam abhorrens, non facinus aggredi, non palàm cuiquam fucere audebat. tantum morbo indulgens, Vltro mortẽ appetebat, neque Erasistratus medicus inter pracipuos aulæ à Seleuco habitus, Valetudinis huius causam scrutari poterat, quoad corpus eius omni ex parte syncerum intuens, animæ profectò agritudinem illam esse arbitratus est, cuius amantis & infirmæ passionibus laboraret corpus, Tristitiam nempe & indignationem ac cogitationes alias à prudentibus plerunque simulari, amorem Verò intus tegi cõsueuisse: nihil horum tamen Antiocho sibi profitente, satis ratus in secreto deprehendi posse, propius assedit, & corporis ipsius mutationes, quemadmodũ ad quosque ingredientes se haberet, diligentius obseruare cœpit. Quòd cum alijs ad eum accedentibus segne torpidumq; pari modo esse cerneret, Stratonice Verò assidente Vt eum inuiseret, mente ex rubore conscientiáque confusa, Vehementius turbari, tacitúmque persistere, corpus præterea quanquam inuito eo reuiuiscere admodum, ac Viuacius effici, excedente ea concidere ac debilitari, ad Seleucum profectus, filium eius insanabili morbo correptum esse retulit. Cùm tristari & exclamare cœpisset rex, Passio hæc, inquit Erasistratus, amor est, & mulieris quidem amor, Verùm quam consequi haud potis est. Admirante admodum Seleuco

si

si quem ipse ob adolescentis huiusmodi coniugium, precibus, pecunia, aut donis, deniq; totius regni sui pollicitatione flectere nequiret., qui Vniuersæ Asiæ imperitaret, ac superstite rege, qui morbo laboraret, daturũ se pro salute eius quod quisque vellet, promittere, & solum quæ mulier hæc esset efflagitante, Erasistratus, meam, inquit, vxorem deperit. Tum Seleucus, Quid ergo, inquit, tu tam bonus, & nobis adeo beneuolentia affectus & charitate, virtute verò & sapientia paucis cedens, iuuenem florentem ætate, & regno debitum, amici præterea & regis filium, in infelicitate prudentem, & morbum adeo celantem, vt mortem libens oppetat, nobis non seruabis? Verùm Antiochum si despicies, despicies & inuicem Seleucum. At ille regi aduersatus, inconuincibilem sermonem protulit. An tu, inquit, quãquam eius parens, si vxorem tuam cuperet Antiochus, illam vltro daturus es? Hic Seleucus reges omnes ac deos persanctè deierans, sponte se ac lætè daturum obtulit: boniq; parentis beneuolentiæ exemplum cunctis exhibiturum erga filium adeo prudentem, continentémque passionis, & huius mali prorsus indignum: aliaq; his similia edisserens, tristari ac lamentari, ni illi infelici medicam afferret opem. Ille cum regis mentem non simulatã quidẽ, verùm ad rem prõptam certamq; discerneret passionem omnem filij detegit, &

quemad

quemadmodum id deprehendisset, enũtiat. Seleucus gaudio elatus, vnicum opus sibi superesse arbitratus est, quo pacto id filio persuadendũ esset quo pacto & vxori. Cum voti tandem sui compos esset, coacto in vnum exercitu, qui fortè id præsenserat, quæcunq; ab eo gesta essent, edisserit. Deinde de principatu loqui orsus, Alexandri successionem in longum proferre quammaximè opus esse ostendit. Se verò senio confectum, haudquaquam tanto imperio sufficere. Disposui itaq;, inquit, ipsius magnitudinem sine vestra in futurum cura diuidere, & partem charissimis meis tradere. Aequi eritis ad hæc peragẽda mihi omnes, qui ad tantum principatus ac potentiæ post Alexandrum regem sub me euecti estis. Amantissimi itaque mihi & regno digni visi sunt filius iam ætate adultus, & vxor. filij nempe ab his in flore constitutis statim orientur, statim regni nostri aderunt custodes. Coniungam eos adinuicem vobis inspectantibus, & reges gentium quæ desuper incolũt, ambos statuam: nec vobis potius Persarum mores. aliarum've nationum, quàm quæ omnibus cõmunis est imponam legem, iustũ semper id esse vobis quod reges statuent. Sic ille effatus est. Exercitus verò tanquam regem ab Alexandro maximum, & parentem optimum summis laudibus cœpit conclamare. Seleucus autem hæc

ipsa Stratonicæ & filio imperans, connubio adiunxit solutosq; à se in regnū dimisit. Opus profectò memorabile, & longè fortius ijs quæ in hostes gessit, meditatus. Satrapiæ quidem sub illo fuerant duæ & septuaginta, tantum ille imperij tenuit, quarum maiorem filio partem tradidit. Ipse à mari duntaxat vsque ad Euphratem regnum sibi statuit. Nouissimo demum bello circa Phrygiam quæ supra Hellespontum est, cum Lysimacho depugnans, Lysimachū acie cadentē vicit. Inde Hellespontum transgressus, & in Lysimachiam ascendens, à Ptolemæo Ceraunio cognomine, qui eū sequebatur, occisus est. Fuit autem Ceraunius ex Ptolemæo Sotere & Eurydice Antipatri filia genitus, quem Aegypti regno excedentem ob timorem patris, quòd iuniori filio regnum dare decreuisset, Seleucus filij in morem ea calamitate susceperat enutrieràtque, qui se illi interfectorem subornauit. In hunc modum igitur Seleucus perijt, cum tres supra septuaginta vixisset annos, duobus & quadraginta regno præfuisset. Non iniuria itaque in eum versus ille accommodari visus,

Europā haud quæras, Asiæ tibi tutior ora.

Lysimachia quidem Europæ pars est, ac tum primum ab Alexandri exercitu transitus in Europam factus. Ferunt & de eius obitu nōnunquam referente eo huiusmodi versus peruulga

uulgatos esse.

Argos effugiens fatali in tempore perges.

Argos cum fueris, tunc scitē mortis obibis.

Est enim Argos Peloponnensium, & Argos Amphilochium. Argos quoque in Horestia, à qua Argeadæ Macedones dicti: & qua in Ionio à Diomede errante putatur condita, & siqua alibi terra Argos dicta est, ab illo diligenter quæsita & animaduersa. Ascendente autem eo in Lysimachiam ab Hellespōto, ara quædam magna & illustris in conspectu aderat. Dum igitur intelligit aut Argonautas eam condidisse in Colchum nauigantes, aut Achiuos ad Ilion castra mouentes, & ob id aram ab incolis corrupto vocabulo Argos dici, aut propter Atridarum patriam, hac igitur dum intelligit à Ptolemæo à tergo instante occiditur. Corpus eius Philetrus Pergami præfectus combusit igni, cū illud à Ceraunio pecunia ingenti redemisset: reliquias verò Antiocho filio misit. Ille in Seleucia quæ mari imminet, sepulcro condidit. Templum prætereà exædificauit, quod Nicaterium deinceps appellatum est. Seleucum audio, cum Alexandri scutifer adhuc esset, per longū tempus equitanti peditem astitisse. Cumq́ ex labore deficeret, apprehensa equi cauda insequi perseuerasse. Casu verò extremā aciem regij teli frontem eius perstrinxisse, statimq́ cruore effuso,

Alexandrum, cùm tænia careret, diademate proprio obligasse vulnus, diadema ex cruore fædatum esse. Ob hæc Aristandrum vatem inspecto eo prædixisse ferunt, regem illum futurum quidem, verùm cum maximo labore regnaturum. Sic ille per quadraginta regnauit annos, computatis his quibus satrapes habitus est, cæterùm iugi labore. Vt septuagenarius adhuc bellum gereret, & depugnans extinctus sit. Cum Lysimachus interfectus esset, corpus humi stratum canis domesticus plurimū contendens atque decertans, ab auibus ferisq; illæsum præstitit, quoad Phorax quidam Pharsalicus inuentum humi condidit. Nōnulli tradunt Alexandrum Lysimachi filium qui ad Seleucum olim fugerat patrem veritus, quòd Agathoclem alterum eius filium interemerat, deducente cane iam tabidum corpus offendisse, ossaq; in Lysimachiam condidisse eorum templo, quod Lysimachiū appellabatur. Hunc igitur finem ambo reges sortiti sunt, cū vterq; fortissimo & excellenti corpore esset præditus, & hic quidem ad septuagesimum vixisset annum, alter verò tres amplius attigisset, & quisq; eorum in bello manu propria ad extremum vsq; pugnasset spiritum. Defuncto deinde Seleuco, qui deinceps ab illo Syriæ regnum susceperunt, hi ferè habentur. Antiochus primus, qui nouercam fertur dilexisse, & Soteris

cognom

cognomen habuit, Galatas ex Europa in Asiá transgressos expulit. Secundus Antiochus alter ex huius, & nouercæ coniugio genitus, cui etiam dei cognomen affuit, à Milesijs primum inditum, quòd Timarchum eorũ tyrannum expulisset: Verum hunc Vxor pharmaco necauit. Duas quippe habuit, Laodicem scilicet, & Berenicẽ. Ob zelum igitur & nuptias Philadelphi filiæ à Laodice occiditur, & cum eo Bernice ac eius infans: quam Vt Vlcisceretur Ptolemæus, Laodicẽ interficit, & in Syriam deducto exercitu Babyloniam inuasit, & ex ea tempestate Parthi tum primum ab ipsis defecere, Veluti iam perturbato Seleucidarum regno. Post Antiochum cognomine deum filius eius Seleucus ex Laodice genitus regnum accepit, Callinicus cognominatus, Seleuco autem ipsi filij duo affuere ætate adulti, Seleucus scilicet & Antiochus. Seleucus cum Valetudine minus prospera Vteretur, nec exercitui admodum gratus esset, ab amicis consultò per pharmacum sublatus est, cum duobus tantum regnasset annis. Antiochus Verò is est qui magnus dicebatur: de quo à principio retulimus cum Romanis bellũ gessisse, annisq́ue XXXVII. *tenuisse regnũ, de cuius etiã filijs abunde scriptũ est à nobis, Seleuco scilicet & Antiocho, qui ambo reges extiterunt. Seleucus annis duodecim exiliter*

L 3 *tamen*

tamen & infirmè regno præfuit ob paternam cladem, cum Antiochus non amplius duobus regnauisset, in quibus Artaxam Armeniorum regem cepit, & in Aegyptum contra Sextum Ptolemæum cum fratre destitutum à parentibus arma intulit. Cui circa Alexandriam exercitum habenti, Popilius à Romanis missus tabellã attulit, in qua hæc scripta inerant, Non pugnare in Ptolemæos Antiochum. Quam cum legisset ille, & ad consultandum tempus posceret, circulum Popilius virga conscripsit, inquiens. Intra hunc consule. Quo mandato stupefactus ille, statim abijt, & Veneris Elimeæ templum spoliauit, demum ex valetudine tabescens mortem obijt, filium nouennem relinquens, Antiochum videlicet cognomine Eupatrum, de quo vicissim à nobis dictum est. Dictum præterea de Demetrio, qui post eum fuit, & Romæ obses moram duxit, deinde cum clanculum aufugisset, regnum suscepit, & Soter à Syrijs secundus post Seleuci Nicatoris filium cognomen meruit. Insurrexit autem illi Alexander quidam ex Seleuco se natum ementitus, & Ptolemæus Aegypti rex ob Demetrij odium Alexandro fauens. Verùm Demetrius ob Ptolemæum regno eiectus, statim obijt. Alexandrum porrò Demetritus expulit Demetrij Soteris filius: & quia spurium genus superasset.

Nicato,

Nicator à Syrijs post Seleucum secundus appellatus est, cum & ille in Parthos post Seleucum mouisset arma. inde in captiuitatem lapsus apud Phraatem regem aliquandiu moratus est, quo tempore Rodogunem eius sororem rex connubio illi adiunxit. Verùm ad indignitatem quoque Diodotus regum seruus, Alexandrum puerum ex Alexandro notho & Ptolemæi filia genitum regno induxit. Deinde interfecto eo regnum ipse inuasit, & Triphon sua sponte cognominatus est, quem Antiochus Demetrij illius captiui frater in Rhodo ob captiuitatem persuasus adijt, ac eo interfecto paternum regnum non sine ingi labore recuperauit. Porrò in Phraatem bellum mouens, fratrem petere cœpit. Qua ex re Phraates timore percitus, Demetrium illi tradidit. Sed cum in Parthos denuo mouisset, victus semetipsum sponte occidit. Occisus est & à Cleopatra muliere Demetrius, cum in regnum reuerteretur, ob Rodogunæ nuptias zelo commota, cum ea ex causa Antiocho Demetrij fratri prius denupsisset. Erant autem illi ex Demetrio filij duo, Seleucus, & Antiochus Grypus cognomine. Ex Antiocho verò Antiochus Cyzicinus appellatus. Ex his quidem Grypum Athenas, Cyzicinum in Cyzicum alendos misit. Seleucum verò post Demetrij patris obitum, diadema sibi vendicantem sa-

gitã sustulit, siue dolum verita, quo in parentem eius vsa fuerat, siue furore quodã perosa omnes. Post Seleucum igitur Grypus rex creatus est, qui matrem sibi venenum permiscentem bibere coëgit, pœnasq; parenti suo pendere, haud absimilis profectò à matre Grypus. Insidiabatur & ipse Cyzicino, quanquam ex eadem matre esset genitus. Quod præsentiens ille, bellum fratri intulit, regnoq; dimouit. Ipse in eius locum Syrijs præfuit. At Seleucus Antiochi Grypi filius motis in patriam copijs, regnum illi abstulit. Ipse cum tyrannicus crudelißimusq; haberetur, Ciliciæ in ara Mopsi post gymnasium combustus est. Regnum deinceps suscepit Antiochus Cyzicini filius: cui cum insidiaretur Seleucus consobrinus eius, Syrij ob pietatem conseruatum putant, & ob id Eusebium nomine appellant: re autem ab amica quæ pulchritudinem eius deperibat, seruatus est. Mihi verò ad irrisionem potius hoc nomen à Syrijs videtur inditum. Lunam quippe sibi connubio adiunxisse ferunt, quæ & patri eius olim Cyzicino, deinde & Grypo patruo de nupserat. Quemadmodum igitur huiusce diuinitatis participem Tigranes è regno depulit, & filium eius ex Luna vicißim genitum, & in Asia innutritum, ob idq; Asiaticum cognominatum, Põpeius Syriæ regno priuauit, vt à nobis superius scriptum est, septem scilicet &

ducentis

ducentis à Seleuco elapsis annis. Eximo quippe Alexandrum, & Alexandri filium velut nothos, & seruum eorum Diodotum cessante adhuc Pompeio per annum duntaxat imperantem. Seleucidarum itaq; imperium per septuaginta vltra ducentos annos prouectum est. Et si Romanorum tempora ab Alexandro vsque contemplabimur, in his septuaginta & ducentis annis quatuor & decem Tigranis computabimus. Hæc igitur de Macedonibus qui in Syria regnarunt, veluti in aliena à nobis historia præscripsimus.

✶

Historiæ conclusio in Pompeium. Et sic historiam omnem Syriæ intuemur ab Antiocho magno vsque ad Romanorum victoriam, deinde ab Alexandro superius reuertendo vsque in Antiochum ipsum, postremò ab Antiocho in Pompeium magnum.

FINIS.

APPIANI ALEXANDRINI SOPHISTAE LIBER

PARTHICVS.

POST *Pompeium, & deinceps ab eo quos in Syria magistratum gessisse diximus, Gabinius prætor qui eam prouinciam regeret, emissus est. Is cum in Arabes deduceret, Mithridates Parthorũ rex ab Orode fratre imperio eiectus, ex Arabia ad Parthos ire persuasit. Ptolemæus autẽ Vndecimus Aegypti rex, & ipse regno pariter expulsus, multis pecunijs hortatus est, Vt à Parthis in Alexãdrinos se cõuerteret. Ptolemæũ igitur Gabinius in regnũ restituit, illato Alexandrinis bello. Sed is Romanorũ sentẽtia dãnatus, aufugit, quòd absq; Senatus decreto Aegyptum inuasisset, bello apud ipsos nefasto ex Sibyllinis monitis. Post Gabiniũ Syriæ Crassus præfuit. Quo pugnante in Parthos, ingens clades accepta est. Lucio deinde Bibulo post Crassum tenente Syriam, Parthi in eã mouere bellũ. Saxa porrò post Bibulũ regente, Vsq; ad*

Ioniam

Ioniã Parthi peruenere, Romanis inter se dissidentibus ciuili bello, vt à nobis superius dictum est: operæpretium tamen nihil peregere, vt latrocinijs potius quàm bello functi videantur. Sed hæc posterius gesta. Crassi autem casus ac calamitas, Parthorum animos ad summum extulit, qui deinde sub Antonio repressi sunt. Quemadmodum verò id bellum cœptum sit à Crasso, paulò altius videtur repetendum. Aderat forte comitiorum dies statuto tempore, aspirabantq́ permaximè ad consulatum in vnum concordes Caius Cæsar, Pompeius magnus, & Crassus prænomine Marcus, qui nonnullos ipsis aduersantes, Ciceronem scilicet ac Catonem repellentes, per vim magistratu potiti sunt, partitiq́ inter se prouincias, Cæsari in aliud quinquennium Galliam prius habitam ab illo confirmarunt, sibi ipsis porrò Pompeius & Crassus Syriam Iberiamq́ sortiuntur, ex quibus Syria Crasso, Iberia Pompeio obuenit: quæ sors omnibus ferè fuit acceptissima. Multi nempe Pompeium haud longe ab vrbe esse cupiebant, & ipse vxoris amore diutius in ea moram agitabat. Crassus accepta sorte vltra modũ lætus, nullam sibi præsenti fortunam splendidiorem obuenire posse ratus est, adeo vt vix quietem ageret. Cum amicis enim vana quædam ac ferè puerilia præter ætatem ex natura loqui solitus, cum minimè continens & seuerus haberetur.

retur, tunc admodum elatus, & veluti solutus omni lege, non Syriam, non Parthos felicitatis suæ fines apponere contentus, quæ Lucullus in Tigranem, Pompeius in Mithridatem egisse dicerentur, veluti ludum quendam præ se ferens, ad Bactros usque & Indos & maris terminos inani spe seipsum efferebat. Sed cum ex huiusmodi lege bellum in Parthos nullum traderetur, nemini ambiguum erat Crassum voto suo decidisse. Scripsit autem illi Cæsar è Gallia belli impetum collaudans & exacuens. Itaque cum Ateius tribunus ingressu illi obstare cuperet, multiq; præterea in unum conuenissent, succensentes ac querentes quòd in homines nihil mali meritos, fœdere etiam coniunctos populo Romano, bellũ iniretur, veritus Crassus, Pompeium rogare cœpit ut illi adesset, unaq; auxilium afferret. Erat quippe Pompeio apud populum summa authoritas. Quamobrem cum plures in unum venisse cerneret, illique obsistere paratos vicißim acclamare, in medium progressus, hilaritate vultus atque audacia eorum impetum motúmque compescuit. Subsecuto deinde silentio, cum per ipsós progredi tentaret, Ateius aduersum factus primùm quidem voce cohibuit, & ne egrederetur testatus est, deinde ad lictorem conuersus, ut corpore apprehensum detineat, edicit. Cæteris tribunis id ipsum prohibẽtibus, lictor Crassum emisit.

sit. Tum verò accurrẽs Ateius, sudem igne torrentem antepo suit ianuæ. Obueniente illi Crasso, delibatis auidè sacris, execrationes diras extulit & horrendas, sæua quædam numina & immania inuocans, atque in eos impreca- tus. Has quidem execrationes Romani condi solitas & antiquas, profitentur talem quoque habere potestatem, vt nemini fas sit qui in eas inciderit, effugere, pessimè præterea ope- rari his vtentem si non à conuenientibus his, aut à multis excitentur. qua ex causa Ate- ium plerique reprehendebant. qui vt vrbem in Crassum iritaret, in execrationes impias & superstitionem tam ingentem eam coniecisset. Crassus verò cum Brundusium venisset, non- dum quieto & tranquillo mari classem soluit. Pluribus igitur amissis nauibus vi tempesta- tis, reliquis assumptis copijs per Galatiam ter- restri itinere profectus est. Ibi cum Deiota- rum offendisset regem iam admodum senem nouam condentem vrbem, cauillo in eum vsus, ô rex, inquit, duodecim horarum domum in- cipis? Cui subridens Deiotarus. sed nec tu imperator, inquit, tempestiue admodum in Parthos bellum moues. Erat enim sexagena- rius iam Crassus, aut paulo minus ætatis ha- bens, aspectu tamen senior quàm ætate. Ve- nientem autem ipsum primum quidẽ res haud eius sese indigna suscepere. nam & Euphratem

pon

ponte facilè coniunxit, & exercitum traduxit incolumem. ac vrbes plures in Mesopotamia vltro se dedentes accepit. Vnam verò in qua Apollonius tyrannus præsidebat, cum milites centum in pugna perdidisset, vi tandem captam diripuit hostiliter, & rebus ademptis corpora subiecit hastæ. Hanc vrbem Zenodotiam Græci appellant. Qua capta passus se imperatorem dici ab exercitu, haud mediocrem contraxit infamiã, vilisq́ue ab omnibus haberi cæpit, quasi maiora desperaret, qui rem minimã tanti faceret. Impositis deinde præsidijs ijs vrbibus quas ceperat, vsque ad numerum septem millium peditum, equitum mille, cum reliquis copijs Syriam in hyberna concessit. Ibi suscepto filio, quem Cæsar è Gallia multis insignibus ornatum, & equitibus mille electis stipatum miserat, in hoc primum errasse in re bellica visus est, & prioribus longe maius peccatum edidisse, quòd cum Babyloniam ac Seleuciam suscipere opus esset, vrbes Parthis continuo infensas, tempus hostibus se præparandi visus est præstitisse. Quippe in Syria moram ducens, cum pecuniariæ magis quàm rei militari nauaret operam, non armorum ordines supplere studens, non milites contentionibus bellicis instruere, sed redditus duntaxat vrbium excogitans, & pecunias per plures dies in Hierapolichea lancibus expendens & trutinis popu-

lis

lis praterea ac dynastis militum rationes per epistolas imponens, & afferentibus argentum acerbius ac aequum erat verbis insultans, tandem contemni & pro nihilo haberi capit. Signa vero futura cladis huiusmodi fuisse constat. Primum quidem ab ipsa dea, hanc quippe nonnulli Venerem alij Iunonem (quidam originem ac semina vniuersis ex humiditate tribuentem causam & naturam nominant) cum ex eius templo egrederetur, primus in ipso limine prolapsus est Crassus iunior, deinde supra ipsum Crassus pater. Cum ex hybernis copias educeret, legati ab Arsace ad eum veniunt, breuem quendam sermonem afferentes. Ita enim dixere. Si quidem à Romanis exercitus in eos mitteretur, bellum contra fœdus esse ac nefandum. Sin inuita patria, vt acceperant, ob propriam vtilitatem arma Parthis inferret, regionem occuparet, æqua Arsacem dicere & Crassi senectutis misereri, derelinquere Romanis viros in custodia magis positos quàm custodientes. Ad hæc obstrepente Crasso, & responsum in Seleucia daturum pollicente, vnus ex legatis senior Vagises nomine, volam manus supinè proferens, In hac, inquit, crines potius nascentur ô Crasse, quàm tu Seleuciam videas. Hac autem ita intellexisse visus est, vt Orodem regem prius debellandum esse diceret. Ex vrbibus autem quas in Mesopotamia præsi-

dijs

diŷs Romani munierant, repente nonnulli discedẽtes, mira quadam & solicitudine digna referebant. Vltro enim territi multitudine hostium ac bellorum quæ pro Vrbibus olim pertulissent, Vt amicis mos est, omnia in maius extollentes, ineuitabiles hos esse insequentes fatebantur, insuperabiles Verò cum fuga raperentur: sagittas oculorum aciem pennis anteuertere, ac prius quàm emittentem cernere fas esset, percusso insurgere. Ex ŷs qui armis munirentur, partim hostibus occurrere, partim nemini insurgenti cedere. Quæ omnia audientes milites ferè conciderant animo, satis persuasi nihil Armeniŷs & Cappadocibus differre Parthos, quos oppugnans Lucullus & persequens, demum reliquisset. Grauißimam præterea belli partem, iter longum arbitrati, hominumq́ insecutionẽ nunquàm inter manus Vẽturorum, prælia periculaq́ præter spem futura formidabant. Cum autem sacrificia quædam instanter eum facere oportere, iterumq́ ex sententia omnia proponere putarent, tacitò prodidere Vates signa continuè peßima, & in sacris condita apparuisse Crasso. Sed neque his mentem addidit, neque aliŷs quibusuis nisi festinare suadẽtibus. Non minus quoq́ illum Artabaxes Armeniorum rex ad bellum excitasse creditur. Venit enim in exercitu ad eum equitum sex millia, qui custodes ac præcursores regis feréban

rebantur adducens: alios quoq; vsq; ad x. millium numerum cataphractorum & tria peditum millia domesticorum pollicitus adducere: Crassumq; adhortatus est, vt per Armeniam in Parthos transferret exercitū: non solum non per vberrima loca copias deducturum esse ipso assistente, verum tutò incessurum per montes & colles inuicem coniunctos, loca admodū difficilia adducētibus equos in quibus omnis Parthorum vis sita esset. Ille promptitudinem eius & militum ornatum collaudauit, iter per Mesopotamiam facturum se esse dixit, quo in loco multos ac præcipuos Romanorum reliquisset ciues. Armenius itaque ad ea se conuertit. Crasso igitur exercitum per pontem traducenti, multa præter solitum emicuere fulgura, plurimumq; ex aduerso militibus intonuit vētus, præterea nebulis coruscationibusq; permistus classes anchoris annexas adeò concussit, vt plerasque ex ijs denuo submergeret. Duplici quoq; ictu fulgurum tactus est è cœlo locus in quem castra esset habiturus. Equus prætorius quoque & eximiè ornatus vi distracto auriga ad riuum & ipse immersus subitò videri desijt. Ferunt & aquilam quæ prius sublata esset, à casu conuersam decidisse. Ad hæc porrò euenere post iter cum necessaria fortè militibus apponerentur, primum lentes & offas esse allatas, quæ lugubria Romani existimant, &

M in

in funeralibus apponi solita. Ipsi etiam Crasso ad milites concionanti vox excidit quæ haud parum turbaret exercitum. Dixit enim se ideo pontem soluere, vt nemo ex ipsis posset retrouerti. Deinde errore cognito, tristitiam verbi assumere & explicare ad eos qui in sinistrum id acceperant, ob insolentiam neglexit. Postremo cum solito more lustraret exercitum, & mactatis hostijs augur exta illi porrexisset, decidere è manibus. Qua in re cum præsentes subtristari cerneret, risu edito, huiusmodi, inquit, senectus est: sed nec armorum vlla è manibus effugient nostris. Hisque peractis, copias trans flumen mouit septem armatorum legiones ducens, equitum paulò minus quatuor millia, leuis præterea armaturæ equitibus parem numerum. Præcursorum igitur nonnulli explorare iussi, ad eum rediere, nunciantes viris quidem vacuam esse regionem, plura tamen equorum notasse vestigia veluti conuersione retrocedentium. Ob quæ Crassus spe elatus est: militibus quoque Parthos despicere contigit, quasi ad manus veritos accedere. Subinde autem Cassius, & qui cum eo militabant, Crassum hortabantur, vt in aliqua vrbium ex ijs quas munierat, copias reduceret, quousque hostium motus certius audiretur. Sin id recusaret, ad Seleuciam versus fluuium ductaret exercitum: facilitatem quippe

pe

pe itineris rei frumentariæ præbere copiam, & ad salubritatem exercitus conferre: inuicem custodiam illis, ne circunueniri possent, præstante fluuio, hostibus ex aduerso insuetis conferre manum. Hæc igitur Crasso voluente animo, & adhuc consulente, primarius quidam Arabum nomine Abarus, vir simulator ac perfidus, ad eum venit, qui omnium deinceps calamitatum quas sors fœda illis attulit præcipua causa videtur extitisse. Hunc nonnulli ex his qui cum Pompeio militauerãt, familiarem sibi, & nominis Romani haud inimicum extitisse nouerant, qui tunc Crasso ex sententia quorundam regis præfectorum se subiecerat, vt eum longe à fluuio & montium itineribus auersum, inter vasta camporum spatia quoquo pacto adduceret, omnia etenim prius experiri, quàm iusta cum Romanis acie certare parati erant. Is igitur ad Crassum profectus (erat enim eloquio adsuadẽdum potens) Pompeium vt benefactorem in primis summis laudibus cœpit efferre. Crassum verò tanta potentia præditum, perbeatum appellans, ineptè moram ducere questus est, cunctantem, ac se præparantem, quasi illi armis, ac non potius manibus & pedibus velocissimis opus esset contra homines qui iampridem preciosiora suarum rerum rapientes, ad Scythas & Hyrcanos transferre cuperent, & si pugnaturi

sint, inquit, accelerandum est tamen prius quàm omnem in vnum adhortante rege conferant potentiam. Nam nunc quidem Surena ad Sillaces defertur super ipsos aggreßionem suscepturus. Id quippe nemini notum est. Hæc autem conficta erant omnia. In duas etenim partes potentiam suam diuidens Orodes, ipse Armeniam ingressus populabatur Artabaxum. Surenam verò aduersus Romanos miserat, non ea vsus prudentia quam multi prodidere: non enim credibile erat Crassum primarium Romanorum virum contemnentem Artabaxo potius insurrexisse, & Armeniorum villas belli sorte sibi eligere. Cæterùm hoc mihi vero similius videtur esse, periculo deterritum se in tuto posuisse & futuram sortem opperientem, Surenam aduersum delegisse hostibus, an aliter eos circunuenire posset, meditantem: non enim ex plebe Surena fuerat, verùm genere, diuitijs, & gloria regi secundus, fortitudine verò & robore inter Parthos ætate sua ferè primus. Ad hæc magnitudine & forma corporis nulli cedens, continuè à se ipso qui onera deferrent mille camelos solitus adducere, ducentos præterea pellicum currus, equos cataphractos mille, quos plerique leuiorum præcedebant. Summa equorum omnium clientibus & seruis additis, decem millium æquabat numerum. Huic à principio ob generis

ris

ris nobilitatem id decus additum, vt primus Parthorum regi diadema apponeret. Orodem igitur hic primus in Parthos deducentem iuuit auxilio, & Seleuciam vrbem magnam prior ipse murum supergressus cepit, aduersantes propria detrudens manu, cum nondum trigesimum ætatis attigisset annum, consilij & ingenij non mediocrem adeptus gloriam. Quibus ex rebus cum Crassum multi faceret ob audaciam, & ingenij specimen, primarium Romanorum virum ita ex timore & dolis rerum fortuitarum iam propinquum obseruabat. Abarus igitur cum, Crassum suasionibus à fluuio auertisset, inter media camporum spatia deduxit, nullis consita arboribus, & inaquosa, & quæ circunquaque proficiscentibus nullum præberent itineris finem, vt non sitim duntaxat, & itineris difficultatem, verùm gradientium oculis vastitatem & desolationem anteferrent, non arborem aspicientibus, non riuum, non montis ascensum non germinantem herbam, sed profunditas quadam & terrarum fluxus turpis desertusq; circunstaret exercitum. His ex causis dolus iam suspectus esse cœperat. Postea verò cum ab Artabaxo Armenio nuncij aduenissent, qui regem ingenti prælio distineri dicerent, Orode in illum irruente, auxilium Crasso mittere non posse: suadere vt ad eum se conuerteret, vt vnà

cum Armenijs in Orodem bellum gereret. Sin autem id negligeret, proficisci continuè, & castrametari, equis peruia euitantem loca, & colles eligentem. Crassus ob iram nihil scribere dignatus, hoc solum verbis respondit, Armeniam ne nunc quidem quietem agere. Cæterùm cum ad eum rediisset, Artabaxum proditionis pœnas daturum esse. Quibus verbis subiratus Cassius, & qui cum illo erant, Crassum in legatos sæuientem, admonitionibus lenire, priuatim verò Abaro insurgentes dicere. Quæ te sors infelix ad nos detulit mortalium pessime? quibus pharmacis, ac veneficijs Crassum impulisti in solitudinem tam vastam ac profundam dispergentem copias, viam ingredi Numidis latronibus potius quàm Romano duci congruẽtem? Ad quæ Abarus vir fallax ac varius se subijciens, eos hortabatur, suadebátq; permodicum pati, ac tolerare: deinde ad milites decurrens, ac nonuunquam auxilio assistens, risu adoriebatur & salibus, Vos per Campaniam iter facere fortasse creditis, fontes, & flumina, vmbrasq; nemorum, necnõ balnea & hospitia assueti petere? non recordamini inter Arabum & Assyriorum fines proficisci? Sic Abarus Romanos pædagogi in morẽ corrigebat, cùm cæteris prius quã eius proditio innotesceret, adequitans, non latuit tamen Crassum. Cæterùm hoc illi persuadebat, quod plura faceret,

vt

vt terrorem incuteret hostibus. Ferunt die illa Crassum non vt Romanis imperatoribus mos fuit purpurea ornatum veste, sed nigra indutum processisse: eamq́; cum animaduertisset, immutasse. Ex signis etiam nonnulla veluti infixa, vix magno labore ab efferentibus trahi potuisse. Qua ex causa irridens Crassus agmen properare iussit phalangémque equitatus pariter accedere, quoad nonnulli speculatum missi, alios ab hostibus interfectos esse, se ipsos vix eorum manus effugisse dicerent, aduentare illico eos in pugnam paratos ingenti multitudine audaciáque confisos. Quo nuncio commoti omnes, ipse etiam Crassus vehementer cœpit trepidare. Summa igitur festinatione, nec admodum constanter milites in aciem eduxit. Et primùm quidem, vt Cassio visum est, phalangem leuius armatam in medium extendens, ne circumueniri ab hostibus posset, equitibus cornua firmauit, deinde immutato consilio in vnum reducens, duplici munimento connexuit, & quadrata profundáq; multitudine stipatā in XII. acies disposuit, quæ singulæ latera attingerent: iuxta aciem verò turmam equitum locauit, sic vt nulla earum auxilio equitū careret, sed ab omni latere eodem munimento contectæ essent. Ex cornibus alterum Cassio, alterum Crasso iuniori dedit, ipse in medio constitit. Eoq; modo exercitum deducens, ad riuum peruenit quē

Balissus dicitur, haudquaquam vberibus fluentem aquis, gratum tamen militibus in tanta soli siccitate & ardore iuxta aliam difficilem aquisq; carentem itinerationem. Præfectorum igitur plurimis eo in loco manendum videbatur sustinendumq; per noctem, & quoad potis esset, hostium ordines multitudinémque dignoscendam, demum cum illucesceret, in eos ducendum. Interim Crasso iuniori, & equitibus qui cum illo erant, edictum vt iter agerent seque ad pugnam præpararent: qua ex re elatus ille, in ordine adhuc stantes, si qui indigerent, cibum capere, ac prius quàm ab omnibus abunde sumptus esset, aciem progredi iussit, non pedetentim, nec vt ad pugnam quiete mouens, verùm cita itineratione continuáque deducens, quoad hostes præter eorum opinionem apparuere, non plurimi quidem, nec admodum elati, reliquam enim multitudinem præcedentibus Surena submiserat, & splendorem contegens armorum, vestes & paludamenta illis iusserat adiicere. Cùm appropinquassent, & signum à duce datum esset, primùm quidem strepitu graui & horrendo campum circum intonuere omnem. Parthi etenim non cornibus aut tubis pugnæ signum dare consueuerunt, verùm lances corio affixo concauas, & clauis extenso æreis simul ab omni parte verberant, quæ horrendum & profundum

quid

quiddam resonantes, fremitu ferino & subito tonitrus mixtam referunt similitudinem. optime considerantes quoniam ex omnibus sensibus auditus permaxime conturbat animam, & circa eam passiones excitat & in primis omnium terret intellectum. Turbatis itaque Romanis incpino sonitu, statim quidem operimenta iacientes, galeis splendidis & clypeis lucente ferro coruscantibus induti prodiere, equis insidentes ex ære ferróque vicissim contectis armis. Præcipuus tamen inter omnes Surena & pulcherrimus aderat, & ipse quidem virtutis fama mollitie decoris haud similis, verùm modico instructus apparatu vultum comásque lorica distinxerat: inter Parthos longe insignis atque formidandus. Primùm igitur eos qui in fronte constiterant telis incessere, ac vi propellere conati sunt. At cum acierum firmitatem, armorum connexionem, virorũ prætereа constantiam experti essent, retrocessere, & segregari hincinde visi vnáque acierum ordines dissolue re, circulo quodam quadratam aciem in vnũ collegere. Crasso autem velitibus vt excurrerẽt imperante, non multum quidem illi processere, cæterùm sagittarum multitudine oppressi, iterum ad suos reuersi sunt: quæ res turbationis principium & terrorem attulit, sagittarum violentiam & stridorem intuẽtibus, quæ arma dilacerantes, æque mollia & dura penetra-

bant. Parthi vero eminus distantes sagittas undequaque emittere cœperunt, non distincte quidem iacientes, cum Romani densitate coniunctam tenerent aciem, sic ut etiam volentes frustra sagittam emittere non possent, crebra vulnera recto ictu inferentibus telis vi adactis flexura neruorum ab arcubus firmitate magnitudineq; præstantibus. Erat igitur iam clades aperta Romanorum: ordinem quippe seruãtes, undique sagittarum sauciabantur incursibus: cedentes tantundem à periculo aberant: fugiebant enim simul iacientes Parthi: quod apud Scythas fortißimum habetur: eos nanq; sapientißimos iudicant, qui æque auxilio alijs adesse, & se tutari nouerint, fugaq́; turpitudinem hoc consilio adimere. Romani vero quoad eos effusis sagittis ad prælium accedere, & manũ unà collaturos credidere, patienter eorum insultum perpeßi sunt. Cum autem sagittarum ingẽtem vim à camelis allatam fuisse cognouißẽt, quibus primi depugnantes denuò uterentur, animis collapsi, spem omnem abiecere, nec minus Crassus ipse commotus est. Nuncios igitur ad filium præmisit, scrutarique iußit, si quo pacto hostibus se immiscens, prius quàm ab illis circunueniretur, aduersos propellere posset: nam ipsi potißimum instabant: iam enim cornu eius adequitabant veluti à tergo inhæsuri. Assumens itaque iuuenis equites mille, ac trecẽtos

ex,

ex quibus mille à Cæsare adduxerat, sextigerulorum etiam qui proximi aderant, turmas octo ad impetum misit, quos Parthi nonnunquam euitantes, aliquãdo telis incessentes, & vt quidam referunt, quò Crassum longe ab exercitu per astum interciperent, nunc retrocedentes, nunc cõuersi sequebantur, quoad exclamans Crassus, nõ expectant hi nos viri, insequi perseuerauit, & cum eo Censorinus & Megabachus, & hic quidem magnitudine animi & fortitudine longe prior, & Censorinus amplius senatoriam nactus dignitatem, & eloquio potens, ambo Crasso amici, & iusdem ferè ætatis. Insequentibus deinde duntaxat equitibus promptitudo omnis & hilaritas speratæ occasionis ablata est: vicisse etenim se existimantes, & hostes persequi, cum longius progressi essent, se dolo circunuentos cognouere, conuertentibus se ijs quos fugere putabant, & pluribus alijs insurgentibus. Hoc in loco aliquantulum morati hostes numero inferiores ad manus tandem venturos crediderunt. At illi cataphractis aduersum Romanos positis, reliquos equites nullo ordine emissos circunfundunt, qui campum omnem quatientes, arenarum cumulos è profundo eruerent, puluerésque in immensum excitarent. Qua clade circunuenti, neque facile prospicere, neque loqui Romani poterant, sed in arctum deuoluti, inter se vicissim

corrueb

corruebant, non tela iacere, aut subita intercipi morte, cuiquam fas erat. Caterùm spasmo & dolore circunsepti vndique à sagittis carpebantur, quas cum vi educere tentarent. & mucrones barbulásque è venis neruisque diuellere, seipsos affligentes, membra vndique traiecta lacerabant. In hunc modum intereuntibus plurimis viuentes quoque nihil agere aut moliri poterant. Hortante igitur Publio vt cataphractos adorirentur, manus clypeis infixas, pedes à sagittis humi detentos ostenderunt, neque se pralio, neque fuga amplius idoneos esse dixerunt. Ipse igitur ad equites aduolans, audacter quidē in hostes deduxit, séque illis immiscuit: verùm impar certamen erat, cùm aque ferire ac pracauere opus esset: nam cū debilibus quibusdam & paruis telis thoraces corio & ferro solidas inuaderent, ex aduerso contis robusta Gallorum corpora & nuda petebantur, qua res maxime eos extulit: opera tamen rei militaris inclyta edidere: nam cum telis eos vulnerassent, inuicem complexi, viros ab equis propellebant, armorum grauitate haud facile se sustinentes. Plurimi praterea eorum equis derelictis hostium subibant equos, eósque infra ventrem vulnerabant. At hi dolore conciti, & vnà patientes, eodem momento assensores & hostes inuicem sanguine madentes opprimebant. Afflixit autem vel maxime Gallos calor

&

& sitis vtriusque insuetos. Equos porrò plurimi amiserant hostilibus consumptos telis: vi itaque ad armatos reuerti properarunt, Publium iam vulneribus cōfectum intuentes. Cū igitur semitam colli proximam viderent ad eā accurrerunt, equisq́; in medium redactis clypeis ab extra eos contegentes facile barbaros repellere putarunt: quod ex aduerso illis contigit. In ordinibus quippe qui posteriores sunt, ab antecedentibus contegi solent. In hoc autem alijs supra alios sine ordine locum occupátibus, & continuè eos qui posterius resident detegentibus, nullus ferè modus fugæ aderat Caterùm vno impetu ad ima pellebatur, tam ingloriam & inertem deplorantes necem. Erant forte cū Publio viri duo è Græcis ibidem, qui Carras habitabant, Hieronymus & Nicomachus: hi illum adhortari cœpere, vt vnà cum ipsis ad Ichnas fugerent vrbem Romano populo obsequentem: quibus cum respondisset ille, nullam tam acerbam esse mortem quæ Publium deterrere posset, vt eos linqueret qui pro se in bello cecidissent, salutem sibi quærere adhortatus est, complexúsque à se dimisit: deinde cum manu vti non posset sagitta saucius, scutiferum vt se gladio conficeret admonuit, vltroque illi latus obtulit. Eodem modo Censorinum decessisse memorant. Megabachus seipsum gladio peremit: quod genus mortis ab illustrioribus seruatum est.

est. Cæteros adhuc superstites Parthi inuadentes telis oppressere: viuos non amplius quingentos captos fuisse memorant: capita Publij & qui cum illo fuerant, abscissa, statim ad Crassum delata sunt. In hunc enim modum res processerat. Cum filium in Parthos insurgere mandasset, quidam ad eum venit nuncians ingentem conuersionem, asperamq; insecutionem in hostes fieri captam. Videns igitur perpaucos ex ijs qui adesse consueuerant (plurimi quippe effluxerant) aliquantulum gauisus est, suósque in vnum congregans exercitum ad opposita loca ire iussit, filium iam inde ab insecutione rediturum autumans. Qui autem à Publio præmissi erant vt nunciarent eum in periculo consistere, in hostes delapsi primi interiere: qui verò posterius vix effugerant, Publium iam cedere affirmabant ni magno ac repentino auxilio illi assisteret. Crassum igitur plurima aduersa distinebant. Nihil enim ex ijs quæ acta fuerant, ratione complecti poterat, timore verò ad omnia & filij ductus charitate, vtrum auxilium afferret aut non afferret, dubitabat. Tandem potentiam omnem inferre statuit. Inter hæc Parthi aduentabant clamore & exultatione longe priore bello formidabiliores, ac plurima denuò tympana Romanis obstrepebant, alterius prælij initium adesse ratis. Illi autem Publij caput afferentes pilo infixum, & propius

pius instantes, conuitijs Crassum genusq́ parentum insectati sunt: non enim decuit, aiebant, Crassum patrem inuirilem & pessimũ, filium adeò generosum & splendidum Virtutis spectaculũ obijcere Romanis. Super alia autem dira & horrenda, eorum animos vel maxime infregit non impetus ad vindictam pronus, vt par erat, verùm terror ac trepidatio, passim diffusa in omnes: & quidem Crassum in hac calamitate se ipso fortiorem fama est exhibuisse. Clamore etenim circumiens acies, Ad me vnum hæc clades pertinet, ô Romani, aiebat. Cæterùm maior gloria virtutisq́ felicitas in vobis sita est, si vos incolumes inuictósque præstabitis: & si mihi sors inuida filium cunctorum optimum eripuit, hoc saltem ira ostendite in hostes, lætitiam illis adimite, crudelitatem digna pœna vindicate, nec pro ijs quæ nobis euenerunt, animos velitis abijcere. Necesse est nonnunquam eos pati, qui magna adoriuntur: nec Lucullus quidem Tigranem sine suorum sanguine deuicit, neque Scipio Antiochum: millenates prisci illi nostri circa Siciliam amisere. In Italia imperatores atque duces plures, quorum nullus ante victus, cæteros ne victoria vterentur in hostes, vetuit. Non enim prosperitate Romani sed patientia & virtute ad aspera quaq; tendentes, tantum potestatis & gloriæ sibi peperere. Hæc cùm diceret & adhortaret

taretur Crassus, perpaucos aures adhibentes animaduertit quinimo eos exclamare iubens, facile totius exercitus mœstitiam aperuit, debilem admodum & inordinatam vocem emittentis. Contrà barbarorum audacia & exultatio vndique eminebat. Prosequentes igitur inceptū opus serui quidem & scutigeri ex transuerso sagittas emittebant: qui verò inter primos locati erant contis depugnantes Romanos paruo quodam inclusere spatio, nisi si quos mortem fugientes mira audacia in hostes impulit, parua quædam ausos, ac subito sagittarum magnitudine acerbitateque consumptos, quæ cum telum ferro adiicerent equos nonnunquam interdum binos homines transuerberabant. Eo modo depugnantes, cùm nox instaret, intermisere prælium, noctem vnam Crasso elargiri profitentes, vt filium deflere liceat. Nihil enim melius sperari poterat in re sua consulente si ad Arsacem graderetur, vel ad illum prius adduci mallet. Parthi propius castrametantes in maxima spe versabantur, nox permolesta Romanis aderat non defunctorum sepulcra, nō sauciorum & pene intereuntium curam meditantibus, sed singulis se deflentibus: ineuitabilis quippe dies videbatur per noctem operantibus, & inter auia desertaq; camporum spatia relictis. Vulnerati præterea ingētem desperationem afferebant, impedimentum non modicum

dicum celeritati præstaturi si ducerentur. Sin linquerentur, voce fugam prodituri, Crassum verò quanquã malorum omnium causam & originẽ esse scirent, alloqui tamen ac videre magnopere optabant. At ille à cæteris diuisus in tenebris latebat fortuna plurimis, sapientibus verò temeritatis & ambitionis futurus exemplar: qui cũ primus & maximus inter tot virorum millia haberi posset, quòd duobus duntaxat inferiorem se putaret, omnium egenus sibi videbatur, Tũ igitur Octauius legatus & Cassius eum adhortari & excitare conati sunt. Recusante eo, & animo ferè concidente, ipsimet duces ad prætores in vnum conuocant. Cum excedere visum esset consulentibus, verũ sine tuba per silentium agmẽ agere, omniũ statim qui se linqui existimabant, ac id præsenserant, tumultus ingens ac confusio fletu mixta exoritur. Clamor quoq; vniuersum tenuit exercitũ. Qua ex re trepidatio & pauor abeuntes cepit, quasi subito eos hostes essent inuasuri. Itaq; plerumq; in ordines redacti, saucios, qui eos sequebantur, partim suscipientes, partim repellẽtes, moram facere coacti, trecentis equitibus exceptis, qui Gnatio duce circa mediã ferè noctem Carras peruenerũt. Allocutus igitur Gnatius mœniũ custodes Romano sermone, Coponium admonere iubet, ingentem pugnam a Crasso cum Parthis gestam esse, nihilq; vlterius elo-

N cutus,

cutus, nec ipse quis esset referens, equites per pontem intulit, & qui cũ eo erant saluos præstitit. Nonnullis igitur conuitijs agitatus est, quòd ducem reliquisset. Nam eius vox ad Coponium delata, vtilis Crasso fuit. Quippe hæc animo volutans Coponius cum nihil boni annuntiare cum ex subito sermone cõfusoq́; perciperet, statim milites arma capessere iussit, et Crassum nondum venire audiẽs, obuiã illi prodijt, eumq́; cum exercitu intra vrbem recepit. Parthi igitur ea nocte, quãquam Romanorum motum fugamq́; sensissent, neutiquã insecuti sunt. Statim verò orta luce, eos qui ab exercitu relicti fuerãt, non plures quatuor millibus, aggressi ad vnum interficiunt. plerosq́; etiam per agros palantes, ipsi in equis discurrẽtes capiũt. Quatuor præterea cohortes quas nocte Barguntius legatus deducebat, cum à via aberrasset, in arctis deprehensas, & se inuicem tutantes confecerunt X X. *duntaxat hominibus exceptis, qui nudis ensibus per medium eorum transeuntes, non sine omnium admiratione ad Carras peruenerunt. Interim ad Surenã falsus rumor delatus est effugisse Crassum, reliquosq́; cũ eo captiuos: qui autẽ in Carris restitissent, turbam immixtam, hominesq́; haud multi faciendos esse. Arbitratus igitur se totius victoriæ finem perdidisse, & adhuc animo dubius, & an veræ essent scire cupiens, vt quæ ad vr-*

bem

bem delatus vel Crassum obsideret, vel abeuntem sequeretur, ad Carrinos quendam ex suis premittit interpretem, iubens sub mœnibus Romano sermone Crassum poscere, aut Cassiũ, ac dicere, libenter Surenam in colloquiũ cum illis esse. Hæc referente interprete, cum Crasso nuntiatum esset, postulationi eius assensus est: ac paulò pòst venere à Barbaris Arabes quidam, qui Crassum ac Cassium optime ab effectu noscerent, in exercitu ante pugnã visos. Hi Cassium è muro intuentes, Surenã fœdus cum eis inire velle dixerunt, concessurumq́; si regi amici esse vellent, & Mesopotamiã linquere, vt salui abire possent. Hæc cum vtilia Cassio in extrema necessitate visa essent, conditionemq́; susciperet, locum autem & tempus diffiniri posceret quibus in vnum conuenirent, id se facturos polliciti sunt. Gauisus igitur Surena in hac eos obsidione detinere posse, orta luce Parthos impulit, qui multa aduersum cõminantes eos admonerent si fœdus cũ ipsis inire Romani vellent, Crassum traderent ac Cassium. Ad quæ, cum se deceptos quererẽtur, longas & inutiles Arabum spes Crassum vt omitteret hortari, salutemq́; sibi fuga quæreret contendunt. Idq́; Carrinis nullo pacto dicendum monent. Suadebat id omniũ infidelissimus Crasso Andromachus, seq́; itineris ducem profitebatur: quod nemini Parthorum clàm fuit, eodem ad

 singul

singulos cuncta deferente. Cum igitur Parthis consuetudo haud adesset belli noctu gerendi, Crassus verò eo tempore esset abiturus, ne longa insecutione hostes retardaret. militari astutia eos distinebat, nam alia alijs implicabat itinera, tandē verò in syluam delatus amplißimam, loca foßis vndiq; impedita quæ non sine iugi labore hincinde sequētes morarentur, circumibat. Qua ex re nihil sanum fidumvé moliri Andromachum plerique intuentes, sequi recusarunt. inter quos & Caßius denuo ad Carras redire instituit. Suadentibus illi Arabibus vt maneret quoad luna scorpionem pertransisset, ego inquit, sagittariū magis timeo. Profectus itaq; in Syriam quingentis stipatus equitibus fido duce ad iter vsus, montana itinera secutus, quæ Sinnaca appellantur, exorta nondum luce cum quinq; millibus in tutum est delatus. Ducebat autē illos vir optimus Octauius. Crassum verò sub Andromacho per inuia saltusq; palantem illustris dies attigit. Erant cum eo scutigerorum cohortes quatuor, equites perpauci, lictores numero quinq;, cum quibus magno labore vix tandem in semitam redactus: incumbentibus iam hostibus, cū non longius duodecim stadijs Octauio abesset, ad alium collem fuga peruenit, non equitabilem adeò, aut munitum, adiacentem verò reliquis conuallibus, & longo pendentem iugo, campis

in

in medio patentibus. Itaq; ab ijs qui Octauiũ secuti erant, facile eius periculum spectari poterat. Primus igitur Octauius cum paucis deinde sequentibus cæteris in hostes ferebatur. quibus à colle depulsis Crassum in medio eorũ recepere. clypeos quippe obijcientes gloriari pergunt, nullas Parthis adiisse sagittas quæ imperatoris sui corpori obesse possent, ni super illum pugnantes ipsi occumberent. Videns igitur Surena Parthos iam se languidius periculo immiscentes, quasi nocte tenerentur, tumulũ præterea quem Romani occupassent, omni ex parte tutos eos reddere, huiusmodi dolum Crasso annectit. Plurimi nempe ex captiuis demissi fuerant, qui Barbaros in exercitu audisse dicerent inter se colloquentes, regẽ neutiquam bellum cum Romanis sine fœdere omissurum, cæterum amicitiam conciliaturũ esse Crassi gratia, quo beneuolo Vti cuperet. Cessarant enim iam à pugna Barbari. Surena igitur cum optimis strenue ad tumulum profectus, primũ quidem ab arcu neruũ soluit, deinde dextram protulit, Crassum quoq; in colloquium Vocare cœpit, inquiens, potentia regem ac Virtute inuite Vsum, mansuetudinem ac clementiam sponte erga illum ostensurum esse, cum fœdus abeuntibus, & abeundi præstaret facultatem. Hæc Surena referente, alij suscipientes ad gratiam quoq; referebant. Crassus nihil nisi infidum ab

his expertus, subitamq́ eorum mutationẽ nequaquam rationi innixam arbitratus, haud assensus est, verum consilio vniuersa agẽda esse dictitabat. Militibus verò reclamantibus, ac iubentibus, demum maledictis incessentibus, quasi eos pugnantes abijceret, cum quibus sine armis nec in colloquium venire auderet, principio eos sermonibus lenire, & alloqui tentauit quòd reliquum lucis inter montes & rupes sustinentes facillime noctu essent abituri. Iter quoq; ostendit, hortatusq́ est ne spem salutis quæ iam propius adesset, vltro abijcerent. Cum verò vlterius eos conquerentes, & arma quatiẽtes minis vti cognouisset, pauefactus statim cessit, hæc solum conuersus inquiens. Octaui, & Petroni, & quicunq; Romanorum adestis duces, vos quidem itineris mei necessitatẽ cernitis, præsentesq́ cõspicitis quàm fœda & dura patior: verum ad alios cum salui eritis hæc solum dicite, Crassum perfidia hostium deceptum interijsse, nõ autem à ciuibus traditum. non enim qui circa Octauium erant, restiterunt, verum à tumulo inferius profecti sunt. Solum lictores sequẽtes Crassus repulit. Primi igitur Barbarorum obuiam illi prodeunt duo semigræci, qui ab equis descendentes, debito eũ honore susceperunt, & Græco sermone vt quosdam ex suis præmitteret hortati sunt, quibus se Surena cum suis inermem adesse ostenderet.

ret. Crassus his respondit. etsi modica viuendi cupiditate teneretur, non tamen se eorum manibus permissurum esse. Itaque Roscios fratres præmisit sciscitaturos, qui quot ve in vnũ conuenissent. quos Surena statim deprehensos iussit detineri ipse cum illustrioribus in equo processit: visoq; Crasso, Et quid hoc, inquit? Romanorum imperator pedes ambulat, nos in equis vehimur? & statim equum iussit adduci. Crasso autem neque se, neque illum peccasse profitente, cum vtrique patrium sit in vnum conuenire: esse ibi inducias ac pacem Orodi regi Romanis' que Surena inquit: oportere autem ad fluuium euntes fœdera conscribere. Non enim vos omnino memores promissorum estis, ó Romani, ait. & dextram illi obtulit. Recusante deinde Crasso equum, nihil necesse, inquit: rex quippe illum tibi tradit: & simul equus aderat phaleris auroq; conspicuus, & qui præsto eum suscepturi venerant, circunsidentes plateis insequebantur, accelerareque cogebant. Octauius igitur equum per frena arripit, & post eum vnus ex tribunis Petronius, demum reliqui circũstetere equum occidere quærentes, & qui Crassum impellebant, ab vtraque parte deturbantes. Tumultu itaque & impulsione fieri cœptis, cum ad verbera ventum esset, Octauius exerto ense equisonem quendam è barbaris occidit, alius

vero Octauium à tergo instans vulnerauit. Petronius cum armis haud admodum munitus esset, in Thoracem percussus vulneratus abijt. Crassum autem Maxarthes Parthus interfecit: quod quidam negant, alium quendam occisorem asserentes. Crasso deinde iacenti caput dextramque abscissam referunt. Opinantur tamen ista potius quàm intelligantur. Qui enim præsentes erant partim circa ipsum pugnantes interfecti sunt, partim fugientes ad tumulum statim redierunt. Aduenientibus demum Parthis, & Crassum pœnas dedisse referentibus, reliquos omnes tutò descendere Surena iussit. itaque è tumulo delapsi sesesos Parthis credidere: & hi quidem nocte palantes vix paucis exceptis in tutum euasere. Reliquos omnes Arabes aut viuos cepere, aut confecere ferro. Feruntur quippe ad viginti millia hominum interijsse, decem millia in potestatem redacta esse. Caput autem dextramque Crassi Orodi regi in Armeniam Surena misit. Ipse in Seleuciam præmissis nuntijs Crassum captiuum duci, ridiculam commentus est pompam, per contumeliam triumphum agens. nam captiuorum gratissimus Crasso Caius vestem regiæ mulieris indutus, & pro Crasso iussus respondere, cum imperator vocaretur, equo insidebat: ante ipsum verò tibicines ac lictores camelis vehebantur

tur, quorum virgis sacculi pendentes inerant, iuxta secures nuper abscissa Romanorum capita. post hos Seleucides incedebant pellices, cantoresque, qui scurrilia plura & risu digna referentes, mollitiem Crassi & ignauiam eius decantarent, & hæc quidem omnibus conspicua erant. Seleucidarũ verò seniores in vnum congregans Aristides, Milesiorum impudicos protulit codices, non quidem ementitus. in reconditis enim Rustij inuenti referuntur, qui Surenæ contumeliarum materiam in Romanos præstitere, nec nisi bello implicitis huiusmodi rebus scriptis vequeunt conuenire. Seleucidis quippe vir sapiens videtur Aesopus Surenam intuentibus Milesiarum impudicitiarum follem prius appendentem. posterius verò Parthicam attrahentem pompam inter tot pellicum currus ijs quæ Echidnæ nominantur, & Scytalæ haud adsimilem. Et hæc quidem priori in parte illustria. Terribilia deinde telis, arcubus equisque insequentium phalangis verò caudam in choreas, plausus, psalmos, festiuitatesque impudicas mulierum finientem. Mendax profectò vir Rustius impudici Parthi Milesia hæc ementiti ludicra: quorum plurimi eorum regno præfuerint è Milesiis Ionijsque pellicibus nati Arsacidæ. His peractis Orodes cum Artabaxe Armeniorum rege in colloquium venit, & sororem eius Pa-

coro filio suo coniugem desponderat. Potus, deinde & conuiuia inter vtrosque, multaq; alia vicissim præbita. Certamẽ præterea è Græcorũ institutum vocibus. non enim cantibus Græcis & literis indoctus omnino putabatur Orodes. Artabaxes etiam tragœdias edidisse, & orationes historiasq; scripsisse dicitur: quarũ nonnullæ posteritati adhuc permanent. Crassi capite ad fores delato, statim è mensa consurrexere omnes. Tragœdorũ deinde minùs Iason nomine Trallianus, cũ Bacchi orgia ab Euripide in ijs quæ de Agaue referuntur, decantaret, essetq; eius vox pergrata omnibus, Silacis ante statuam procumbentes, eamq; veneratus, Crassi caput iecit in medium. Plausum autẽ in immensum cum lætitia & clamore extollentibus Parthis, Silacis statuam inclinauere serui iubente rege. Tum Iason Penthei conficta poëmata cuidam è psallentibus tradidit. ille Crassi capite assumpto, bacchantis in morem in id se totum extulit, superstitione huiusmodi visus & cantu, Ferimus ex mõtis ambitu nuper cæsam venationẽ optimã. Eo cantu gauisi omnes, respondẽtibus deinde reliquis: cũ quidã ex ijs qui chorizabãt addidisset, Meus meus hic est honor, prosiliens Maxarthes; nã & ipse conuiuio inerat, caput è manu abstulit, quasi id ipsum à se conueniẽtius dicendũ putaret. Gauisus igitur rex, quod ex patriæ moribus consuetũ fuit,

donum

donum illis tribuit, Iasoni verò talentum contulit. In hunc itaq; cantum Crassi militiam veluti tragœdiam quãdam finiuisse scriptum est. pœnas tamen huiusce crudelitatis Orodem, ac periurij Surenam dedisse meritas. Nam Surenam nõ multo post dignitati & gloriæ eius inuidens Orodes neci tradidit. Orodes porrò cum Pacorum filium à Romanis bello superatus amisisset, & morbo intercute laborare cepisset, à Phraarte filio per insidias aconito aggressus, suscipiente medicinam morbo, ita vt longius prorogaretur, attenuaretúrq; membra alia, breuiori via è vita pulsus est. Tumultuante deinde Parthico exercitu circa Mesopotamiam, Labienum regij milites Parthorũ principem sibi statuentes Syriam ingressuri videbantur, vel viterius prodeuntes in Alexandriã secum deducturi. Agentem igitur Parthos, & ab Euphrate & Syria Lydiam vsq; & Ioniam, Assyriam peruastantem omnem Antonius vt reprimeret, eique obsisteret, copias aduersum mouit, quem vxor Fuluia multis lacrymis & literis ad se reuocans, in Italiã demum redire coëgit, Ibi Cæsari conciliatus, ac Põpeio qui Siciliam regebat, Ventidium præmisit in Asiam impedimentum quoddam allaturum Parthis. Ipse vltro sibi indulgens, sacerdos primi Cæsaris creatus est, pluráque alia benigne comitérque in politicis rebus exercuit. Erat

forte

forte cum eo magus quidam Aegyptius ex ijs qui hominum genituras sortésque scrutantur. Is siue vt Cleopatræ morē gereret, siue veritati inniteretur, erga Antonium dicere ausus est, fortunam eius illustrem & insignem sub Cæsare admodum deficere ac debilitari, & vt longe ab eo adolescente se trāsferret, hortatus est. Tuus, inquit, demō huius reformidat genium. Quibus ex verbis palam subtristari visus est Antonius, ita vt Aegypto potius inhærens ex Italia discederet, & quæ propria in Græcia illi fuerant, Cæsaris potestati traderet. In hybernis igitur circa Athenas cōmoranti, quæ in Parthos à Ventidio feliciter gesta fuerant, referuntur. superatos bello Parthos, Labienum, ac Phraartem bellacissimos Orodis duces acie interijsse. Quorum causa epulum Græcis præbitum, ludi præcipui Athenis acti. Cum autem ad bellum profecturus esset, sertum sibi ex oleo sacro desumpsit, & à Clepsydra vas aquæ plenum ex præcepto hauriens secum detulit. Inter hæc Pacorum regis filium magnas Parthorum copias in Syriam ducentem Ventidius circa Cyristum occurrens pepulit, Pacoróque inter primos occumbente, magna strage eos afflixit, quod opus inter cætera memoratu dignum, omnes ferè calamitates quas Romani sub Crasso pertulissent, vindicta sustulit, Parthósque intra Mediam Mesopotamiámque

conclu

cõclusit, tribus prælijs summa vi superatos à Romanis. Ventidius igitur Parthos vlterius persequi neglexit, Antonij veritus inuidiam. Deficientes autem inuadens, ad deditionem redire compulit. Antiochum porrò Comagenum in vrbe Samosatis obsedit. Deprecante deinde illo & mille talenta dare pollicente, Antonij quoq; mandatis obsequi, ad Antonium mittere iussit. Iam enim proximus aderat, & Ventidium cum Antiocho inducias agere volentem, eam rem suo nomine vt conficeret admonuit. non enim omnia à Ventidio exequenda iudicabat. Obsidione deinde in longum procedente, et ciuibus iam pace desperata ad audaciam conuersis, cum nihil proficeret, rubore & pœnitentia compulsus, quinque & trecenta talenta cupide ab Antiocho accipit, & parua quadam in Syria componens, denuo Athenas redijt, Ventidium quibus decuit pecunijs ornatum ad triumphum mittens. Hic enim de Parthis vsque ad ætatem nostram solus triumphauit. Vir quidem natione ignobilis, cum in Antonij amicitiam sese insinuasset, illustrium rerũ occasiones adeptus est, quibus strenue vsus, satis approbasse creditur, quæ de Antonio & Cæsare dicta sunt, feliciores per alios quàm per seipsos esse in bello duces. Etenim Caßium Antonij ducẽ in Syria multa fecisse, & Canidium ab eodem in Armenia relictum, bis deuictis,

Iberorum quoque & Albanorum subactis regibus, ad Caucasum vsque processisse: quibus ex rebus Antonij potentia gloriã inter Barbaros potissimum adauctam esse. Nam cum Phraartes Orodem patrem interemisset, regnúmq; sibi vendicasset, plurimi subinde Parthorum aufugêre, & Munesses vir clarus et potens ad Antonium pariter fuga peruenit, fortunam suam Themistocli assimilans, Antonij verò facultates ac magnificentiam Persarum regi, qui tres vrbes illi dono dederat, Larissam, Arethusam, & Hierapolim, quam Callinicem prius appellabant. Parthorum deinde rege dextram Munessi offerente, perlibenter eum dimisit. Antonius, Phraartem dolo circumuenire ratus, quasi pace demum inter eos secutura, dignum putans, quibus Crassum fraudibus cepissent Parthi, eas quoq; sibi asciscere. Cleopatra itaque in Aegyptum præmissa, ipse per Arabiam & Armeniam profectus est. Eo in loco conuenientibus copijs, auxilia etiam regum contrahit. Hi verò perplures fuere, quorum maximus Armeniorum rex Artabaxes sex millium equitum, septem peditum exercitum ducebat. Erant & cum eo Romanorum peditum sexaginta millia. Equitatus quoque ex Iberis & Celtiberis à Romanis institutus ad numerum decem millium. Reliquarum porrò nationum ad triginta millia cum equitibus & velitib

litibus annumerabantur. Huiusmodi itaq; apparatum ac potentiam, quam ultra Bactros extimuere Indi, & qua Asiam quoque tenere potuisset, inutilem sibi ob Cleopatram extitisse memorant. Cum illa siquidem hybernare cupiens, bellum ante tempus inferre ausus, cum nulla ratione uteretur, quasi pharmacis quibusdam & incantaminibus addictus esset, ad eã solum diuertit oculos, celeriusq; ad conspectum eius regredi, quàm hostes bello superare satagebat. Principio quidem cum in Armenia hybernare opus esset, & exercitum labore fessum reparare octo millium stadiorum itineratione confectum, ac prius quàm ex hybernis Parthi excederent, ueris principio Mediam inuadere, tempus opperiri haud passus est, uerum ad sinistram deflexis copijs, capta Armenia, Atropatenam depopulatus est regionem. Machinas praeterea quas urbium oppugnandarum gratia trecentis uehiculis adducere solebat, inter quas aries octoginta pedum longitudine inerat, licet his similes haudquaquam in tempore reperiri possent, cum superior regio lignum omne ingenerosum ob exilitatem mollitiémque producat, celeritati studens, uelut itineris impedimenta post se reliquit, custodiam quandam & exercitus ducem uehiculis apponens. Ipse Phraarta urbem inclytam, in qua Medorum regis filij mulierésque habitabant, obsidere pergit: necess

necessitate verò errorem omnem quem in dimittendis machinis ediderat ipsum arguente, aggerem summo labore contra vrbem erigere compellitur. Inter hæc maximis copijs aduentans Phraartes, cum machinas ab Antonio destitutas intelligeret, ingentem equitatum aduersum eum misit, à quo circunuentus Tatianus, interemptus est, & cum eo ad decem millia militum cæsa. Capti autem complures, inter quos & Polemō rex fuit. Machinas deinde barbari immisso igne succēdunt. Quæ omnia animaduertentes Antoniani milites, maxime vereri cœpere tam insperato ac repentino aggressi malo. Armenius itaque Artabaxes desperatis iam Romanorum rebus, cum exercitu ad propria reuersus est, cum potissimū huius belli causa extitisset. Splendidè igitur se exercentibus ijs qui obsidione premebantur, & Parthorum fiducia minis contumelijsq; abutentibus, nolens Antonius exercitu desidia laborante, huiusmodi calamitatis plagam inualescere, & dietim adaugeri, decem legionibus assumptis, & prætorijs cohortibus armatorum tribus, omnem equitatum frumentatum mittit, satis fisus insurgentibus in eum hostibus pugnam ex ordine esse secuturā. Progressus igitur per diei duntaxat iter, vt Parthos circunfusos vidit, & ex itinere prælium inire cupientes, pugnæ signum castris ponit, disiectisq; tentorijs.

torijs, quasi bellum detrectaret. & abinde deducturus horridum barbarorum declinaret aspectum, equitibus edicit, vt cum primi ex hostibus in arcto constituti effugere non possent, equos ad eos flecterent. Barbaris itaque effusis potior visus est ordo Romanorum, & paribus interuallis transeuntes eos inuadebant sine strepitu & silentio tela quatientes. Cum signum datum esset, sublato clamore, equisq; conuersis aggressi vulnerabant quanquam intra sagittarum spatia deprehensos. Armatis itaq; clamore & armorum strepitu in vnum subeuntibus territi Parthorum equi cessere loco, & ipsi prius quàm ad manus venire possent, abiere fuga. Antonius autem ab insecutione nequaquam destitit magna spe adductus totum ferè bellum, aut certe maiorem eius partem eo prælio confectam esse. Sed cum in castris rediisset, pedites per quinquaginta, equites per tot insecutos stadia, ex hostibus quidem captiuos cæsosq; dinumerans, triginta duntaxat captos, ad octoginta in acie cecidisse comperit. Qua ex re stupor ac tristitia omnes ferè milites inuasit, dirum arbitrantes, si victores adeò paucos interemissent, victi tot viris spoliati essent, quot circa machinas perdidissent. Sequenti die ad bellum instructi, copias in Phraarta deduxere. Occurrentes deinde ex itinere hostibus primum parua manu se inferentibus, subinde ma

iore postremo omnibus copijs, veluti inuictis, & nuper ad pugnam prouocātibus, & vndiq; insurgentibus, vix magno labore, ac difficulter in castris seruati sunt. At cum Medi excursionem quandam ad aggerem fecissent, propugnatoresq; terruissent, iratus Antonius, ex ijs qui pauore cessissent, decimum quenque supplicio affecit, alijs pro tritico hordeum apponi iussit. Difficile quidem vtrisque erat bellum, & euentus belli formidolosior, Antonio famem ingruentem formidante, nec propterea vulneratorum defunctorūq; copia carente: & Phraartes Parthos intelligens omnia prius quàm hyemem in castris sustinere, nec extra habitacula commorari posse, maxime formidabat, ne perseuerantibus Romanis moramq; ducentibus sui eum derelinquerent, æquinoctio autumnali potissimum instante. Talē igitur machinatur dolum. Parthorū quippe primores cum aut frumentatum, aut ad alias excursiones mitterentur, languidius admodum Romanis nauabant operam, nōnulla ab illis auferre negligentes, ac virtutem eorum verbis extollentes, bellicosos etenim illos prædicabant, eorumq; virtutem summa admirationi apud regē suum esse, Deinde proximiores illis facti, semotis equis Antonium increpabant, quòd Phraarte cum eodem conciliari cupiente, ac talibus totq; viris indulgere, neutiquā praberet aures, verum

maxi

maximos opperiens hostes, famem scilicet & hyemem, per desidiam quietem ageret, pro quibus opus esset etiam permissos à Parthis fugã capere. Pluribus igitur hæc ad Antonium deferentibus, inani spe delusus, non prius Parthis bellum indici iussit, quàm à blandientibus barbaris intelligeret, an hæc ipsa conscio rege dicerent. Affirmantibus illis, ac suadentibus ne dubitaret, neve diffideret, quendam ex amicis iterũ misit, qui signa captiuosq́; restitui æquum diceret, quasi non multi salutem suam faceret, aut de fuga cogitaret. Partho autem hæc emitti respondente, abeunti verò pacem securitatẽq́; pollicente, intra paucos dies collectis vasis capessit iter. Quorum autem studiosissimus semper fuerat populares scilicet blande alloqui, & exercitum ratione ducere, quantumuis alter, tunc ob ruborem mœstitiamq́; in alloquenda multitudine omisit. Domitium itaque Aenobarbum ei muneri addixit: qua ex re nonnulli excandescere, quasi ab eo despicerentur, & tristari visi. Plura tamen omissa sunt, vt gloriæ parceret, cuius causa hæc ipsa ab imperatore potius suadenda & exoranda milites arbitrabantur. Cum iter ingressurus esset, quod retro per plana arboribusq́; deserta faciundum erat, vir quidam genere Mardus, Parthorum moribus inter plura haud dissimilis, & qui in pugna circa machinas olim acta fidem præstitis-

set illæsam, ad illum venit suadétque ut fugam à via versus montes arripiat, nec exercitum armis grauem vacuis incursibus & apertis equitatui sagittisque subijciat. Phraartē nempe per beneuolentiæ simulationem insidias illi struere, se ducem breuioris viæ polliceri, & quæ necessariarum rerum copia exuberet. Quæ intelligens Antonius, consulere in medium cœpit nec æquum esse aiebat, exhibita per inducias fide, se Parthis minus credere videri, circuncisionem autem itineris ad oppida, & assuetam semitam collaudans, fidem à Mardo petit, Ille vinciri se iubet quoad in Armenia firmasset exercitum. Eo modo iniectis vinculis, per duos dies miro modo deduxit agmen. Tertia die Antonio nihil iam de Parthis formidante & negligentius agente iter, cum plurimum de se fideret, videns Mardus apertionem quãdam ad egressum fluminis nuper effossam, & plurimũ aquæ per iter quà commeãdum esset, effusum. id opera Parthorum effectum esse indicat, quò difficultatem morámque abeuntibus obijcerent, & fluuium veluti impedimentum anteponerent. Antonium quoque hortatus est, ut diligentius inspiceret, animumq́ue adhiberet. non enim longius abesse Parthos. Statim igitur milites in ordine armisq́ue disponenti, & iaculatoribus funditoribusq́ue excursionem præparantibus in hostes, Parthi in conspectum se dedere, & vndique

dique

diq; sese effundentes quasi eos circumituri Romanos terruere. Occurrētibus deinde Velitibus multas ex arcubus confligebant plagas, multas & ipsi à fundis telisque patiebantur: demum terga vertere coacti, non multò post reuersi sunt. quoad Celtæ equos inferentes, & in eos cōuersi dissipauere omnes, cum illa die nullum adhuc exemplar virtutis præstitissent. Ex his igitur quæ agenda erant inteligens Antonius funditoribus lanceatoribusq; cūplurimis non solum terga, verū etiam latera cōfirmans, exercitus quadrato agmine inceaebat. Equitibus verò edictum est, vt cum hostes aggressi essent, eos auerterent: cū auertissent, neutiquā longe sequerētur. Eo modo Parthi per quatuor insecuti dies, cum nihil amplius læderent quàm paterentur, debiliores effecti, & hyemis occasionem prætendentes, de reditu tandem cogitare cœperunt. Quinta demum die Flauius quidā Gallus vir bello expertus, & acer, qui partem ductabat exercitus, ad Antonium venit, plures ex postremis velites, & equites quosdā è fronte petit, quasi magnum quippiam acturus, hisque acceptis, multos ex hostibus continuè insurgentes oppri̇mit, non vt prius in eos inuectus deinde retrocedens, verùm instans, seq; audacius illis immiscens. Intuentes autem cum posteriores ordinis duces insequentem hostes, misso nuncio reuocare pergunt.

quibus parere renuit. Titium autem quæstorem aiunt auferentem signa vertisse retro, Gallum quoque conuitijs aggressum esse, quasi multos & optimos viros exitio traderet. Reddenti conuitia Gallo, & qui cum eo erant manere suadenti, Titius retrocessit. Gallum deinde in exercitus fronte compulsum, plurimi ex his qui à tergo inerant, accurrentes, protegunt: oppugnatus vndique, opem ab alijs per nuncios exquirit. At illi armatos deducentes, inter quos & Canidius, qui plurimum apud Antonium poterat, fuisse dicitur, non modicum peccasse dicuntur. Nam cum opus esset densam conuertere phalangem, dum plures in auxilium emittunt, ac his deuictis alios denuò certamini adijciunt, parum abfuit quin bello superati, vniuersum fuga repellerent exercitum, nisi quòd Antonius cum armis à fronte strenuè progressus, per fugientes tertiam immisit legionem, hostésque occurrentes à longe pepulit. Cecidere ea pugna ad tria millia, sauciorum ad quinque millia in castris relata sunt. Inter quos & Gallus fuit iam quatuor laceratus spiculis, sed is è vulneribus non conualuit: reliquos adiens Antonius ad vnum solabatur, illacrymansque hortabatur ad salutem. At illi alacres apprehensa dextra abire eum, & se curare, nec vlterius dolori indulgere precabantur, illum imperatorem suum esse, & se saluos, dummodo incolumis is esset,

esset, fatebantur. Omnino quidem neque audacia, neque tolerantia, neque corporis viribus ætate illa splendidiorem quempiam fuisse quis dixerit, neque cuipiam ex ducibus tantum reuerentiæ obedientiæ'que cum beneuolentia præstitum esse, idque ab omnibus præclaris ignotisque, vt gratia & honore plus salutis & securitatis omnibus illis priscis imperatoribus sit adeptus. Huius rei caussas plures memorãt, quæ à nobis præmissæ sunt, nobilitatem scilicet, dicendi vim, simplicitatem, largitionem, magnificentiam, ad iocos denique & vrbanitates miram æqualitatem. Tum autem cum ijs qui morbo laborabant, vnà aßisteret & compateretur, necessaria quoque impartiret, nemo facile dignoscere posset, vtrũ ægros an incolumes potius, & saucios obsequentiores sibi redderet. Hostes igitur ferè detrectantes bellum, laboréque confectos, adeo huiusmodi victoria erexit, vt contemptis Romanis nocte in castris quietè degerent, & tabernacula ab illis destituta, fugientiumq; impedimenta direpturos se esse crederent. Itaque cum illuxisset, multo plures in vnũ conuenerunt. Feruntur enim ad quadraginta millia fuisse, rege vt ad certam manifestamq; victoriam eos præmittente, cum ipse nec vnica fortuna vsus esset. Antonius milites allocuturus, vilem poposcit vestem, vt miserabilior apud eos fieret. Dissuadẽtibus autẽ amicis, purpurea

veste in medium processit. Victores igitur verbis extollens, fugientes conuitijs insectatus est. Ex quibus hi vt bene speraret confideretque, suaserunt. Alij si decimare eos mallet, aut alia pœna afficere, promptos se obtulerunt, modo vt à cura & mæstitia desineret, orabant. Ad hæc ille manus ad cælum tendens, deos deprecatus dicitur, vt si qua indignatio ob prosperitatem suarum rerum sibi incumberet, eam omnem in se converterent, reliquo exercitui salutem victoriámque præstarent. Sequenti die diligentius circunseptus copijs ad iter pergit, & Parthis insurgentibus inopine occurrit. Ad prædam enim ac rapinam, non ad prælium accedere sperabant. Deinde multitudini telorum obuiantes cum fortiter prompteque depugnarent Romani, statim defecere. Cùm verò descendentibus ipsis à nonnullis collibus, in decliui eos adorirentur, & difficulter deducentes conturbarent, conuersi qui clypeos ferebant, omnes leuis armaturæ in medio clausere, ipsi in genua deflexi, clypeos ante se tenuere. Qui verò posterius steterant, armis superiectis primos contegebant: eodem modo & reliqui nisi sunt. Huiusmodi igitur figura pariformiter decliuis, theatricum præbebat aspectum, obsectio quidem firmissima aduersus lubricos sagittarum ictus. At Parthi inclinationem Romanorum in genua, lassitudinem & calorem

arbitr

arbitrati, arcus depoſuere, contisque acceptis comminus incepere pugnam: quibus Romani cum clamore ſubitò aduolant, telisque è manibus excuſſis, primos interficiunt reliquos in fugam vertunt. Perſimilia reliquis diebus geſta ſunt. cum paululum via intermitteret Parthi, & fames inſequeretur exercitum, modicum quid frumenti per pugnam vendicantem, nec inſtrumenta ad molendum apta deferentem: plura quippe dereliquerant, cum nonnullis iumenta ad conuectandos currus defeciſſent, nõnulli ſaucios ægrósque deferrent: modium frumenti Atticum quinquaginta drachmis veniiſſe in exercitu ſatis conſtat: hordeaceum ad æquale argenti pondus. Ea inopia ad olera radicésque conuerſi raro notis herbis vtebantur. Coacti igitur quæ guſtui inſueta erant experiri, primum quidem in herbam incidunt, quæ per furorem ad interitum adduceret: qui enim comediſſet, nihil aliarum reminiſcebatur rerum, aut intelligebat, nec aliud quàm lapidem continuè effodiebat vertebátque, quaſi quippiam magni operis acturus. Erat igitur huiuſmodi repletus ager terram ac lapides effodientium, inter quos debacchati, demum bilem euomentes interibant, cum primùm quod antidotum huic morbo aderat, vinum defeciſſet. Intereuntibus plurimis, nec propterea Parthis ab inſecutione deſinentibus, ſæpenumero Antonium

exclamasse ferunt, O decem millia: eos qui cum Xenophonte profecti erant, admirantem, cum ex Babylone per longius profecti iter, & multo pluribus depugnantes Parthis salui euasissent. Parthi igitur cum exercitum deflectere, aut ordines infringere non possent, iam pluries superati atque fugientes, iterum quietè amicéque admiscebantur Romanis qui pabulatum aut frumentatum quoquo pacto irent. His arcus neruis exutos ostendentes, se retro proficisci velle, & hic finem belli ponere dicebant paucos ex Medis per vnius aut duorum duntaxat dierum iter secuturos esse, nihil vt inferrent mali, caterùm vt villas remotiores à damnis vendicarent. Talibus verbis ac blanditijs denuò fiduciam praestitere Romanis, adeo vt hac audiens Antonius per campos potius proficisci cuperet, cum itinera qua ad montes veherent, inaquosa esse audiret. Dum id facturus esset, vir quidam nomine Mithridates ab hostibus in exercitum ad eum venit, consobrinus Munesi illius qui cum Antonio alias fuerat, & tres vrbes dono acceperat, petens cum aliquo colloqui velle, qui Parthicam aut Syriam didicisset linguam. Et accedente ad eum Alexandro Antiocheno Antonio necessario atque amico, quis esset retulit. & in Munessem gratiam referens, Vides inquit, à longè colles illos arduos, & in vnum coniunctos?

Cùm

Cùm se ille videre diceret, sub illis, inquit, Parthorum copiæ insidias vobis struunt. Patentes igitur campi collibus illis subiacent, per quos ab ipsis deceptos iter arrepturos esse existimant, viam quæ ad montes ducit, relinquentes: in illa quippe sitis labórque duntaxat à vobis sustinenda sunt. Sin alteram tenueritis, sciat Antonius Craßi fortunas sibi esse subeundas. Hæc locutus retroceßit. Antonius animo turbatus, amicos ad se conuocat, & vnà itineris ducem Mardum accersit similia illi sentientem. Intelligebat enim semitas quæ per plana ducerent, difficiles, & erroris plenas, ac vix itinerantibus permeabiles esse: aspera verò & montuosa nihil aliud in se difficultatis habere, nisi quòd vnica die per inaquosa esset commeandum. Ad hæc igitur conuersus, nocte proficisci statuit. Aquam in vtribus milites afferre iubet. Cúmque vasorum inopia plures detineret, quidam galeas aqua repletas, nonnulli caprinos vtres attulerunt. Iam iter capessebant, cum Parthis nunciatur, & quanquam nocte incedentes præter solitum aggrediuntur. Illucescente die in postremos incidere vigilia laboréque confectos. Per ducenta quippe & quadraginta stadia progreßi erant, nec hostes tam subitò affuturos arbitrabantur: quæ res calamitatem permagnam attulit. Sitim præterea prælium adauxerat, nam pugnantes simul

ſimul incendebant. Primi igitur ad fluuium quendam peruenere, cuius aqua frigida admodum ac ſplendida fuit, verùm ſalſa ac veneno-ſa, cuius cauſa adurente ſiti præcordia à dolore vexabantur. Quod cum à Mardo prædictum eſſet, nihil minus eos qui à potu prohibebant auertentes hauriebant aquam. Antonius præſens ipſe per modicum temporis ferre ſuadebat, non longe abeſſe fluuium potui & aquationi accommodum, reliquum itineris adeo inequitabile & aſperum, vt hoſtes reuerti cogerentur. Simul autem pugnantes reuocabat, & vt equos iungerent, nutu ſignificabat. Cùm ad vmbras ventum eſſet, fixis iam tabernaculis, & Parthis, vt ſolebant, recedentibus, venit denuò Mithridates & Alexandrum allocutus, hortatur aliquantulum cum ſilentio exercitum mouere, & fluuio propius copias adiungere, Parthos non vlterius tranſituros, verùm ad illum vſque inſecuturos eſſe. Hæc cum Antonio Alexander retuliſſet, aurea quædam pocula phialáſque Mithridati iuſſit afferri: ex quibus ille quotquot veſte celare potuit aſſumptis, ad ſuos rediјt. Iam lucis aliquid ſupererat cum caſtra mouere incipiunt, hoſtibus nullo in loco prodeuntibus. Ipſi verò inter ſe noctem difficillimam, & omnium quæ ſecuta eſt terribiliorem peregere. Eos quippe qui aurum & argentum deferebant, aggreſſi ſpoliabant, & pecu-

nias

nias rapientes è Vehiculis. ad Vltimum Antonij impedimenta inuaserant: pocula, ac mensas ingentis pretij concidentes, inter se partiebantur. Tumultu itaque ingenti & errore passim detinente exercitum incumbentibus Parthis, fugam & confusionem ab illis ortam arbitrabantur. Antonius itaque satellitem Vnum ex libertis suis nomine Rhamnum ad se aduocans sacramento adegisse dicitur, Vt cum iussisset ipse, mucrone se transfigeret, capútque reliquo corpori adimeret ita, Vt nec Viuus ab hostibus capi neque mortuus dignosci posset. Illacrymantibus amicis, Mardus Antonium exhortatus est iam propius adesse fluuium. Nam aura quadam humida efflare cœperat, & aër frigidior occurrens, iucundam præbebat aspirationem, & tempus, inquit, itineris hanc mihi suadet adesse Viciniam. Non multum adhuc noctis supererat, cùm ab amicis nunciatum est tumultum illum non ex hostium insultu, sed ob militum scelus auaritiámque increbrescere. Multitudinem igitur ex tumultu & confusione in ordinem referre satagens, impedimenta deduci imperat. Iam dies terram illustrabat, cum exercitu in ordinem & silentium educto, Parthorum sagittarij postremis incidere: & Velitibus pugnæ signum datum est, armatique Vt prius se inuicem tutantes, obiectis clypeis insurgentes opperiebantur hostes. Deducentibus

bus igitur primus post modicum fluuius apparuit, & equites supra ipsum statuens Antonius, aduersos obiecit hostibus. Præmissis itaque debilioribus transire cœpit: & iam pugnantibus licentia & facilitas bibēdi aderat, cum Parthi conspecto fluuio neruos arcubus educunt, & Romanos, virtutem eorum commendantes, tutò transire admonent. Tacitè itaque transgressi, seipsos colligebant: non enim Parthis fidentes incedebant. Sexta demum die peracto postremo prælio, ad Araxem peruenere fluuium, qui Mediam ab Armenia regione diuidit. Visus est autem fluuius ipse & profunditate & celeritate difficilis admodum ad transmeandum, & rumor increbruerat hostes in insidijs paratos, Romanos transeuntes inuasuros esse. Postremò cum tutò transgressi essent, & in Armeniam venissent, quasi prius terram illam è pelago intuentes, se passim prosternebant, & ad lacrymas complexúsque ob lætitiam vertebantur. Incedentes ergo per regionem vberem ac felicem, & omnibus ad libidinem abutentes, hydericos & ictericos incidere morbos. Hoc in loco cum numerum militum recenseret Antonius, viginti millia peditum quatuor equitum millia amisisse comperit, non tamen omnia bello cæsa, verùm supra dimidium morbis valetudinéque consumpta. Profecti igitur à Phraarta per quinque

&

& viginti dierum spatium prælijs octo & decem Parthos superarunt, quanquam victoria ipsa neque viribus neque perseuerantia confecta, paruis quibusdam insecutionibus & imperfectis adepta sint. Sed cum in primis conspicua omnium causa perhiberetur Artabaxes Armeniorum rex, qui finem eius belli è manu rapuisset Antonij, cum è Media sex & decem millia equitum adducens, qui Parthorum in morem armati cum eisdem pugnare soliti essent, & Romanis Parthos insequentibus, facile eos sequi & debellare potuissent, toties in illos insurgere, & audacia vti recusasset, certatim vt ab eo pœnas exigeret hortabantur. Verùm ille astutia vsus nihil de perfidia questus est, nihil à solito honore aut consuetudine omisit, exercitu imbecillo adhuc, atque egeno rerum omnium. Posterius cum in Armeniam iterum diuerteret, multis suasionibus ac blanditijs ad se allectum tandem cepit, & vinculis iniectis, in Alexandriam deductum in triumpho habuit. Quæ res potissimum Romanos mæstitia affecit, cum optima & præcipua patriæ suæ monumenta Cleopatræ gratia Aegyptijs impartiri cernerent. Verùm hæc posterius. Secuta est deinde inter Medorum Parthorúmque reges discordia quadam, quæ principium, vt aiũt, ex Romanorum spolijs assumens, suspicionem amittendi regni,

&

& pauorem Medo attulit. Nuncijs itaque ad Antonium missis, in auxilium vocare cœpit, cum omnibus copijs suis ad bellum pollicitus adesse. Ob quæ magnam in spem adductus est Antonius, cum hoc vnico ad superandos Parthos indigere videretur, equitum & sagittariorum destitutus copia, quem ad se gratia potius & amore quàm precibus inductum crederet. Armeniam itaque denuò inuadere, & Medo circa Araxem fluuium congressus, bellum agere decreuit. Verum Octauiæ & Cleopatræ necessitudinibus adductus, æstatis temporibus ad Medum proficisci, quanquam Parthi, vt ferebatur, intestinis agitarentur seditionibus, statuit. Ad hunc igitur denuò profectus, in amicitiam pellexit. Cúmque filiam eius infantem vni ex Cleopatræ filijs vxorem despondisset, domum reuersus, ad ciuile bellum conuertit animum.

FINIS.

APPIANI ALEXANDRI-NI SOPHI-STAE LI-BER

MITHRIDA-TICVS.

ROMANI igitur Bithynios & Cappadoces, & quæcunq; illis finitimæ nationes Euxinum pontum incolunt, Mithridati per duos & quadraginta depugnantes annos sibi subegere. Eodem quoq; bello Ciliciã minimè antea illis parentem, Syriamq; Phœnicem, & inferiorem, Palestinam porrò prouinciã, & mediterranea ad Euphratem vsq; fluuiũ, quæ Mithridatis imperio neutiquam paruerant, impetu quodã eius victoria sibi vendicarunt, & tributa quibusdã statim, nonnullis denuo imposuerunt. Paphlagoniam autẽ & Galatiam. Phrigiãq;, & propinquã Phrygiæ Misiã & super has Lydiam, Cariam & Ioniã & quæcunq; aliæ Asiæ prouinciæ circa Pergamũ sunt, veteremq; Græciam & Macedoniã, deuicto Mithridate, statim imperio suo subiecere, ac plurimis earum

pondum quicquā persoluentibus imposuerāt tributa. Quāobrē hoc uel ingēs bellū mihi licet arbitrari, et victoriā ab illa partā, magnā existimare. Præsidentē quoq; illi bello ducē Pōpeium vsq; in hanc diē meritò appellari magnū, multitudine gentiū ac populorum quos vel recepere ipsi, vel amisere. & logitudine temporis, quod per quadraginta & amplius annos gestū est. Audacia præterea ipsius regis ac tolerantia, quā in omnibus potentē experti sunt, cuius imperio naues quadringētæ ex proprijs fuberant, equitū quinquaginta, peditū ducenta & quinquaginta millia, machinarū ac omnis bellici instrumenti par potētia eius summa. Depugnabant antē cū eo reges Dynastæq; Armeniæ, ac Scytharū, qui circa Pontum incolunt; supraq; Mæotidem paludē, & ab illa ad Thraciū Bosphorū nauibus vehuntur, cōtra Romanos, eo potissimū tēpore acri inter se bello dissidentes. & Iberiā qui in eos cōcitaret, emiserat, & cū Celtis fœdus amicitiāmq; inierat, ita vt in Italiam omnia prædatoribus referta ab Cilicia ad Herculeas vsq; colūnas maria inquietarētur, eaq; separata et impermeabilia ad nauigandū fierent, ciuitatibus & famē & plurimū laboris adijcerent. Omnino nihil homini possibile omisisse visus est vel agēs vel cogitās, vt hic maximus rerū motus ab oriente in occidentē vniuersos (vt sic dixerim) molestia afficeret, vel

bello

bello implicitos, vel auxilia ferentes, vel latrociniis impendẽtes operã, vel bello ipsi finitimos. Tam ingens hoc bellũ fuit, ac tam variũ, et ad maxima demum finicns extulit Romanos, vt imperij terminos ab occidente ad fluuiũ perduxerint Euphratẽ. Diuidere verò hæc ipsa per natiões haud facile est, quæq; simul gesta sunt, & inuicẽ connexa. Quæ verò distinguere nobis licet, per partes explicabimus. Thraces Graci eos existimãt, qui cũ Rheso ad Ilion pro Troianis castra habuere. Rheso deinde noctu à Diomede interfecto, quẽadmodũ ab Homero carminibus perscriptũ est, fugientes ad Põti ostia quæ arctiora in Thraciã sunt, quosdam destitutos ratibus in ea tellure consedisse, eãq; partem tenuisse quæ Bebrycia appellabatur. Quosdam trãsgressos vltra Byzantiũ, & Thraces qui Bithynij dicuntur prope Bithym habitasse fluuium. Fame deinde compulsos in Bebryciam rediisse, & Bithyniam pro Bebrycia à fluuij nomine iuxta quem incoluissent, nominasse. Eius verò appellationem nulla ratione cum tempore ab illis immutatam cum parum admodum Bithynia nomen à Bebrycia videatur differre, hoc multi iam existimãt. Alij verò Bithym Iouis & Thracis filium eorum regem primum extitisse, & vtriusque appellatione vtriq; terræ nomen inditum. Huiusmodi de Bithynia referre visum. Quæ verò ad Romanos pertinent

qui eam rexere prouinciã duos & quadraginta deinceps annos, res gestas expediã. Sic enim mihi màximè recensere opus est eorũ facta perscribenti. Prusias cognomine Cynigus, cui Perseus Macedonũ rex sororem eius vxorẽ dederat, cũ non multò pòst Perseus idem Romaniq; adinuicem belligerarẽt, neutram partẽ secutus est. Capto demũ Perseo, ad Romanorum duces peruenit, veste amictus Romana quã togam appellant, & calceamenta gerens Italica, raso capite pileatus: quo more nõnulli libertati redditos ex decreto incessisse memorãt: cum aliàs facie turpis esset, ac corpore perbreuis. Itaq; ad Romanos delatus, Romanis verbis se eorũ libertũ professus est. Cũ risum exciuisset omnibus, Romã missus etiam ridiculus multo magis habitus, veniam tandẽ impetrauit. Sequenti deinde tempore Attalo effectus hostis, eius qui circa Pergamũ Asiam regebat, Asiaticam ingressus est prouinciam. Qua Romanorũ audiens Senatus, ad Prusiam legatos misit, qui eum monerẽt ne in Attalũ eorum socium atq; amicum bellum gereret. His cũ minus ille paruisset, legati ex mãdato eũ monuere vt Senatui morẽ gereret, & cum mille duntaxat equitibus ad fines ex fœdere impositos accederet: illic enim Attalũ pars equitum numero illum expectare. At is spreto Attalo ex suorũ paucitate, ratusq; ex insidijs facilè eum detinere posse, le-

se, legatos antecedere iussit, quasi cũ mi de secuturus. Vniuerso deinde sublato exercitu, veluti ad pugnam profectus est. Itaq; cùm Attalus legatiq; aduẽtum eius præsensissent, & in fugã vt quisq; potuit abijssent, ille prætermissis ijs qui Romanorũ vasa deferebant, cæteros insecutus est, interceptoq; oppido quod Nicephorium appellatur, funditus euertit: naues porrò quæ in eo fuerant, incendit. Attalũ quoq; in Pergamũ delatũ obsidere pergit: quoad hæc intelligẽtes Romani, alios denuo misere legatos, qui pro damnis quæ Attalo idẽ intulisset, satis factum ire iuberẽt. Tunc verò pauefactus Prusias, mandatis paruit, copiasq; abinde sustulit, mulctam quoq; legatis statuẽtibus, Attalo persoluit, naues statim viginti cataphractas, argentiq; talenta quinquaginta in tẽpore pollicitus. Erat is ob crudelitatẽ ferè omnibus exosus suis. Nicomedes autem eius filius à Bithynijs summo honore colebatur. Quæ ex causa permolestè eius præsentiã ferens Prusias, Romam vbi vitã duceret ire iussit. Certior deinde factus filium à Romanis plurimũ diligi, & in honore haberi, Senatui supplicare instituit, eum à pecunijs quas Attalo deberet, liberum esse sineret. Minã autem legatũ hac de re ad Senatũ mittit, cui ita imponit, vt si quæ petit, à Senatu impetret, nihil in filiũ eius moliatur. Sin voto decidisset, Nicomedẽ intra vrbem co-

netur occidere. Rates illi ob hoc nonnullas destinat, milites praeterea vsq; ad duûm millium numerum. Cum mulcta remissio à Senatu repudiaretur (nã Andronichus ex aduerso ab Attalo submissus, mulctã à legatis inditã rapina inferiorem esse praedicabat) Nicomedẽ porrò aggredi instituens, cũ omni diligẽtia munitum circũspiceret, addubitare cœpit. Itaq; iuuenem interficere nõ ausus, in Bithyniã ob timorem redire destitit. Protracta diutius in vrbe mora, tandem cũ Nicomede in colloquiũ venit. Insidias Prusiae cũ eo struere aggreditur, Andronichũ Attali legatum ad rem conficiendam comitem accersit, qui Nicomedem vt in Bithyniam induceret, suaderet Attalo. Illi se inuicẽ in oppido quodã mediterraneo, quod Berenice appellatur, expectantes, vespere nauẽ ingressi, quae facere opus esset, meditantur, deinde nocte nondũ peracta discessere. Cum illucesceret, Nicomedes purpuram indutus regiã, diademate capiti imposito nauem egreditur. Andronichus obuiam illi factus, ac regẽ appellans, cũ equitibus quingentis, quos secum habuit, antecedere suadet. Minas aduentũ Nicomedis tũ primum sentire simulans, inter duo millia quos agebat, veluti pauidus ferebatur, & sermone prolato, duobus, inquit, regibus, vno in prouincia existente, adueniẽte altero, necesse nobis arbitror consulere cui melius statuendũ sit, & quae

futu

futura sunt vicissim prouidere tanquã de salute nostra cogitantibus: cui bene prouiderimus perscrutantes quis eorũ dignius regno præsit. Ille quidẽ senex est, hic iuuenis. Bithynij illum odere, hunc amplectuntur quem Romanorum etiam primores charum habent. & Andronichus iã illi fauens Attali societatẽ videtur pollicери, magno præsidẽtis imperio, & Bithynijs finitimi, & qui plurimũ cum Prusia bellũ gerat: Hæc inquiens, Prusiæ crudelitatẽ vnà detegebat. quæq; in omnes superbè impieq; fecisset. Cõmune præter hæc Bithyniorũ in illum referebat odium, adeo vt Prusiæ iampridẽ infensos, & regnum eius detestantes ad Nicomedẽ facilè traduxerit, & simul dicens, hic rex secundus nobis, cũ Andronicho duobus millibus stipatus cũ sequebatur. Attalus iuuenem perlibenter accepit, Prusiamq; adhortatus est, vt ciuitates quasdam ad inhabitandum, regionem præterea ex qua reditum percipere posset, filio traderet. Prusias regnum omne Attali statim dare se dixit, cuius causa, vt Nicomedi acquireret, in Asiam venisset. Hæc fatus. Romam nonnullos ex suis misit, qui Atalum ac Nicomedem accusarent, eósque in iudicium accirent. Qui autem cum Attalo fuere, statim in Bithyniam profecti sunt: quibus veniẽtibus, paulatim Bithynij ad eos defluxerunt. Prusias nemini fidẽs, Romanos quoq; ab his insidijs libe-

raturos se arbitratus, Thracem quendam elegit, qui Thraces quingētos in vnum congregās, solus corporis sui curam ageret. Ipse in arcem quæ in Nicæa est aufugit. Romanorum igitur prætor, qui in vrbe fuerant, non statim Prusiæ legatos in Senatū duxit, quò Attalo morē gereret. Cum aliquando induxisset, & Senatus pretorē ipsum legatos eligere mādasset qui finē bello imponerent, tres viros elegit, quorū vnus lapide caput saucius fœdas præferebat cicatrices, alius podagra laborabat, tertius stultior haberi consueuerat, Quamobrē Catonem legatos contemplatū dixisse ferunt, Senatū legationem emittere, quæ ratione, pedibus, capiteq́; careret. Legati igitur in Bithyniam delati, vt bello finem imponerent, vtrisq; mādauere. Nicomede verò & Attalo parere illis velle respōdētibus, Bithynij præterea percepta re, Prusiæ crudelitatem vlterius sustinere non posse clamitabant, maximè cum eorū odium ex pluriū querelis iam illi vulgatum esset. Ea ex causa legati, quòd hæc Romanis nondum innotescerent, infecta pace ad suos rediere. Prusias desperatis Romanorum rebus, quibus potissimū fiderat, nullius expectata ope, in Nicomediam profectus est: vt vrbe intercepta, ijs qui in eū insurrexerant, bellum gereret. At illi rege prodito, portas continuò referant. Nicomedes subinde cum exercitu ingreditur. Prusiam verò Io-

uis

nis ad templum confugere nitentem, nonnulli à Nicomede missi interficiunt. In hūc modum Nicomedes Prusia loco Bithyniorum regnum adeptus est. Cui deinde functo rebus humanis, Nicomedes eius filius cognomine Philopater, imperio successit, Romanis regnū veluti pater num illi statuētibus. Quæ igitur ad Bithynios pertinent, huiusmodi fuisse constat, quæ haud inutilia esse arbitror vt sciantur. Alterius autem Nicomedis filius ex testamento regnum Romanis dereliquit. Cappadociæ ante Macedones qui imperarint, neutiquā apertè possum dicere, an ipsi proprio potiti sint imperio, an Dario potius paruerint. Alexander quippe dicitur cum in Darium duceret, principes earū gentium sub tributo reliquisse. Sic vrbē Amisum genus Atticum in Democratia veluti patria ipsis politia statuisse. Hieronymus nec has quidem nationes attigisse eum scribit, verùm supra maritima Pāphyliæ & Ciliciæ progressum aliud in Darium tenuisse iter. Perdicas deinde qui ab Alexandro Macedonibus præfuit, Ariarathem in Cappadociam mouentem, vel ab eo potius deficiētem, siue vt illius regnum Macedonibus acquireret, bello cepit, eumq́ue suspendit, & nationibus illis Eumenem Cardianum præfecit. Eumene deinde interfecto, cum Macedones hostem illum iudicassent, Antipater post Perdicam, regionis quæ sub Alexan-

dro olim fuerat, curã agens, Nicanorẽ Cappadociæ satrapen instituit. Macedonibus non multò pòst inter se dissidentibus, Antigonus Laumedonte regno pulsò, Syriæ præfuit. Mithridates huic adhæsit, vir genere Persarũ regio. Ferunt Antigonũ per somniũ existimasse agrũ se auro serere. Mithridatẽ deinde aurũ metentẽ, in Pōtum recessisse. Qua ex causa illũ capiens interficere conatus est. Ille cũ sex duntaxat equitibus aufugit, & locum quendam Cappadociæ muniens, multis illuc confluentibus, Macedonum incuria Cappadociam finitimásque circa Pontum tenuit nationes. Postremò imperium in maius propagatum filijs tradidit: quod vicissim vnus ab alio suscepit vsque ad sextum à primo Mithridatem, qui cum Romanis bellum gessit. Huius itaque generis Cappadociæ ac Ponti reges cum extiterint, facile erit exponere quemadmodum eorum regna diuiserint, & qui Ponto, quiue Cappadociæ præfuerint. Primus igitur ex his Romanis amicitia coniunctus, naues quasdam in Carthaginenses, ac belli permodicam præstitit societatem rex Ponti Mithridates, Euergetes cognomine, qui Cappadociam quasi sibi alienam excurrit. Huic successit filius Mithridates Dionysius, cui Eupater fuit cognomen, quem Romani excedere Cappadocia iussere, Ariobarzane ad eos confugiente, & dignior illis

visa

viso qui Cappadociæ præesset, siue quòd Mithridatis regno in maius adaucto, nonnihil vererentur: & in plures clàm diuidere optarent. & is quidē successit in regno. Nicomede autē Nicomedis Prusia veluti paterno in regno à Romanis Bithyniæ præsidere iusso. Socrates fratrem Nicomedis eius qui Christus dicebatur, cum exercitu in eū misit, eoq́ modo Bithyniorum principatū Socrates ad se transtulit. Per idem ferè tempus Mistralus & Bagoas contra Ariobarzanē qui à Romanis regno præfectus fuerat, in Cappadociā ducentes, Ariarathem regē præfecerunt. Romani Nicomedem simul & Ariobarzanē in regnum vnà reduci statuerunt, & legatos hac de causa ad illos miserunt, quibus Manius Attilius præerat: assumereq́ ex itinere à Lucio Cassio qui circa Pergamū castra habebat, & exercitū permodicū ducebat, & ab Mithridate Eupatro auxilia iusserunt. Sed is quidē, quòd Cappadociam sibi abstulissent Romani. ac Phrygiam, cōquestus, quemadmodum Græcis literis perscriptū est, nihil fauoris illis præstitit. Cassius autem & Manius Cassij copijs plures alias ex Galatis Phrygijsq́ adijcientes, Nicomedē in Bithyniæ, Ariobarzanem verò in Cappadociæ restituere regna. Et cum vterq́ Mithridati esset finitimus, vnà cōuenerunt, regionem eius quamprimum excurrere, eumq́ in bellū prouocare, satis

fisi

fisi Romanos auxilio illis affuturos esse. Formidabat tamen per se quisque, cũ finitimi illi essent, tanti belli subire principium, Mithridatis in primis Veriti potentiã. Instantibus autẽ legatis, Nicomedes multas in parandis auxilijs, ducibus ac legatis dedisse pecunias, plures etiã debere causatus, ampliores præterea à Romanis qui eum sequebãtur, mutuò sumpsisse, Velut coactus in Mithridatis regionẽ mouit exercitum, & Vsq; ad Amastrẽ progressus Vrbẽ, Vniuersam depopulatus est, nemine Vel prohibente illum, Vel aduersum occurrente. Quippe Mithridates quãquã paratas copias haberet, Vltro cesserat, plurimas iustasq; belli occasiones in illum præparans. Reuerso deinde multis cum spolijs Nicomede, Mithridates Pelopidã ad Romanorum principes ac legatos destinat, satis conscius eos sibi aduersos esse, & huiusmodi insultus causam ab illis processisse. Dissimulans adhuc igitur, & plures simul & honestas huius belli præferens occasiones, paternæ societatis & amicitiæ memoriã illis protulit, quarũ causa Phrygiã & Cappadociã sibi ablatas fuisse querebatur, cum altera progenitorum suorum continuè fuisset, & à parente suo denuo suscepta, Phrygia in Victoriæ signum contra Aristonicum ab imperatore Romano præbita, nec cõmodè admodum pecunijs imperatori ipsi traditis: & nunc, inquit, Nicomedẽ introitum Põti sibi intercluden

dentem, omnemq́ regionem ad Amastrem vr bem vsq; populātem, prædamq́ illam abducentem quam optime nostis, videre negligitis cum ad offerenda auxilia nec debilis rex meus sit, nec imparatus, Cæterùm vos testes earum rerum quæ in cōspectu vestro gesta sunt, expectat. Ex quo igitur affuistis, & vidistis omnia, hortatur vos Mithridates amicus & socius, amicos sibi pariter & socios (sic enim fœdera inter vtrosq; icta testantur) vt sibi à Nicomede iniuriā passo, vel opem afferatis, vel ab eo inferri prohibeatis. Sic ille effatus est. Nicomedis deinde legati ex aduersò illi aßistentes, ita fari cœpere, Mithridatem iampridem Nicomedi insidias struentem, Socratem cum exercitu in regnum eius induxisse quiescente illo, et quæ maiorum suorum olim fuerant, iustè poßidente: et hæc à Mithridate in illum gesta esse, quē vos ô Romani Bithyniorum regem esse voluistis. Liquet igitur nō magis in nos quàm in vos ab illo tentatum esse. Hic etiā iubentibus vobis ne à regibus in Asia existentibus Europæ inferretur bellum, magnā Cherronesi inuasit partem. Et hæc sunt in vos cōtumeliæ & temeritatis ac diffidentiæ eius opera. Apparatus verò tam ingentes quasi ad magnum & deliberatum iam ab eo bellum instituti propriorum exercituum videlicet ac sociorum Thracum Scytharumq;, & aliarum sibi finitimarum nationum, et iam

cum

cum Armeniis coniugia contraxit, ac in Aegyptum & Syriam præmittit ex suis, reges ad amicitiam alliciens ac societatē. Naues illi adsunt cataphractæ numero trecētæ, tamen alias instruit, gubernatores vlterius & nautas in Phœniciā misit & Aegyptū. Quæ quidē non in Nicomedē tot ac tāta sed in vos ô Romani molitur Mithridates insaniens, nunc quòd Phrygiā subdole largitionibus extortā ab imperatore vestro tanquā indebite possessam deponere iussistis, pergrauiter etiā ferēns Cappadociā à vobis Ariobarzani traditā, veritus successus vestros & occasione præposita contra vos apparatus instruens, vt aliquid vobis queat imponere. Sapientū quippe est non expectare quoad se vobis profiteatur hostem, sed ad opera eius potius quàm ad verba adhibere animum. neque sub amicitiæ figmento latitanti, veros & probatos tradere amicos, neq; iudicium vestrum quo nobis regna decreuistis, debilitari sinere ab homine nobis pariter vobisq; inimico Hæc Nicomedis legati retulere. Ingressus deinde in Romanorum concilium Pelopidas, de iis quæ à Nicomede prius gestæ sunt, denuo conquestus est, et vt iudicium suum promerent efflagitabat. Hæc enim, aiebat, ante oculos vestros gesta sunt ô Romani Mithridatis regione vastata, intercluso mari præda tam ingenti abacta non verborum circuitione opus est, neq; iudicio, sed vos iterum

pre

precamur, vt vel facta prohibeatis, vel Mithridati iniuriã passo feratis auxilium. Vel hoc saltem vltimũ o Romani, ne se vlciscentẽ veitis prohibere, sed vtrinq; labori cedere. Hac Pelopida longioribus verbis repetente, visum est vt plurimũ Romanorũm ducibus auxilia prabere Nicomedi: eorũ tamẽ cõtentionibus per dissimulationẽ adhibebant aures. Caterum ob ea quæ à Pelopida relatæ sunt, erubescentes, amicitiã videlicet cũ Mithridate ex fœdere adhuc permansere, quemadmodum illi responderent, addubitabant. Maturo deinde consilio in hunc modum resulere. Neque Mithridatem quicquam indebite perpeti à Nicomede volumus, neque Nicomedem ab eo debellari patiemur. Non enim vtile Romanis arbitramur, Nicomedi damna inferre Mithridatem. Hæc effati, Pelopidam responsionis ambiguitati contradicere volentem, emisere concilio. Mithridates igitur tanquam à Romanis aperte iniuria affectus esset, Ariarathem filium cum magna manu in Cappadociæ regnum mittit, quod statim expulso Ariobarzane suscepit. Pelopidas ad Romanos iterum reuersus, in hũc modum effari cœpit. Quæ Mithridates à vobis iniuria affectus patienter tulit cum Phrygiam ac Cappadociã illi abstulissetis, audiuistis. Quot vero damna à Nicomede passus sit, intuentes negligitis amicitiam & societatem offerentibus: non tanquam accusan

cusantibus apud vos, sed reis potius respōdetis, minime cōducere aientes Romanorum rebus, damna Nicomedi inferri veluti iniuria affecto. Vos igitur hoc cōmuni Romanorum in Cappadociam damno causam præbuistis. Propter vos enim à quib⁹ adeò despecti sumus, cum in hunc modum sophistica responsione sperneremur, hoc egit Mithridates, & legatos cōtra vos ad senatum vestrum mittit, in quo vobis respōdentibus adesse pollicetur, nec quicquam in peius verte re, neq; principium tanti belli sine cōmuni Romanorum causa suscipere, intelligentibus ipsis Mithridatē patrio praesse regno, cuius magnitudo viginti stadiorum millia amplectitur, plures q; alias finitimas tenere regiones, Colchos gentem Arimanam, Græcosq; supra Pōtum habitantes, & barbaros quicunq; supra illos sunt, amicis præterea ad mandata paratis vti posse Scythis, Tauris, & Bastarnis, Thracibus quoq; & Sarmatis, & vniuersis circa Tanaim & Histrum & paludem Mæotidem incolentibus. cui Tobanes Armenius socer est, & Arsaces Parthorum rex amicus, nauium præter hæc multitudo in promptu est, aliasq; de nouo instruit. Apparatus verò ad hæc omnia abunde adsunt. Minime ementiti sunt vobis, quanquā calumniantes Bithynij, de ijs qui in Aegypto & Syria sunt regibus, quos non solum nobis opus est si bellum fiat, alijs adijcere, sed etiam à

vob

Vobis nuper possessam Asiam, Greciam, Libyā, multásq; Italiæ partes, quæ auaritiam vestrā ferre nequeuntes, indesinenti vobiscum prælio decertant, huic bello inserere, quod nondum disponere potentes Mithridati insurgitis, Nicomedi & Ariobarzani per partes auxilia mittentes, & profitemini nobis amici esse & socij. & ita respondetis, deinde vt hostibus vtimini. Afferte igitur si quid ob cōmissorum pœnitentiam eligitis, vel iniuriam amicis vestris ne à Nicomede inferri sinite. Sic enim facientibus vobis, auxilia contra Italos regem nostrum laturum pollicemur: vel apparentem saltē amicitiam dissoluite, vel Romam ad iudicium cōtendamus vnà. Sic Pelopidas elocutus est. Hi autē insolentius illum loqui arbitrantes, Mithridatem à Nicomede & Cappadocia abstinere imperant se statim Ariobarzanem in eam reducturos esse. Pelopidam insuper ab exercitu cedere iubent, nec vlterius ad eos reuerti, nisi in ijs quæ mandata essent, permaneret rex. In hunc modum igitur tulere sententiam, & discedēti abinde Pelopidæ custodiam exhibuere, ne quempiam in itinere peruerteret. Quibus peractis, cōsilia tanti belli neutiquam expectantes, aut vt populo nota fierent, exercitum ex Bithynia & Cappadocia, necnon ex Paphlagonia & Galatis, qui in Asia sunt, statim mouent. Verum quia propius ipsis exercitus aderat, quem Lu-

cius Caßius Asiæ proconsul retinebat, et omnes sociorũ vires in vnũ conuenerant, dispartitis copijs vnusquisq; castra ponit, Caßius Bithyniæ & Galatiæ in medio. Manius per inferiora Bithyniæ Mithridatẽ versus, Appius præfectus alius supra Cappadociæ montes copias sistunt equites habẽs vnusquisq; ac pedites vsq; ad quadraginta millium numerum. Superuenerat & classis illis quam Minutius Ruffus circa Byzantium, & Caius Popilius adduxerant. Põti introitũ obseruãtes. Aderat porrò & Nicomedes rex peditũ quinquaginta, equitũ sex millia secũ ducens. Tantus illis exercitus in vnum coactus affuit. Mithridates verò ex proprijs peditũ ducenta equitũ quingenta millia habuit parata, naues cataphractas trecentas, dierotas cẽtum, cæterarũ quoq; ingentẽ apparatũ. Duces illi copiarũ Neoptolemus & Archelaus adınuicem fratres fuere, quibus vt plurimũ ipse aderat. Auxilia quoq; ducebãt Arcathias Mithridatis filius, ex minore Armeniæ equitũ decem millia, & Dorilaus in phalangẽ cõstituta. Crateries autem cẽtum & triginta currus habuit. Tam maximus vtrisq; apparatus fuit. Feruntur se mutuo tum primũ prælio immiscuisse Mithridates ac Romani olympiade octogesima supra centesimã. Patentibus igitur camporũ spatijs, iuxta Amneũ fluuiũ se adinuicẽ intuentes Nicomedes ac Mithridates duces instruxere

aciem.

aciem Nicomedes suos eduxit omnes. Neoptolemus & Archelaus expeditos duntaxat, & quos Arcathias ducebat equos, nonnullos præterea ex curribus. Et iã phalanx procedere cœperat cũ paucos ex suis ad tumulũ quẽdam petrosum campi in medio præmittũt, ne à Bithynijs numero superioribus circunueniri possent: quos cum è tumulo depulsos intueretur Neoptolemus, veritus ne eodẽ periculo circumueniretur subito in auxiliũ aduolat, Arcathiã vnà inuocans. Nicomedes hæc contemplatus, ex aduerso occurrit. Fit hoc in loco prœliũ ingens ac cedes. Instante itaq; Nicomede, Mithridatis milites fugam capessunt, quoad Archelaus ab dextro cornu progressus persequẽtes inuadit. Illi autẽ in eũ conuersi sunt. At is paulatim retrocessit, vt Neoptolemi milites ex fuga reuocaret. Cum verò abunde id factũ intelligeret, se subito conuertit, ac currus in Bithynios falces deferẽtes, cum impetu immittit, eosq́; concidere ac secare cœpit, nõnullos in duas, alios in plures diuidens partes: quæ res Nicomedis exercitum vehementissime conterruit, cum homines se laceros, aut in plures dissectos partes, aut falcibus appensos spirantes adhuc intuerentur. Aspectus igitur magis, ac nouitas, quàm pugnæ vis ordines in vnum confuderat. Conturbatis illis Archelaus à fronte, Neoptolemus & Arcathias à fuga reuertentes, à tergo instant. Illi

se inuicem tutantes, tandem in vtrosque ruunt. Caterũ cum diutius instarent, Nicomedes vnà cum cæteris in Paphlagoniã fuga abijt Mithridatis phalãge nõdum progressa ad bellũ. Capta Nicomedis castra, & quæcunque in illis fuerant tum captiuorum multitudo abacta: quos omnes Mithridates prælata pietate, exhibito etiam viatico, solutos ad propria iussit remeare, humanitatis opinionem præferens hostibus. quod opus Mithridatici belli primum fuit, & Romanorum animos maxime confregit, quasi proteruia potius quàm cõsilio ductis sine omnium cõsensu tantum prælij discrimẽ adijssent. Pauci quidem plures superauerant, nõ vlla loco fœlicitate, aut errore hostium, cæterum virtute imperatorem, & militum probitate vsi. Nicomedes igitur cum Manio castra iungit. Mithridates supra montẽ Scorobã se locauit, qui Bithyniorum Põtique regionis seruat fines. Interim præcursores eius circiter centum ex Sauromatis, octingentis Nicomedis equitibus obuiam progressi, nonnullos capiunt, quos vicissim Mithridates exhibito viatico in patriam reuerti iussit. Manium verò fugientem, Neoptolemus & Nemanes Armenius circa primum Parchium locum hora septima comprehenderunt, & accedentẽ ad Cassium Nicomedem in pugnam compulerunt, equitum quatuor millia, peditum in decuplo amplius deducentem: ex quibus circa

decem

decem millia cæsa sunt, trecenti ferè capti quos vt prius ad se ductos Mithridates, quò militū gratiam apud hostes mereretur, liberos esse iussit. Manius cum exercitu interceptus est, verū fugiens ipse supra Gargarum fluuium instāte nocte ab altera parte transgressus in Pergamū euasit. Cassius & Nicomedes, & qui cum illis fuere Romanorum legati, ad Leontum caput peruenerunt, qui totius Phrygiæ munitissimus locus est. Militabat & cum ipsis multitudo ingens, qualem non multo ante in vnū collegerat, fabrorum, agricolarum, & priuatorū quos ad bellum instruebant. Phryges quoq; illis addiderant. Veriti itaq; vtriq; molestiam afferre viris bellicosis, eos liberātes retrocedere cœperūt, Cassius in Apamiam exercitum adducens, Nicomedes autem in Pergamum. Mancinus subinde in Rhodum venit. Quæ omnia intelligentes ij qui Ponti ingressum obseruabant, statim recessere, ac Ponti claustra, nauesq; quas à Nicomede acceperāt, Mithridati tradidere. Ille cō gressu vno vniuersum Nicomedis regnum sibi vēdicans, ciuitates circumibat, easq; ad se adsciscebat. Progressus deinde in Phrygiam, in Alexandri hospitio cōmoratus est, felicitati suæ ascribens, quo in loco diuertisset Alexander, in eodem quoq; hospitari Mithridatē. & is quidē Phrygiæ residua, Mysiam quoq; & Asiā, quæ Romani nuper possederant, inuasit, & ad do-

mesticos præmittẽs, Lyciã & Pãphiliã, & quæcunq; vsq; ad Ioniã sibi subdidit. Laodicibus porrò circa Lyciũ fluuium sibi aduersantibus, (nam Romanorũ prætor Q. Oppius nomine equites nõnullos, ac milites mercede conductos secum habens vrbẽ tuebatur) tibicinẽ qui hæc diceret præmisit, regẽ Mithridatem Laodicibus veniam polliceri, si Oppiũ sibi traderẽt. Qua ex re permoti illi, Oppij milites statim liberant ducem autem ipsum ad Mithridatem destinant, non sine risu lictorem secum deducentẽ. Mithridates nihil immoratus, vndequaque solutum illum duxit, Romanorum imperatorẽ in captiuitate positum ostentans omnibus. Non multo post Manium Attilium qui legationis & belli huiusce potißimũ causa fuerat, intercipiens, in asino etiã vinctum iußit circunferri præcedente tibicine qui intuentibus annunciaret, Hic est Manius quoad in Pergamo os eius percußit auro, auaritiã obijciens Romanis. Satrapas post hæc populis imponens, ad Magnesium atque Ephesum Mitylenasq; delatus, omnibus læte eum suscipientibus, Ephesijs insuper Romanorum abolentibus imagines, quarum causa non multo post dedere pœnas. Cùm ex Ionia reuerteretur, Stratoniciam cepit, illatáque vrbi custodia, etiam pecunia mulctauit. Formosam præterea virginem inter mulieres conspicatus, secum abstulit. Cum Magnesijs Paphlagonibus

bus & Lyciis aduersantibus adhuc per duces proprios bellum gessit. Hæc igitur à Mithridate gerebantur. Romani cum primũ eius impetum, ingressumq́ in Asiam audissent, exercitũ in eam mittere decernunt: quanquã contentionibus pene inextricabilibus, & domestico in Vrbe vexarentur bello tota ferè Italia per partes ab eis deficiente. Consulibus itaq; prouincias inter se sortientibus, Asiæ principatus, bellumq́ in Mithridatẽ Cornelio Syllæ obuenit. Cui ob pecuniarum inopiam cum nihil ad bellum conferre possent, ex decreto statuere, vt quæcunq; Numa Pompilius rex ad deorum sacra olim contulisset, ea venui subijcerent. Tantaq́ fuit tunc omnium inopia & ad omnia cõtentio honoris, vt quædam ex ipsis vendere præuenerint, cum quibus librarũ auri nouem millia in vnum cõgesta sunt: quod omne in id bellũ subinde contulerunt. Interim Sylla varijs contentionibus distinebatur, quemadmodum à nobis ciuilibus in bellis perscriptũ est. Mithridates ex quo plurimas Rhodijs naues imposuerat satrapis vrbiumq́ primoribus secreto perscripsit, vt trigesimã diem obseruantes omnes pariter Romanos qui apud eos essent, & Italos, eorumq́ mulieres cũ pueris & liberis qui Romani sanguinis esse censerentur, interficerent, eosq́ insepultos abijcerent: bona autẽ eorum cum rege diuiderent. Pœnam quoq; per præconẽ annunciari iussit ijs

qui vel eos sepeliuissent, aut aliter occuluissent. Præmia verò proposuit qui indicia tulissent, vel latitantes interfecissent, seruis quidem supra dominos libertatē, debitoribus in fœneratores dimidium eius quo tenerentur. Et hæc quidem secrete omnibus à rege imposita. Cùm adesset destinata cædi dies, vniuersa per Asiam calamitatū multiformes visebātur aspectus quarū nonnullas huiusmodi fuisse constat. Ephesij eos qui in Artemisium confugerant, statuas cōplexos, per vim detrahentes interfecerunt. Pergameni illos qui in Aesculapij templum se contulerāt, & abire recusantes, sagittis confecerūt, quāquam simulacris deorū inhærentes. Adramitani si quos è via fugientes deprehendissent, inuadentes in mare iaciebant, eorumq; impuberes vnà submergebant. Caunij sub Antiochi bello, cum Rhodijs tributarij effecti essent, & à Romanis pauloante liberati, Italos in templū Vestæ fugientes è loco rapuerunt, & primum quidem infantes in conspectu matrum necauerūt, deinde matres super illos, nouißime autem viros illis addiderunt. Tralliani Theophilum quendam ferum & agrestem hominem conduxere pretio, qui vniuersos in templo congregatos cædere orsus, ijs qui statuas amplexi essēt, abscidit manus. Talibus igitur qui in Asia fuere Itali ac Romani exagitabātur cladibus, nec solum viri, sed mulieres & infantes, eorumq; liberti,

liberti, seruíq́ꝫ, & quicunq́ꝫ Itali censerentur esse. Qua ex re clare intueri licuit Asiam nõ tã metu Mithridatis, quàm odio in Romanos sic impie crudeliterq́ꝫ desæuisse. Sed hi duplices sustinuere pœnas, Mithridate non multo post varias illis inferente iniurias, & Cornelio Sylla bello subinde in eos insurgẽte. Mithridates post hæc in Choum classe delatus, Chois pergrate eũ suscipientibus, Alexandri filium eius qui Aegypto præfuerat secum duxit, multisq́ꝫ cum pecunijs à Cleopatra auia relictum in Choo regiè penes se habuit. Ex Cleopatra autem thesauris gazam, plurimum ornatam, preciososq́ꝫ lapides, ac muliebrem mundum, infinitamq́ꝫ vim pecunia præmisit in Pontum. Interea Rhodij mœnia vrbis ac portum munire adorsi, machinas illis imposuerant, & quidam cum ipsis ex Telmissijs Lycijsq́ꝫ pugnabãt, & quicunq́ꝫ Itali ex Asia fugissent, cum illis se coniunxerant. Aderat & L. Cassius Asiæ proconsul. Adueniente igitur cum classe Mithridate, Rhodij euacuaue re suburbia, ne quid vtile relinqueretur hostibus. Demum ad pugnam conuersi naualẽ, quasdam à fronte, nonnullas à lateribus opposuere rates. Mithridates quinqueremi profectus in altum suis imperat, vt in mare cornua extenderent, deinde citato remigio hostes numero inferiores omni ex parte inuaderent. Quod animaduertentes Rhodij, veriti ne ab illis circun-

uenirentur, paulopost abiere. Inde fuga in portū delati, oppositis claustris, è mœnibus propulsabāt hostes. Mithridates diu commoratus, cùm assiduè portum ingredi conatus ab incepto frustraretur, pedites ex Asia affuturos opperiri statuit. Interim breues cōtinuaq́ inter eos pugnæ gerebantur, qui ad mœnia cōstiterant, in quibus cum Rhodij superiores euasissent, non multo post audacia repleti, naues quas in promptu habebant, captato tempore in hostes mouent. Oneraria regis naui velociter faciente, Rhodiorum dicrota in eam mouit, alijsq́ hincinde in auxilium affluentibus, acre prælium exoritur. Mithridate autem excandescente & nauium multitudine in eum insurgente, Rhodij nauigandi peritia scaphis circumuecti eos vulnerabant. Demum triremem viris oneratam pluri maq́ ex nauibus spolia ferentes in portū redierunt. Inter hæc quinqueremē ab hostibus captā ignorantes ad inquirendā eam conuertuntur, præmissisq́ leuioribus adnauigare incipiunt. Inter has Damagoras classis præfectus ferebatur. Mithridates quinq́ & viginti naues antemittit, quæ illi occurrerent, quoad Damagoras circa solis occasum retrocedere cœpit. Iā nox aduentabat, cum eas quæ reuertebantur aggressus, duas immersit vndis, totidem verò in Lyciam conuersas persecutus est: demum nocte superato pelago ad suos rediit. Et hic finis mariti-

mi belli cũ Mithridate Rhodijs fuit. Quod insperatum ob paucitatem Rhodijs, Mithridati vero ob multitudinem militũ contigit. Hoc praelio adnauigante rege, & suos ad pugnã adhortante, nauis Chia quae auxilio illi aduenerat, in regiam incidit, eaq́; ex tumultu confracta est. Verùm rex tum nihil videre simulans, gubernatorem postmodũ & qui in prora fuerat poena affecit, Chijsq́; omnibus succensuit. Iisdẽ ferè diebus peditatu ad Mithridatem onerarijs triremibusq́; aduecto, Chaonius incũbens ventus naues ferè omnes in Rhodũ propulit, quibus celeriter inuecti Rhodij, cũ à fluctibus concussae hincinde raperentur, nonnullas capiunt, quasdam penitus euertunt alias verò igne succendũt: captiuos quoque vsque ad quadringentos in potestatẽ redigunt. Quibus ex rebus Mithridates aliã denuò maris pugnã, obsidionẽq́; apparabat. Sambucam igitur quoddã machinamenti genus ingens duabus nauibus instituit, ac transfugis tumulũ quendã perfacilẽ ascensu regi ostendentibus, qui Tabyrij Iouis tẽplum ferebatur. & maceriam super illũ corruentem, exercitũ noctu nauibus imponit. Scalas porrò quibusdam attribuit, & ab vtraque parte cũ silentio subsidere iussit, quousque nõnulli ex Tabyrio ignem protulissent. Tum verò confertim quãmaximo quisque clamore posset, hos quidẽ portum inuadere, alios moenia scandere imperat.

rat. Illi miro silentio propius accedunt. Rhodiorum vigiles id ipsum sentientes, ignem proferunt. Mithridatis milites ignem è Tabyrio emissum arbitrati, ex longo silentio una voce clamare incipiunt. Qui scalas afferebãt, reliquiq; exercitus in auxilium aduolãt. Rhodijs ex aduerso illis reclamantibus, & impigre simul ad mœnia ruentibus, hostes nihil ea nocte moliti sunt. Orta die, ab illis repelluntur. Sambuca mœnibus impacta, ea ex parte ubi Isidis templũ fuit, timorẽ maxime intulit. Sagittas enim innumeras, arietes, telaq; emittebat. Milites scaphis plurimis cum scalis accurrebant, quasi ab ea muros ascensuri. Rhodij immoto gressu sustinuere hostes, quoad machina ex grauitate cõfracta est, ut Isidis prodigio ignis ab ea emissus videretur. Qua ex re Mithridates desperata pugna, exercitũ deduxit à Rhodo. Ad Patareos deinde copias agens, sacrum Latonæ nemus in conficiendis machinis cõcidere aggressus est. Verum somnio perterritus luco abstinuit, & Pelopidam qui cum Lycijs bellum gereret, ducẽ statuens, Archelaũ præmisit in Græciam, qui vniuersa vel gratia vel metu sibi adscisceret. Ipse cum cæteris ducibus temulentus, & vino madẽs, aut delectus faciebat, aut arma pertractabat, & cum Stratonicia oblectabatur muliere, & ius in eos qui vel insidias sibi intulisset, aut noui aliquid moliti esset, aut omnino Romano-

rum

rum partibus fuissent, proferebat. In his itaq; versabatur rex Graecia vero haec deinceps secuta sunt. Archelaus magno commeatu & exercitu classem mouens, Delum ab Atheniensibus deficientem, aliaq; loca vi ac potentia redegit in ditionē, viginti millibus hominū his in locis neci traditis, quorū plurimi Itali fuere. Loca praeterea Atheniēsibus attribuit, aliaq; huiusmodi arroganter admodū exercens, & Mithridatē vt plurimū extollens, ad amicitiam cōpulit. Pecunias verò & sacra per Aristonē Atheniensem, ac pecuniarū custodes vsq; ad duūm milliū numerū praemisit è Delo, quibus vsus Ariston tyrannidem patriae intulit, ex Atheniensibus hos statim interficiens, veluti Romanorum secutos partes, alios ad Mithridatem ire iubens. Et hic quidē Epicuri edoctus disciplinis. Sed nec profecto solus iste Atheniēsium, neque Critias etiam ante hunc, & quicunq; cum Critia philosophiae vnà dedere operam, tyranni extiterunt: sed in Italia & Pythagoras, & in reliqua Graecia qui septē sapientes dicebantur, & qui negotia sibi desumpsere, potentia vsi sunt & tyrannide crudelius plerunq; ignaris literarum, sic vt de alijs philosophis dubium sit, ac suspiciosum, an propter virtutem, aut paupertatem potius & inhabilitatē rerum gerendarū, solamen quoddam sapientiam sibi effecerint. cū plurimi ignorantes nunc & egeni, aut necessitate ad philo-

sophiam

losophiam delati. diuitibus ac principibus calũnias, acerbè inferant, non ob insolentiã diuitiarũ magis, aut principatus gloriã, quàm ob inuidiam hæc ipsa proferẽtes. Eos autem multò sapientius despiciunt ij quibus calumnia infertũtur. Hæc igitur quisſiam Aristonis philosophi gratia dicta arbitretur, qui huic sermoni causam præbuit. Achiui deinde ac Lacedæmonij cum Archelao conuenere, & Bœotia omnis exceptis Thespijs duntaxat, quos aggressus obsidebat. Ea tẽpestate Metrophanes alijs cũ copijs à rege missus, Euboiã ac Demetriadẽ Magnesiamq; Mithridatis iussa contẽnentes bello infestabat. Bryttius ex Macedonia delatus exigua classe illi obsistebat, & nauigium quoddã cum sexcuple immergens mari, omnes qui in eis fuerant, occidit: quod aduertens Metrophanes pauore ductus fugã arripit. Ipsum quidẽ prosperrimo vẽto vsum cũ Bryttius assequi nõ posset, Sciathum deprædatus est, qui locus barbaricæ prædæ velut horreum quoddam fuit: & seruos quosdã ebriũ suspẽdit liberis verò abscidit manus. In Bœotios postea cõuersus, alijs mille equitibus peditibusq; ex Macedonia illi aduentantibus, circa Cherroniam Aristoni Archelaoq; per tres dies cõgressus est. Cùm par labor ac certamẽ vniuersum teneret prælium, Lacedæmonijs & Achiuis in auxilium Archelao Aristonisq; proficiscentibus. Brytius omnibus in vnũ

colla

collatis se imparē arbitratus, ad Piræum profe ctus est quoad Archelaus classe delatus locum tenuit: Sylla ab Romanis ad bellū Mithridaticum electus imperator, legionibus quinque stipatus ac cohortibus quibusdā turmisq́ adiunctis, ex Italia in Græciam enauigauit. Eo in loco pecunias statim à socijs cōmeatumq́ ab Aetolis Thessalisq́ collegit. Cùm verò abunde prouisum videretur, in Atticam contra Archelaū proficiscitur. Iter agenti Bœotia omnis paucis exceptis obuiam illi prodijt. Inclyta Thebarū ciuitas, reiectis admodū leuiter Romanorū partibus, Mithridati obsequebatur. Sed ea prius quàm ad manus veniret ab Archelao ad Syllam subito defecit. Ipse in Atticā conuersis signis parte copiarū ad vrbē præmissa, Aristionē obsidere cœpit, & vbi Archelaus inerat, ad Piræum peruenit, hostibus intra mœnia conclusis. Erat autem murorū altitudo cubitis quadraginta amplior, machina omnis ex lapide quadrato, ingentiq́ cōpacta, Periclionis opus: cum Peloponnesiaco bello Atheniensium dux spem omnem victoriæ in Piræo posuisset, eum locum maxime cōmuniuit. Sylla perspecta murorū altitudine, statim scalas iussit apponi. Cúmque multa tentaret, pluraque pateretur, Cappadocibus vehementissime pugnantibus, tandem labore confectus, in Eleusinam concessit, ac Megara. Ibi machinas in Piræum strui iubens, aduer-

sum

ſum excogitauit aggerē. Opera enim & apparatus omnis, ferrū ac catapultæ, & alia huiuſmodi ex Thebis afferebantur. Academiæ luco conciſo ſublimes machinas fabricatus eſt. Truncos prætereà ingētes arborū ramis exutos, lapides, ligna, magnamq; vim terræ ad aggerē cōgeſſit. Interim duo ex Piræo ſerui Attici Romanis fauentes, vel ſibijpſis ſiqua fuga incideret cōſulentes, bullas quaſdam ex plumbo inſcriptas, quid continue ab hoſtibus fieret, funda ad Romanos iaciebant. Idq; cum diutius feciſsēt, ita vt noti iā eſſent Romanis, Sylla animū illis adijciens, hæc ſcripta cōperit. Sequenti die pedites in operarios à fronte curſum emittent, equitesq; ab vtroq; latere Romanos inuadent. Ea re percepta, exercitū ingentem occulens Sylla, cū hoſtes curſu deferrentur, idq; repentinum eſſe credidiſſent, ipſe copias iampridem latitantes multo celerius in eos emittit, plurimisq; interfectis, nonnullos in mare depulit, ita vt ab huiuſmodi inſultu deinceps temperarent. Elato iam admodum in ſublime aggere, Archelaus turres aduerſas illi ſtatuit, ac multa ſuper his erexit inſtrumenta, nouas quoque denuo copias ex Chalcide cæterisq; accerſebat inſulis, remiges etiam armis inſtruebat, quaſi periculo omni ex parte prodeunte. Fuerat maior Syllæ exercitus, & ex his maiorem Archelao adeſſe contigit. Nocte media Archelaus multis luminibus accurrens,

rens, alteram ex testudinibus, omniaq́ue quæ super illam machinamenta fuerant incendit. Diebus decē Sylla alijs denuo refectis, eodem loco quo prius steterant, imponit, quibus Archelaus turrē è regione muri opposuit allatisq́ue cum classe alijs à Mithridate copijs, quas Andromichetes agebat, omnes in pugnam extulit. His sagittarijs funditoribusq́ue permixtis, sub ipsis mœnibus instruxit aciem, vt mœnium quoque custodes, hostes propulsare possent. Alij præterea in portis ignē deferentes, tēpus quo emitteretur expectabāt. Cum pugna difficilior vtrinque fieret, vtraque pars per vices inclinare cœpit, & primū quidem barbari, quoad Archelaus eos sustinens reduxit ad pugnā. Ea ex re turbati Romani, cū ipsis fugere incipiunt. Sed his Murena obuians denuo cōuertit. Itaque rubore conciti pugna vndique feruente in Mithridatis aciem fecere impetum, & ex hostibus ad duo millia interficiunt, cæteros intra mœnia compellunt. Archelaus iterū eos auertens, ac ob promptitudinē diutius pugnans, à mœnibus exclusus fune relatus est in arcē. Sylla eos qui infamia notati strenuè tamen bello interfuissent pœna liberauit, alios multis accumulauit donis. Instante deinde hyeme in Eleusina exercitum constituens, fossam desuper à mari ingentē fodit, ne hostiū equitatus ea ex parte facile decurreret, quanquā hac ipsa laborantem

noua quotidie prælia lacesserent, nōnunquam circa fossam, aliquādo è mœnibus egredie̅tibus sæpenumero hostibus, et lapidibus, sagittis, fundisq; certātibus. Ipse cū classe indigeret, in Rhodū misit. Addubitantibus Rhodijs classem emittere Mithridate obsidente maria, Lucullū virum illustrē & Romanū, & sub se prætorē eo in bello in Alexandriā & Syriam ad reges ciuitatésq; quæcunq; classem continerēt, clàm adnauigare iussit, nauesq; in Rhodū mittere. Obsesso vndiq; pelago hostili classe, nihil tamē veritus Lucullus in Zeletiū descendit, & nauem ex naue permutās, quò facilius latere posset, in Alexandriā tandē venit. Interea qui è muris quæcunq; interius fierent, funda Romanis annūtiare consueuerāt, denuo scripsere Archelaum nocte insequēti per milites frumētum Athenas missurū ijs qui fame premerentur. Sylla dispositis insidijs, milites frumentūq; deprehendit. Eamet die Munatius circa Chalcidem Neoptolemū alterum ex Mithridatis ducibus vulnere afflixit, & ad mille & quingentos interfecit. Suscepit & captiuos plurimos. Nō multo post in Piræū vigilibus adhuc nocte quiescentibus, Romani ob machinarū propinquitatē scalas muris afferentes, mœnia ascendūt, & qui proximiores custodibus fuerāt interficiūt. Qua ex causa nōnulli barbarorū à Piræo desiluere murū veluti ab omni parte intercep

ceptũ relinquentes. Quidã audacia freti, ducẽ eorũ qui ascenderant, interemerũt, reliquosq; ab extra detrudũt. Postremo portas egressi, alteram Romanorũ incendissent turrẽ, nisi ab exercitu occurrens Sylla noctem perpetem insequentẽq; diem illis obuians, machinas ab igne esset tutatus. Ac tũc quidẽ cessere barbari. Archelao verò turrẽ alteram ingentem supra muros aduersam Romanorũ turri statuẽte, vtraque ex parte inuicẽ pugnatum est, assiduaq; frequentia vndiq; emittebãtur tela, quoad Sylla ex catapultis viginti simul plũbeas emittens pilas multos occidit, & Archelai turrem confregit, inutilẽq; reliquit, ita vt Archelaus ex timore post mœnia latere cogeretur. Increbrescente dietim in vrbe inedia atq; fame, funditores denuo hæc plumbo inscripta annuntiant. Archelaũ sequenti nocte commeatũ in vrbem esse missurũ. Archelaus contrà aliquã proditionẽ, aut indicium rei frumentariæ adesse suspicatus, simul cum emitteret, nonnullos in portis ignẽ in Romanos delaturos collocat, si fortè Sylla frumentũ conaretur inuadere: quod vtrunq; euenit. Sylla quippe frumẽtũ deferẽtes intercepit, Archelaus verò quasdã ex machinis cõbussit igne. Ea tempestate Arcathias Mithridatis filius alijs stipatus copijs in Macedoniam descendens, haud quaquã difficulter prouinciam cepit, modica Romanorũ manu in ea residẽte.

Satrapas quoque sibi asciscens in Syllam vertebat exercitum, verum non multo post valetudine correptus, circa Tydeũ extinctus est. Atheniensium interea urbe fame laborante, Sylla custodijs appositis ne quis egrederetur, ut ex multitudine vehementius augeretur fames, summopere curabat. Aggerem autem versus Piraeum in arduũ adducens machinas imposuit. Archelao deinde aggerem suffodiente, & terram ut plurimũ latenter asportante, agger inopinè corruit: verũ occursus antecapto sensu Romani machinas è loco submouẽt, aggeremque denuo implent. Eodemque modo & ipsi terram ad muros fodere incipiunt. Sub terra igitur invicem congressi telis ensibusque è manu missis, quoad fas erat, in obscuro depugnabãt. Dũ haec inter eos geruntur, Sylla ab aggere multis erectis machinis muros ariete concutit, & parte inferius deiecta, turrẽ quae in proximo fuerat, incẽdere festinat. innumerae quippe in eũ faces telaque torquebantur. Audaciores etiã cum scalis ad moenia praemittit. Festinãtibus ab utraque parte omnibus, turris igne corripitur, & muri parte delapsa Sylla custodiã imponit. Disiecta autem muri fundamẽta lignis annexa sulfure, pice, stupaque repleta ab omni parte flammas effundunt. Alijs itaque super alios corruentibus, qui moenibus institerant, ad ima devoluũtur. Repentinus quippe tumultus & in latum diffusus

fusus omnes custodias subito exterruit, quasi quod sub ipsis steterat, vnà laberetur. Ex quo ad omnia assiduè conuersi, mentē ex timore amiserāt. & leuius hostes instantes repellebāt. Sylla eo modo labentes strenuè aggressus & ex proprijs defessis commutans, integros alios super alios lanceatores emittit. Cū scalis praeterea clamore & adhortatione conuertens, minis simul suasionibusq; ad bellum excitabat, quasi in hoc duntaxat modico de tota esset pugna iudicandū. Archelaus altera ex parte territis milites alios opponens, praeliū subinde renouabat, vniuersos inuocās & ad pugnā excitans. in hoc vno salutem illis sitam esse referebat. Magna itaq; promptitudine ac diligētia vtraq; ex parte feruentibus, laboris tolerātia, caedesq; inter vtrosq; par similisq; visebatur, donec Sylla exterius progressus cū vehementer laboraret, exercitum tuba iussit reuocari, & militibus eductis eorū virtutē admiratus est. Archelaus interim moenia praelio collapsa nocte reparabat, plurima ex lapide rotundo interius aponēs. Ob id Sylla vniuerso cū exercitu debilia admodum atq; humida, & quae facile deleri possent, expugnare ratus praelium inijt, Verum cū in arcto pugnandū esset, milésque desuper à frōte per apices & infirma quaeque veluti salebrosis in locis atteretur. Piraei tandem oppugnationem omisit. & ad vrbis ob

sidionem, ut hostes fame enectos facilè opprimeret, se cõuertit. Intelligebat enim eos qui in ciuitate obsidebãtur, fame adhuc magis laborare & iumentis omnibus absumptis, coria bursasq; decoquere, excremẽta etiã assumere, nonnullos porrò cadaueribus uti humanis. Exercitui igitur ut urbẽ circunquaq; uallaret, imponit, ut ne unicus quidẽ latẽter posset euadere. His ita constitutis, scalas adduci, muros perfodi imperat. Cũ fuga ut inter debiles fieri cœpisset, urbẽ ingreditur, & statim in urbe occisio immensa nulla adhibita misericordia exoritur. Nõ enim ob debilitatẽ fugere poterant neq; in mulieres aut infantes pietas ulla uisebatur, Sylla obuios quosq; ob irã per præconem iubente interfici, cum simul ex celeritate & in barbaros subita mutatione immoderata contentione uteretur, adeò ut plurimi intellectis ijs quæ per præconẽ nuntiabãtur, seipsos interfectoribus obijcerent. Paucorũ debilis admodũ erat in arcẽ cursus. Cum quibus & Aristion unà fugiens orchestrã incendit igne, ne parata lignorũ materia, Sylla facilius arcẽ expugnaret. At ille urbem uetuit incendi, diripere autẽ quæcunq; exercitui concessit. Pluriumq; in domibus humana corpora in cibos præparata inuẽta sunt. Post hæc Sylla seruos omnes uendidit, liberis autẽ quicunq; ingruẽte nocte sibijpsis non attulissent manus (quorũ minimus fuit numerus) libertatẽ

clar

elargiri dixit, & decretum quo in victos vti licet, penitus adimere, eadẽq; filijs & nepotibus eorũ indulgere. In hunc modũ Atheniensiũ cladibus finis tandẽ datus est. Sylla his peractis, custodia arci apposuit, & Aristonẽ, reliquosq; qui in eã confugerant fame ac siti maceratos, non multo post redegit in potestatem. Ipsum quoq; Aristonẽ, & qui cum illo grassabãtur, aut principatũ moliri cœperãt, aut quid aliud iniustè egerant cum primũ Græcia à Romanis capta eorum ditioni subiecta est, morte mulctauit, cæteris verò pepercit. legem præterea omnibus imposuit, quẽadmodũ à Romanis per prius illis fuerat edictum. Elata ex arce referuntur auri pondo quadraginta, amplius argenti sexcenta. Et hæc quidem circa arcem modico pòst confecta. Sylla quamprimũ capta vrbe nihil immoratus Piræũ obsidere pergit, simulq; arietes & sagittas ac tela torquebat, viros porrò quãplurimos qui testudinibus operti muros foderent, ac cohortes quæ muris imminẽtes iaculis sagittisq; abigerẽt, vndiq; constituit. Lapides insuper humidos adhuc, ac minus inter se copulatos, cũ nouiter erecti essent, facilè disiecit. Cedẽtibus ipsis, cum Archelaus per prius alios erigeret, & multos his similes interius ædificaret muros, insuperabilis, continuusq; Syllæ obijciebatur labor, cum ex vno in alium desilire opus esset, & impetu assiduo &

thæ, Cappadoces, Bithynij, Galatæ, atq; Phryges. & quicunq; à Mithridate nouißime subacti fuerãt. Vsq; ad centũ viginti millia hominũ, quibus duces per partes aderant. Super omnes autẽ Archelaus imperabat. Sylla cõtra Italos ducebat. Græcorũ præterea ac Macedonũ quicunq; prius ab Archelao ad eũ venerant, & ex finitimis, nõnullos, qui omnes ne ad tertiam hostium attigere partẽ. Cum aduersi inter se stetissent, Archelaus suos in aciẽ disponit, hostes continuo in præliũ lacessens. Sylla cũctandũ ratus, loca multitudinemq; contẽplabatur hostiũ. Recedentem deinde in Chalcidem Archelaum insecutus tempus & locum obseruabat. Cum illum circa Cherroniã inter aspera quæque castrametantem offendisset, vbi non nisi vincentibus reditus vllus præstabatur, cãpum ingentem ac proximũ inuadens, subito copias mouit quasi nolentẽ etiam in pugnam coacturus Archelaum. In quo cũ supinus & apertus esset locus, facile ad insequendũ & recedendum præstabat iter. Archelaum verò rupes vndiq; cingebãt. Quæ res ne commune quidem opus vlla ex parte vtrisq; fecerat. cum propter inæqualitatem, quo in loco consisterent, non haberent, & terga vertentibus ob rupes difficilis esset fuga. His itaq; rationibus ex locorum difficultate permotus Sylla in eum proficiscitur, satis gnarus multitudinẽ nihil vtilitatis Ar-

chelao afferre posse. Sed ille nec tũ pugnæ omnino se immiscuit, ociosesq; eo in loco morabatur. Insurgente demũ Sylla, inter ipsas rupes tarde Vixq; præsenserat, quosdã etiam præmisit equites qui illi obsisterẽt. Conuertentibus se retro illis, & inter rupes decurrentibus, sexaginta emisit currus, Vt hostiũ aciem magno conatu infringeret. Cedẽtibus Romanis, currus ex impetu in Vltimos delati, cũ nullo pacto retrouerti possent, sed ab illis obsiderẽtur, raperẽturq;, confracti sunt. Archelaus quãquã securè adhuc è castris pugnare posset, citòq; inter rupes referre exercitũ, cum impetu aciem emittit, in ordinemq; celerrimè tã immensam multitudinem, & periculi sui haud satis gnarã, ipse inter angusta cõstitutus loca subito exponit, Syllã iam appropinquantẽ intuens. Principio itaque equites celeri cursu in hostes concitãs Romanorum phalangem per mediũ secuit, & in duas diuisam partes ob paucitatẽ circundare aggreditur. Illi in omnes conuersi strenuè pugnabãt. maximè Verò laborabant ij qui circa Galbam Hortensiumq; Versabantur, quibus Archelaus aduersus steterat, barbaris, Vt in cõspectu imperatoris, cum promptitudine audaciaq; pugnãtibus, donec Sylla equitatu plurimo instante, Archelaus militaribus ex signis, puluereq; in altum edito, imperatorem adesse ratus, Vlterius Romanos circundare omisit, seq; in ordi-

nes denuo retulit. Sylla ex equitibus præcipuos quosq; producens duabus cohortibus in transitu assumptis, continuè eos obseruabat, & hostibus nendũ in circuitũ prodeũtibus, aut à fronte firmè permanentibus inuehitur, & magna eorũ parte concisa in fugam vertit. Incipiente ab hac parte victoria, Muræna in læuo constitutus cornu, neutiquam moratus est: verũ qui sub se fuere increpatis, & hostibus strenuè incũbens, vehementius insequi cœpit. Cõuersis iã Archelai cornibus, neq; qui in medio erãt persistere, sed repentina inter omnes fuga excitur. Hæc in loco quæcunq; Sylla opinatus fuerat, euenere hostibus. Non enim locum facilẽ aut ampliũ quo fugerent habentes, à persequentibus inter rupes trudebantur, ex quibus nonnulli eo in loco concidebant quidam sponte ad exercitũ redibant. Archelaus eos suscipiens, imprudẽter tum maximè se hostilibus inclusit cladibus. Castrorum enim portas occludi, & in hostes redire imperat. At hi ex promptitudine facilè reuertebantur, verum neque præsentibus ducibus, à quibus in ordinem redigerentur, neque suorum signa satis discernentes, cum inordinata quisq; conuersione raperetur, locumq; vel ad fugam vel ad pugnam ignorarent, cum angustior ex insecutione illi fieret. veluti per inertiam paßim cædebantur: nonnulli in hostes nihil attentare ausi, quidam à seipsis & loci angustia oppreßi

ad

ad portas ferebantur, circaq́; illas intercipiebantur, eos à quibus exclusi fuerant increpantes, deos patrios, ac domestica quæque aduersa ipsis precabātur, quasi non ac hostibus magis quàm ab illis eos despicientibus interficerentur, quoad tandē Archelaus, sero tamen, portas ex necessitate iussit aperiri, ab nullo ordine excepit fugiētes. Romani his intellectis, se inuicem in hostes adhortati cursu fugientes insequuntur. Ita in exercitū delati, victoria ad vltimū potiti sunt. Archelaus caeteriq́; omnes se paratim sibi quisq́; fuga cōsuluere, & in Chalcidē profecti ex centū viginti millibus vix decem millia eo ex prælio in vnū colligūt. Ex Romanis quinq́; dūtaxat et decē desiderati sunt, ex quibus duo demū redierunt. Hic igitur Syllæ & Archelao Mithridatis duci circa Cherronā belli finis, Syllæ potissimū prudentia, et Archelai inscitia, in hunc modū ab vtroq́; gesti. Sylla magnum captiuorū armorūq́; numerum ac prædā nactus ingentē, inutilia in vnū cōgregās, vt Romanis mos fuit, adhibito igne ipsemet Martialibus adoleuit dijs. Modicis deinde satisfacto milite, ad Euripum cum expeditis in Archelaum contendit, qui classe carentibus Romanis intrepidè insulas circūnauigabat, maritimaq́; omnia depopulabatur, & Zacyntho egrediens, cum castrametatus esset, & à nonnullis Romanorum insidias illi struentibus

bus impediretur, noctu inopinè euadēs, denuo in Chalcidē delatus est prædatori magis quā bellatori assimilis. Mithridates tā insigni clade accepta subitò vt in re maxima cœpit trepidare. Exercitū insuper alium ex omnibus quæ sub eo fuere nationibus summa celeritate collegit, arbitratus etiā ob eiusmodi cladē nōnullos aut statim aut cū tēpus affuisset, in eum moturos arma, suspectos omnes prius quàm bellū oriretur in vnum cōtraxit, & in primis Galatarū tetrarchas, qui cum eo, vt amici vnà militauerant: & quicunque illi non parebāt, cum filijs & vxoribus neci tradidit, tribus dūtaxat fuga ereptis nōnullis insidias præmittens, quosdā in cœnaculo vnica nocte cōficiēs, ratus nihil tutum sibi futurum appropinquāte Sylla: & substantias eorū sibi vendicans, custodias intulit ciuitatibus. Satrapen quoq; ad eas gentes misit præpotentē, quē statim tetrarchæ qui ab eo aufugerant congregato exercitu præsidijs à Galatis expulsis è regione pepulerūt, ita vt Mithridati Galatarum pecunias tantummodo contingeret habere. Chijs autē succensens ex quo nauis eorum ad regiā delapsa eo prælio quod apud Rhodios gestum est, eā latenter incurrerat primùm eorum bona qui ad Syllam transfugerant, publicauit. Ad hæc quæ Romanorum fuerant in Chio, qui inquirerent emisit. Postremò cum Zenobius cū exercitu in Græciā proficisci

dice

diceretur, Chiorũ mœnia & quæcunq; alia munita loca noctu inuasit. Deinde præsidijs appositis ad portas, hæc per præconẽ annunciari iussit, peregrinos omnes tutos fore, & illæsos, Chios autem ad consiliũ accedere oportere, cũ nonnulla ipsis à rege esset relaturus. Cum in vnum omnes conuenissent, hæc breuiter retulit. Quoniã rex de ciuitate illa dubitaret ob eos qui Romanis fauerẽt, à suspicione cessaturũ si arma attulissent, & pueros nobiliores obsides dedissent. At illi ciuitatẽ iã captã intuentes, vtrunq; tradidere, quæ omnia à Zenobio ad Erythras missa sunt. Post hæc veluti à rege ad Chios perscribente, huiusmodi epistola prolata est. Beneuoli adhuc estis Romanis, cum multi ex vobis apud eos diuersentur & eorum contubernijs vtamini, nos vtiq; spernẽtes. In meã præterea nauim cum apud Rhodum bellum gererem, triremem vestram impulistis, à qua confracta est: quæ omnia patienter ferens, spõte in gubernatores solos animaduerti, vt salui esse possetis, & beneuoli mihi esse atq; amici. Vos autem nũc etiam latenter optimos ex vobis ad Syllam mittitis, nemine vestrum vt à cæteris sibi impositum ostendente, aut quod huiusmodi actorum opus sit annunciante. Hos igitur imperio corporique meo insidiantes amici mei nõ iniuria morti cõdemnarũt. Ego autẽ mulcta talentorum duũm millium vos condemno. Huiusmodi continebat

episto

epistola. Cum legatos ad regē mitti poposcissent prohibente Zenobio armis spoliati, & filijs quos potiores habuerant exuti, tam immenso barbarorum instante exercitu, lacrymantes quoque deorum ornamenta atq; mulierum in supplementum huius oneris coacti sunt conferre. Quibus peractis, Zenobius argenti pondus imperfectum causatus est, ciues in theatrum conuocari imperat, & exercitu vndique apposito nudis ensibus, cæterisq; angiportibus obsessis, vsq; ad mare eos deduxit, vnunquenque ex theatro euocans, ac separatim viros, separatim mulieres filiosq; nauibus imponens, rituq; barbarico crudeliter abducēs, ad Mithridatem misit, qui omnes ad Euxinum Pontum duci iussit. Hæc igitur in Chios acta. Zenobiū verò Ephesij cum exercitu ad eos venientem arma ante portas deponere & cum paucis ingredi iussere. Quod facere pollicitus, transijt ad Philopæmenē patrē Monimes, quæ à Mithridate diligebatur, præsidem Ephesiorum à Mithridate constitutum, & Ephesios per præconem in concilium iussit acciri. At illi nihil vtile ab eo euenturum expectantes, insequentem diem distulerunt, & nocte alios excitantes adhortantésque, Zenobium in carcerem coniectum necauerunt. Deinde interceptis mœnibus, multitudine ex agris vndique collecta, ciuitatem in potestatem eorum redegerunt. Quæ intelligentes Tralliani,

& Hypapeni, & Mesopolitæ, & alij quidam quæ Chij pertulissent, eorũ casus miserati, paria Ephesij operati sunt. Mithridates ex quo exercitũ ad eos qui defecerãt emisit, & pleraq; in illos quos susceperat, crudeliter operatus est, pro reliquis anceps & dubius, Græciæ ciuitates libertati reddidit, æris alieni remissionẽ per præconẽ iussit annunciari, et aduenas in quacunq; earũ haberi ciues, seruos liberos esse voluit, ratus cum illos in vnum collegisset qui fœnori obligabantur, aduenas præterea & seruos, quasi eius principatu minus firmè sibi futuros esse. Interim Miniõ & Neoptolemus. Smyrnei ambo, Clisthenes & Asclepiodatus è Lesbo omnes, regi noti, Asclepiodatus diàs apud eũ militaris ductor ordinis, vicissim in regẽ conspirarũt. Ex quibus Asclepiodatus coniurationis index, ad perhibẽdã fidẽ sub lecto quodã latuit, vt Minionẽ audiret loquentẽ. Conspiratoribus itaque comprehensis, & verbere affectis, suppliciũ de ipsis sumptũ est, Suspicio igitur multos ad similia impulit, & ex Pergamenis eadẽ meditantibus octoginta capti sunt, & in alijs ciuitatibus quamplurimi. Inquirens ergo Mithridates ad alias vrbes nonnullos misit. quorum industria publicatis sontibus ad mille sexcenti interfecti sunt, verùm ex accusatoribus ipsis non multò pòst quidã à Sylla necati nonnulli seipsos interemerũt, alij cũ Mithridate in Pontũ perfugerunt.

runt. His in Asia gestis, exercitũ vsq; ad octoginta militũ millia à Mithridate congregatũ, Dorialus in Græciã ad Archelaum deduxit, qui ex prioribus ad decẽ millia adhuc in armis continebat, Sylla castris ad Orchomenũ positis, contra Archelaũ cum equitatus multitudinẽ aduenientẽ conspexisset, campum fossis vndiq; muniuit decẽ pedũ in amplitudinem eductis, & accedente Archelao, capias aduersum statuit. Debilius autẽ pugnãtibus Romanis ob equitatus multitudinem plurimũ illos adequitans hortabatur ad bellum plerunq; etiam minis increpabat. Cum neq; illos in hunc modum excitare posset equo desiluit, arreptaq; aquila, camporum in medio cum scutiferis constitit voce horrida intonans. Si quis vos ó Romani interroget quo in loco Syllam imperatorẽ vestrum prodidistis, in Orchomeno pugnantẽ dicite. His auditis, copiarũ duces ex proprijs ordinibus ad eum iam periculo proximũ accurrunt. Aduolat & reliqua multitudo rubore ducta. Conuersione itaq; in hostes facta, tandẽ terga dare coëgerunt. Incipiẽte victoria, denuo in equum relatus, suos circũibat, strenueq; ad pugnam incitabat, quo opere finis bello datus est. Hostiũ ad viginti quinq; millia interiere, quorũ maior pars equites fuere, cũ quibus & Diogenes Mithridatis filius interẽptus est. pedites in exercitum confugerunt. Veritus igitur Sylla ne Archelaus

Vt prius cum ipse nauibus careret, in Chalcide perfugeret, campū ab omni parte noctu iussit custodiri, per diē nō vltra stadiū ab eo distās. Cū ad prælium neutiquā prodiret, cāpum in circuitu vndiq; perfodit. Milites tū vel maximè, vt residuum belli adimplerent adhortatus, hostibus haud longe distantibus exercitum quoq; ad vallum deduxit Archelai. Similia apud hostes ex mutatione secuta sunt, ducibus ob necessitatem hinc inde discurrētibus, et instans periculū illis ostendentibus increpantibusq; vehemēter, nisi à vallo prepulsarent hostes numero illis inferiores. Impetu igitur & vociferatione ab vtraq; parte editis, multa inuicem egregia belli facinora gesta sunt. Angulum deniq; castrorū obiectis clypeis inuadentes Romani lacerarunt, ad quos barbari è castris occurrentes, intra vallū constiterunt, quasi gladijs insurgentibus obuiaturi hostibus: neq; tamen quisquam ingredi est ausus. Primus Basillus posterioris ductor ordinis intecepit aditum, & aduersantem oppressit hostem. tunc vniuersus post eum secutus est exercitus. Fit fuga primùm, deinde hostium cædes oritur, nōnullis aduersantibus, quibusdā in propinquā paludē se impellētibus, nec vlterius sustinētibus impetū & prece barbarica interfectores eorū deprecātibus. Archelaus in stagno quodā & ipse latuit, et scaphis inuentis denuo in Chalcidem deuectus est. Eò loci quascunque

Mithri

Mithridatis copias adesse comperit, per partes inter pedites locatas mira celeritate collegit. Sylla die sequēti ductorē militū corona donauit, cæteris omnibus belli præmia contribuit & Bœotiam continuè deficientē depredatus, in Thessaliam ad hyberna se contulit, classem à Lucullo venturā opperiens. Dubius deinde quo in loco Lucullus moraretur, alias naues denuò contrahit. Cornelio interim Cinna & Caio Mario Romæ Syllæ aduersantibus, ac eum hostē decernentibus populi Romani, domū præterea & villas eius diruentibus, & amicos pariter interficientibus, nihil tamen solitæ potestatis omisit, exercitū promptū nactus ac fidelē. Cinna Flaccum in consulatu collegā sibi assumens, duabus cū legionibus in Asiā misit, vt Syllæ loco hostis iudicati ipse Asiā inuaderet, bellumq́; Mithridati inferret. Cùm rerum militariū admodum inexpertus esset Flaccus, vltrò è Senatu egressus est vir bellicis artibus insignis, cui Fimbria nomē fuit. In Brundusio igitur morā trahētibus, plurimæ naues vi tempestatis absorptæ sunt, & quæ prius recessere, exercitus alius à Mithridate missus incendit. Superbè igitur ac crudeliter se habente Flacco in supplicijs præmijsq́; militum, exercitus eum derelìquit, & pars eorum qui in Thessaliā præcesserant, ad Syllā defecerunt. Reliquos autem Fimbria cum Flacco tractabilior & humanior haberetur, ne defi-

cerent ab eo continuit. In conductione verò cuiusdam hospitij orta inter ipsum & quæstorem lite, Flaccus nihil iudicans, in Fimbriæ dignitatē quadā annotauit. Turbatus igitur Fimbria, Romam redire velle cōminatus est. Flacco autem successorē illi statuente qui hæc ipsa inquireret, custodiens illum Fimbria in Chalcidē adnauigantem, primū quidem Thermū facibus priuauit, eius loco prætorem constitutū à Flacco cui vt exercitus præturā dederat, ita Flaccum paulò pòst cum ira redeuntē insecutus est. Flaccus in domum quandā fugiens nocte superatis mœnibus in Chalcidē primùm, inde in Nicomediā fuga abijt, portasq; obserauit. Eum inuadēs Fimbria, demū in puteo latentē interemit, Romanorū cōsulem, belliq; imperatorem, cùm ipse priuatus duntaxat existeret: & veluti amico indulgeret, admonenti caput abscidit, in maréque proiecit, & reliquum deinde insepultū abijciens, seipsum exercitus imperatorem nuncupauit, & prælia quædam non ignauè cum filio gessit Mithridatis, regem in Pergamum vsq; persecutus, & à Pergamo in Pitanem aggressus, fugientem fossa circunclausit, quoad rex in Mytilenem classe delatus est. Fimbria Asiam ingressus, omnes qui Cappadocum partes secuti fuerant, supplicio affecit, & minus imperio suo obsequentium regiones depopulatus est. Iliensibus obsessis ab eo, & ad Syllam confugien

gientibus, Sylla ad illum accedere, & hoc tantum Fimbria dicere suaserat quòd se Syllæ dedissent. Quibus perceptis, Fimbria eos veluti Romanorum amicos collaudauit, monuitq; vt se etiã Romanorũ ciuem existentẽ intra vrbem reciperent per ironiã fassus Romanos atq; Ilienses inter se cognatione deuinctos esse. Ita vrbẽ ingressus omnes sibi obuios occidit, vrbẽ incendit, illos qui ad Syllã legati ierant, variè confecit, nullis præterea sacris pepercit neq; ijs qui ad Palladis templũ confugissent, quos cum templo simul igne conflagrauit. Disiecit & vrbis mœnia, & sequenti die omnia diligenter collustrans oculis, an aliquid ex vrbe superesset adhuc, inuestigauit. Hæc igitur deteriora ijs quæ ab Agamemnone olim pertulisset, ab cognatis passa Iliensium ciuitas funditus interijt, vt nullũ illis domiciliũ, nullũ templum, ac ne statua quidẽ esset residua. Palladis quippe sacrariũ, quod Palladium vocant, & à Ioue missum putant oraculum, tunc illæsum inuentum referunt parietibus supra ipsum delapsis, & vndique operientibus: nisi Diomedes illud & Vlysses bello Troiano, vt aiunt, ex vrbe sustulerunt. Hæc igitur à Fimbria in Ilienses gesta, tertia & centesima olympiade tunc primùm finiente quod nonnulli arbitrantur post Agamemnonẽ mille & quinquaginta annis huic vrbi accidisse. Mithridates ex quo cladẽ ad Orchomenum

acceptam intellexit, animo cõsiderãs quantam à principio multitudinẽ in Graciam misisset, quámve in præsenti esset habiturus, & in breui interitum omnium sibi affuturũ putans, ad Archelaũ misit, vt quoad liceret, honestiores belli inducias studeret adipisci. Is ergo cum Sylla in colloquiũ delatus, hæc inquit. Amicus vobis paternus existens, ô Sylla Mithridates rex ob aliorum imperatorũ auaritiã coactus est decertare, ob tuam autẽ virtutem finẽ huic bello cupit imponere, ob quã iusta illi imperaturũ te esse non dubitat. Sylla igitur ob nauiũ defectum ac pecuniarum inopiam quæ nullæ mittebãtur, cum nihil residui ex domo euenturum speraret, ab inimicis hostis iudicatus, assumptis iam ijs quæ in Pythia, Olympia, & Epidauro fuerant pecunijs, pro quibus æquo iure sacris locis dimidium Thebanæ regionis attribuerat, sæpenumero hostibus ob dissensionem deficientibus ab eo exercitum incolumem tutumq́ quoad liceret abducere festinans, ad inducias cũ hostibus accessit, hæc inquiens. Licuit ô Archelae Mithridati iniuriam passo ob ea quæ patiebatur, legationem emittere. Sed cum iniquè agens, tam immensas aliorum occuparit regiones, tantam virorum occiderit multitudinem, quæ cõmunia & sacra vrbiũ fuere priuata quoq; interfectorũ ad se vẽdicans, eaq́ ex causa in proprios amicos, vt ipsissimus, infide se exercens, plurimos

neca

necarit, & tetrarchas quos contubernales habuit, necnon vna cũ mulieribus & liberis, à quibus nũquã oppugnatus fuerat, neci dederit, in nos deniq; naturã magis hostilem & inimicã, quàm necessitatẽ vllã belli ostenderit. vniuersis malorum calamitatibus Italos qui in Asia fuere, persecutus sit, nec solum viros sed & mulieres & filios seruosq; quicunq; Italici generis censerẽtur esse, tantum Italorũ contraxit odiũ, qui nunc nobis paternã simulat amicitiã, vt necesse fuerit tot millia, vt recordamini, è vobis sub me cõcidere atq; debellari: propter quæ meritò nullã in rebus nostris fiduciam debuit apponere. Tui autẽ gratia intelligo eundem à Romanis veniam adipisci cupere si tamen re ipsa cupit ignoscere. Sin verò & nunc simulare, ante tempus est tibi Archelae hæc ipsa perscrutari, & diligenter animaduertere quemadmodũ præsentia erga te & illum sese habeant. Scrutari etiã quibus ille amicis & beneuolis vtatur nobis, Eumene & Masinissa. Hæc illi referẽte Sylla, experimentum obtulit, & veluti turbatus, truculentẽ tibi, inquit, imperiũ non proditurum te esse existimo, sed conciliaturum se tibi si æqua imperaueris. Cùm aliquantulum conticuisset, Sylla sic effatus est. Si exercitum quẽ habes Archelae, nobis integrum tradet Mithridates, prætorésque nostros reddet, tum legatos & captiuos, transfugas porrò ac mancipia

S 4 quæ

quæ à nobis aufugere, & Chios vltra hos, & quoscunque in Pontum alios misit, custodias è munitionibus omnib⁹ eduxerit, ijs exceptis quæ ante fœdera ista tenuit. belli præterea impensam eius causa à nobis gesti integrè persoluerit, et intra paterni regni fines se reduxerit, speramus Romanos non vlterius in eum moturos arma. Hæc igitur Sylla locutus est. Archelaus verò custodias è locis omnibus amouit. Pro cæteris autem ad regẽ misit. Sylla interim præmissis vacationem statuens, Enetos ac Dardanos, & quascunq; Macedoniæ finitimas gẽtes, quæ Macedoniam assiduè inuaserant, depopulatus est, exercitúque in hyberna deducto, pecunias omni ex parte cõtrahit. Aduenere interim à Mithridate legati, qui hæc dicerent, regẽ voluntati eius præterquã in restituenda Paphlagonia parere velle, cũ multo plura à Fimbria, si cum eo de pace agere vellet, posset consequi. Ea oratione perturbatus Sylla, & Fimbriam pœnas daturum esse, & ipsi in Asia existenti satis patere dixit vtrum his pacis conditionibus, an bello potius indigeret Mithridates. Quibus dictis, ad Cypsellia per Thraces deduxit, Lucullo ad Abydum præmisso. Iam enim ad illum redierat: qui cùm pluries à piratis penè foret interceptus, classem quandã in vnũ congregans ex Cypro, Phœnice, Rhodo, & Pamphylia, & plerunque hostes insecutus, Mithridatis etiam

naues

naues mari aggressus oppugnauerat. Sylla igitur ex Cypsellijs, & Mithridates è Pergamo, campi cuiusdã in medio cũ paucis in colloquium venere, exercitibus vtraque ex parte spectãtibus. Fuere autẽ Mithridatis sermones, amicitiæ recordationes propriæ, & societatis paternæ cum Romanis & de legatorum missione, ducumq; accusationibus ob insultus in eũ nequiter factos cùm Ariobarzanẽ in Cappadociam ducentes, Phrygiam sibi abstulissent, Nicomedẽ iniquè in eum agentẽ punire neglexissent: & hæc, inquit, pecuniarũ causa ab illis facta sunt, quæ inuicem à me & ab illis receperunt. Quod quispiam fortasse vestrũ ò Romani non inhonestũ duceret, quibus lucri inest cupiditas. Ingruẽte igitur à ducibus vestris in primis bello, quæcunque operatus sum, necessitate magis fecisse fateor, quàm voluntate. Hæc effatus Mithridates, loqui desijt. Sylla deinde sermoni eius responsum in hunc modũ præbuit. Ad alia, inquit, nos aduocas, ò rex, veluti qui præposita inprimis diligis, neq; dubitas de his quàm breuissimè verba facere. Ego Ariobarzanem in Cappadociam induxi Ciliciæ imperans, & hoc Romanis statuẽtibus, & tu nobis paruisti. Necesse igitur fuit responsum nobis reddere, nõ autẽ admonere nos, neque iãpridẽ cognitis cõtraria imponere. Phrygiã tibi Manius dedit pecunia corruptus: quod cõmune vtrisque delictum

 fuit,

fuit. & tu idē cōfiteris non iustè eam ex huiusmodi ambitu accepisse: Verùm Manius & in alijs quoq; apud nos ob pecuniā gestis repudiatus est, & omnia à Senatu dissoluta sunt. Eadē ratione & Phrygiam impiè tibi traditam, nō tributo obnoxiā esse voluit sed suis legibus immunem degere. Quibus ex causis nos bellū assumētes, minimè dignū arbitramur te huic imperare, quacunque ratione eā adeptus sis. Nicomedes quidē te accusat & Alexandrū vulnera corpori eius inferentē à te subornatum esse ait. & Socratē qui Christus appellatur, tuo auxilio in regnū eius immissum esse. Si tu vicissim ab illis vexabaris, Romam legatos mittere oportuit, & respōsiones opperiri. At si celerius Nicomedi irascebaris, quonā pacto Ariobarzanē nihil in te molientē regno eijciens, necessitatē præsentibus Romanis indidisti vt eū restituerēt? & inductū prohibēs, hoc bellū intulisti? sed cum agnosceres, ac spe cōplecterēris, tum demum vniuersi orbis imperium tibi adesse, cum Romanos superasses, occasiones huic libidini tuæ addidisti. Cuius rei argumentum in prōptu est, quòd Thraces & Scythas & Sauromatas, cū nondū cuiquam inferres bellum, in societatem pellexisti, ad finitimos quoque reges miseris, naues porrò fabricatus sis, gubernatores & remiges in vnum congregans. Maximè autem tempus insidias tuas arguit, quòd cum Italiam à

nobis

nobis dissidētem percepisti, occupationes nostras tā inde obseruans, Ariobarzanis statim & Nicomedi Galatisq; ac Paphlagonibus insurrexisti. Aggressus es & Asiam ad nos pertinentē. Quæ omnia cum adeptus fuisses, qualia operatus es vel in ciuitates quibus seruos liberos esse voluisti, vel obnoxios are alieno liberasti, vel in Græcos quorū vnica occasione mille & sexcentos interemisti, aut in Galatarū tetrarchas quos contubernales habens occidisti aut in Italos, quorū genus vnica die cū infantibus & matribus diuerso mortis genere occidisti submersistiq; non ad tēpla confugientibus coercens impuras manus. ob quæ quantā in te crudelitatē, quantámve impietatē, odijq; magnitudinē in nos contraxeris, quis non nouit? Ad hoc pecunias omnes tibi vēdicans, in Europam magnis exercitibus transmisisti nobis prohibentibus ne quis Asiæ rex in Europam penetraret. Classe deinde delatus, Macedoniam nobis parentem inuasisti, Græcis quoque libertatem ademisti: quorum omnium non prius te cœpit pœnitere, aut Archelaum pro his supplicē ad nos misisti, quàm Macedoniam tibi abstulimus, Græciam à violentia tua vindicauimus, centū & sexaginta millibus ex tuis exercitibus nostrorum manu cæsis, impedimentis & apparatibus tibi ademptis. Itaque maximè te miror nunc ista à nobis postulare ex ijs quæ per Archelaum exigis,

gis, nisi me longe existentem metuis, prope accedentē ad sumendas pœnas credis accedere eorū causa pro quibus nunc tēpus perijt supplicandi, te nobiscū depugnante, nobis verò fortißimè tibi resistentibus, & in finem vsque pugnaturis. Hæc Sylla cū ira referente, mēte collapsus Mithridates, vereri amplius cœpit, & conditiones ab Archelao oblatas vltro subijt, naues & alia omnia sibi tradidit. Inde in Pontum & intra paterni regni limites sese retulit, Et hic primū inter Mithridatē & Romanos gestū finem tandem suscepit bellū. Sylla deinde à Fimbria per duo stadia procul absens, exercitū sibi dari deposcebat cui præter leges imperaret. At ille cauillo vsus, nec ipsum à lege dicebat imperare. Sylla fossam illi circūfodiente, multis præterea nec occultè fugientibus ab eo, reliquos Fimbria in cōcilium aduocans, vt in obsequio persisterent, orabat. Respondentibus illis neutiquā cum ciuibus pugnare velle, dilacerata veste ad pedes cuiusque supplex se proiecit: cùm & illud quoque auerterēt milites, ac dietim ex suis ad Syllam se transferrent prætorū tabernacula cœpit circumire, & ex his quosdā pecunia corrumpens, in concilium vocauit, ac se denuò sacramento iußit obligare. Acclamantibus Enetis, necesse esse vnūquenque nomine ad iurandum conuocari, ille quidem per præconē sibi maximè obnoxios acciri imperat, & inprimis Nonium

in

in omnibus sibi participē vocat. Detrectante eo iusiurandū, ensem extendens mortē illi cōminatus est, donec acelamantibus cūctis pauefactus ab incepto destitit. Seruum deinde pecunijs ac spe libertatis adhortatus transfugam ad Syllā misit vt illum interficeret. Sed is Syllæ proximus, cum ex metu suspicionē indidisset, cōprehēsus machinati facinoris prodidit indiciū. Ea ex causa Syllæ exercitus ira concitus, Fimbriæ vallū magna indignatione circundedit. Calumniantes quoque eū milites, Athenionē inclamare occipiunt. Fuerat autem Atheniō qui alias Drepanitis deficiētibus in Sicilia exiguæ cuiusdā partis regem sese effecerat. Fimbria igitur desperatis omnibus ad aggerē profectus, Syllā in colloquiū vocare cœpit. Ille Rutilium pro se misit: quæ res ingenti Fimbriam mœrore potissimū affecit, cùm se congressu etiam ab hostibus cōcedi solito veluti indignū arceri cognouisset. Rogante deinde eo vt sibi ignosceretur si quid nouissimè peccasset, Rutilius Syllam vsque ad mare eum tutū permissurū ire pollicitus est, si ex Asia, cuius Sylla procul esset, velit enauigare. Ille verò aliud facilius iter se habiturum dicens, in Pergamū rediit, & ad Aesculapij templum profectus, ensem sibi intulit. Cum vulnus minus altè impressum esset, iussit seruum qui vnà aderat afferre manus. Ita ille dominū inprimis, deinde seipsum gladio confecit: In hunc

modum

modum igitur Fimbria cessit è vita, cũ multa in Asia contra Mithridatẽ bellum gerens nequiter egisset. Sylla libertis vt eum sepeirẽt facilè concessit seq; haud Cinnã & Marium imitari velle dixit, qui cùm Romæ multorũ necis causa extitissent, defunctorum cadauera pariter inhumata iacere neglexissent. Post hæc Fimbriæ exercitum ad se venientem perhumanè suscepit, cæterisq; copijs eius adiungens Curioni imperat, vt Nicomedem & Ariobarzanem in Cappadociam deduceret. Senatus autem de omnibus perscripsit, haudquaquã illi succensens quòd hostis esset iudicatus. Asiæ deinde rebus constitutis, Ilienses, Chios, Lycios, Rhodios & Magnesios, ac quosdã alios qui auxilia sibi attulissent, vel propter promptitudinem incõmodis affecti essent, ob quæ liberos esse voluit, in populi Romani amicorũ numero perscripsit. Ad residua verò omnia misit exercitum, & seruos à Mithridate libertati traditos statim per præconem ad dominos iussit reuerti. Multis ex his recusantibus, & ciuitatibus nonnullis deficiẽtibus ab eo, ingens multitudo eorum qui libertatem vendicauerant, ac seruorum varijs occasionibus interfecta est, mœnia multarũ vrbiũ euersa, & pleraque Asiæ in seruitutẽ redacta sunt. Qui Cappadocũ partibus adhæserant, & pleræque ciuitates supplicio affectæ. & in primis Ephesij, quod turpi adulatione Romanorũ

ins

insignia aboleuissent. Nam cum per præconem mandatū esset omnibus vt ad præstitutam diē ad Syllam accederent in Ephesum, & ipsi vnà adessent, in hunc modū eos affatus dicitur. Nos quippe cum exercitu in Asiam quāprimum venimus, Antiocho Syriorum rege bello vobis insurgere expellentes, deinde ipsum, & Halym fluuiū Taurúmque montē terminos regni sui statuentes, nō vos tamen detinuimus ex illo in ditionē nostram iure deditos, sed vestris legibus viuere cōcessimus, nisi si quos Eumeni & Rhodijs qui nobiscum bellum gesserant, non tributo obnoxios, sed ad mandata paratos esse diximus. Cuius rei argumentum est, quòd Lycios nonnulla de Rhodijs conquestos, ab illis soluimus. Nos igitur erga vos tales fuimus. Vos autem Attalo Philopatro ex testamento nobis regnum relinquente, ob Aristonicum contra nos per quatuor depugnastis annos, quoad Aristonicus captus est, & plurimi è vobis necessitate ac timore se nobis dedidere. His peractis, per quatuor & viginti annos, cum ad summum diuitiarum ac priuatæ substantiæ publicæque peruenissetis, pacis otio ac deliciarum iniurias nobis denuo intulistis, & occupationes nostras in Italia obseruantes, partim Mithridatem induxistis, partim cum eo accedente icistis fœdera. & quod omnium teterrimū est, cum eodem die vna Italos omnes cum filijs

ma-

matribusq́; neci tradere cõueniſtis, nec ad templa confugientibus ob deos veſtros peperciſtis, quorũ cauſa Mithridatẽ nonnulla pœna affecimus, infidũ erga nos, & nece ac rapinis replentẽ omnia. Terrarũ quoq; diuiſiones ſolutionesq́; debitorũ perquirentẽ, & in nõnullis ſeruorum liberationes machinantẽ, ac tyrannides, latrocinia præterea plurima per terras agitantẽ ac maria. vt ſubinde nobis inferret bellũ, & pares noſtris haberet duces. Dedere tamen pleriq; pœnas ex his qui hæc inchoauerant. Sed & vobis comunes eſſe oportet, qui ſimilia edidiſtis, et operibus veſtris cõdigna pendere. Sed ne Romani occiſiones impias, aut onera incõſulta, aut ſeruorũ inſurrectiones, aut alia quæcũq; barbarica in animo habuiſſe dicantur, Græcoq́; nomini ac generi pariter indulgeãt. & gloriæ, viciſſim Aſiæ, & his qui Romano afficiuntur nomini, benignitatis gratia tributa duntaxat annorũ quinque in præſentia vos afferre iubeo. & impenſam belli quod pertuli reſidua ad inſtitutũ exequẽtur meum. Diuidã enim hæc ſingulis iuxta vrbes, & ſpatium tributis ſtatuã. Inſtituta autem non ſeruantibus, vt hoſtibus indicam bellum. Hæc & huiuſmodi elocutus Sylla mulctam legatis diuidit, eosq́; pro pecuniis ſubitò emittit. Vrbes igitur egeſtate & fœnorum magnitudine oppreſſæ. quædam theatra creditoribus, nonnullæ gymnaſia aut mœnia portus've,

aut

aut quid aliud publicũ, non sine instantiũ militũ contumelia exponere sunt coactæ. Pecuniæ igitur in hunc modũ Syllæ afferebantur, & finem tandẽ malorũ suscepit Asia. Enauigauit tamen ipsam, & multorũ latrocinia exercitibus magis quàm latronũ conuenticulis similia. Mithridate in primis eã detinente, intra mare coniecta, cũ non multo eam tenuisset, penitus eiecit. Cũ ob id plurimum lucri assequeretur, nec in nauigantes solũ, sed portubus, regionibus, ciuitatibus aptè inferretur bellũ, Samos, Clazomenæ & Samothracia omnis præsente Sylla in captiuitatẽ data. Samothracum fana mille talentorum ornamentis spoliata, vt quidã putant, Verùm siue delinquentiũ pœnas in aliud tempus differre cuperet siue Romam seditionem inferre properaret, in Græciam primùm, & ex ea in Italiã cum maiore exercitus sui parte nauigauit. Et hæc quidẽ circa Syllã ciuilibus in bellis à nobis perscripta sunt. Sumpsit deinde initiũ secundum Romanorum cum Mithridate ab hac causa bellũ. Muræna cum duabus legionibus à Sylla relictus vt reliqua Asiæ componeret, quædam belli præludia, veluti ioco ageret, ob triumphi desiderium agitabat. Mithridates ea tempestate in Pontum classe delatus, cum Colchis & Bosporanis ab eo deficientibus depugnabat, ex quibus Colchi filium eius Mithridatem in regem sibi da-

ri deposcebant, quo sumpto, statim paruerunt. Suspicione igitur inter regẽ & filiũ hac de causa oborta, quasi regnũ affectaret, eum reuocãs catenis iniecit aureis, nec multò pòst neci tradidit, cũ in plurimis tamen quæ in Asia contra Fimbriam gesta erant, non inutilẽ esset expertus. Deinde in Bosporanos classem præparauit ingentemq́ instruxit exercitũ, ita vt apparatus magnitudo famam subitò excitaret, quasi non in Bosporanos, sed in Romanos potius præpararet arma. non enim ArioparZani Cappadociam omnẽ restituerat, sed aliquas adhuc detinebat partes. Archelaũ quippe suspectum habebat, quòd multa in Græcia præterquã opus esset in constituendis cũ Sylla inducijs illi cõcessisset. Quibus perceptis, Archelaus timore concitus ad Murenã confugerat, & illum in regem irritans, vt eidem inferret bellũ, persuaserat. Murena igitur exercitum per Cappadociã deducens ad Cumas peruenit, maximam in Mithridatis regno vrbem, quæ sacrarium quoddã dei opulentissimũ habebat, ibiq́ nonnullos Mithridatis occidit equites, & legatis eiusdẽ sibi fœdera ostendẽtibus, respondit se fœdera nequaquã intueri, nõ enim à Sylla ea esse perscripta, verùm opere quæ dicta fuerãt affirmantẽ recessisse. Hæc fatus Murena subitò regionẽ inuasit, neq́ pecunijs sacris abstinens, in Cappadociã ad hyberna se contulit. Mithridates

tes his auditis ad senatũ & ad Syllam misit, ea quæ à Murana gerebantur, accusans. Sed ille ultra Halym trãsgressus fluuiũ ingentem admodũ, nec transitu perfacilem, cũ maximis tunc innundaret imbribus, ad quadringentas Mithridatis villas depopulatus est, rege nullo in loco sibi occurrẽte, sed legatos duntaxat venturos expectante. Prædã itaq; ingẽtem nactus in Phrygiam & Galatiã reuersus est. Eo in loco Calidius à Mithridate missus, ob querelam nullum à Roma detulit decretũ. Solum inter audientes medius retulit, Senatũ iussisse vt regi parceretur, inducias cũ eo habenti. Quibus dictis, cũ rege solus loqui visus est. His ex causis, Murana nihil solitis omittẽs impetus, tum vel maximè regionẽ inuasit Mithridatis. Ipse à Romanis tã aperte se oppugnari cernẽs, Gordium ad Cumas deducere imperat. ac statim Gordius currus quamplurimos, & impedimentorum vehicula, ac priuatos homines militaresq; secum arripit. Cui Murana in medio fluuium assumens ex aduerso castra ponit. pugnam tamen eorum neuter attigit, quoad Mithridates amplioribus cum copijs accessit, & statim circa fluuium atrox prælium exoritur, in quo vt prouectus Mithridates fluuium exuperat, cum aĩis Murana potentior longe esset, ille ad tumulum munitissimum euadẽs, insurgente in eũ rege, magna copiarũ parte amissa,

per montana nulla semita in Phrygiã aufugit. Cùm difficulter iter ageret, victoria ex itinere ipso parta est, multosq; in Mithridatem incitãs amisit. Rex igitur Murenæ præsidia quæ in Cappadocia fuerãt vniuersa percurrens oppidis eiecit. Inde more patrio Ioui militari in sublimi montis vertice sacra fecit, ingentē quandã lignorum cōponens struē. Sic enim sacra instituũt. Primi quidē reges ligna inferunt, & alteram in circo breuiorē cōstruētes pyrã, lac desuper ac mel perspargunt: oleũ præterea, ac vinũ & omnes odorũ species infundunt. In plano verò triticum & pulpamentũ in prandium astantibus præparant: quemadmodũ in Persargades sacrificij causa mos est Persarũ regibus: deinde pyræ ignē inferunt. Hæc verò ob magnitudinem amplissimas emittens flãmas per mille stadia à longe nauigantibus perspicua est, nec per multos dies, vt aiunt, æstuante aëre appropinquare illi licet. Sic ille sacrificium patrio more peregerat. Sylla cum indignũ arbitraretur, Mithridatē fœdere Romano populo coniunctum debellari, Aulum Gabinium emittit, qui Murenæ suaderet, vere inter eos constitisse, ne Mithridati inferretur bellum, Ariobarzanem ac Mithridatem vnà conciliaret. Mithridates in hoc congressu filium quadriennem sponsorem exhibens Ariobarzani, & huiusmodi occasionem nactus, vt eam quam habebat

bebat Cappadociæ retineret partẽ, & alia vlterius, epulum cũctis exhibuit, aurũ praterea calicibus & ferculis apponẽs, in salibus & cãtibus caterisq́ꝫ, vt illi mos fuit, liberalitate vsus est: quorũ nihil attigit Gabinius. Hic igitur secundum Mithridati cum Romanis bellũ, tertio maximo sequente, finem cepit, & ocio vacans Mithridates Bosporum redegit in potestatem. Regem autẽ ipsis vnum ex filijs Macharẽ nomine præfecit, Deinde cum in Achaos qui supra Colchos sunt, bellũ intulisset, (videntur quippe ex ijs esse qui à Troia postliminio perfugere) duabus exercitus sui partibus bello, frigore, insidijsq́ꝫ amissis domũ redijt, & Romam qui hac cõposita annunitarẽt emittit. Misit & Ariobarzanes, incertum an sponte, non tamen vt moleste ferens, quòd Cappadociã non recepisset, sed qui magnã illius partem Mithridatẽ sibi eripere quereretur. Mithridates igitur iubente Sylla vt Cappadociam dimitteret, vltro paruit, alterã verò legationem Romã destinat, quæ fœdera conscriberet. Verũ defuncto iã Sylla, cùm nemo assensum illi præstitisset, sed veluti in vacatione rerum omniũ ad cõmunia intenderent, Mithridates ad Tigranẽ generum misit, vt Cappadociam quasi à seipso inuaderet, quod sophisma haudquàquam Romanos latuit. Armenius verò Cappadociæ retia innectens, ad trecenta millia hominum hincinde

educta in Armenia conglutinauit, & cū alijs certo in loco iußit habitare. Ipse inprimis diademate Armeniæ assumpto, Tigranocertam à seipso nominauit, quæ Tigranis ciuitas dici potest. Et hæc quidē in Asia agitabantur. Sertorius verò in Iberiam deducto exercitu, Iberiā, & quecunq; finitima loca in Romanos excitauit, & consilium ex ijs qui vnà aduenerāt, ad imitationem Romani constituit senatus, ex quibus duo præ cæteris seditiosiores. Lucius scilicet Manius, & lucius Fannius Mithridati suasere, vt cū Sertorio vnà depugnaret, spē illi afferentes, multa ex Asia finitimorūq; populorum in ditionē suā ventura. Quibus persuasus rex ad Sertoriū misit. Ille legatis in Senatum introductis, multa & magnifica elocutus, quod gloriam eius in Pontū cōstitueret, Romanosq́; ab oriente ad occidentē vsq; obsideret, cum rege fœdus inijt, Asiam, ac Bithyniam, necnon Paphlagoniā, Cappadociam, Galatiā sibi traderet. Ducē porrò Martiū Varum, & consilij participes L. Manium, & L. Fannium cū eo destinat, cum quibus Mithridates vnà contulit tertium ac vltimū quod cū Romanis geßit excrssus bellum, in quo vniuersum postremo amisit principatū. Sertorio in Iberia occiso, Romanis Imperatores in eum mittentibus ex vrbe primum L. Lucullum qui cum Sylla classem rexerat, deinde Pompeium sub quo quæcunq; Mithri

thridatis fuere, illiq; finitima Vsq; ad Euphratem fluuiū occasione & impetu eius belli, in eorum cessere potestatem. Mithridates igitur cū Romanorum Vires sæpenumero esset expertus, & hoc potissimum bellū nulla occasione subitò inceptum, insperatum fore credidisset, Vniuersum, excogitauit apparatum, quasi de omnibus tum primum belli iudicium esset subiturus. Ita æstatis residuū & hyemē integram in cædendis syluis fabricādisq; nauibus absumpsit. Arma præterea, & tritici ducenta millia modiorum supra mare imposuit. Belli cōplices Vltra priora subsidia illi accessere Chalybes, Armenij, Scythæ, Tauri, Achæi, Enyochi, Leucosyri, & quicunq; circa Thermodontē fluuium terram incolunt quæ Amazonū appellatur. Tum ingentes Vltra primas copiæ ex Asia aduenerant. Transeuntem deinde in Europam Sauromatarum reges & Iazyges & Coralli, Thracumq; gens omnis quæ Vltra Histrū aut Rhodopem aut Hæmum sedes habet, & Vltra hos bastarnæ ferocissima eorū natio secuta est. Hac potētia in Europā progressus, ex omnibus bellicosissimis peditum centū quadraginta millia secum duxit. Ad hæc multitudo ingens Vias sternentium, & Vasa deferentiū mercatorum quoq; sequebatur. Incipiente Vere nauticos expertus apparatus, Ioui militari more patrio sacra fecit. Neptuno Verò equum album, cur-

rumq; simul mari consecrãs in Paphlagoniam deduxit, Taxille & Eumocrate ducibus illi astantibus. Eò loci cũ applicuisset, orationem de progenitoribus suis superbam admodũ, nec minus de se diffusam ac prolixã habuit. quod principatũ ex minimo ad summũ peruexisset, nec à Romanis quidẽ præsens vinci potuisset. In eorũ deinde audaciam & insolentiã inuectus, quorum causa, vt aiebat, non Italiam modò, sed patriam in seruitutẽ redegissent, nouissima cum ipsis fœdera recẽsuit, quæ scribere recusassent, tempus dũtaxat expectantes vt illi insurgerent: quã vel præcipuam huius belli causam asserebat. Omnẽ deinde exercitũ & apparatum palàm retulit. Romanorũ porrò occupationes, qui cum Sertorio in Iberia eo tempore bellum gererent, cum in Italia seditionibus agitarentur intestinis, hac ex causa, inquit, maria contemnũt, multis iampridẽ agitata latrocinijs, quibus nullus belli socius aut amicus adest, aut qui illis sponte se subijciat. Nũ optimos eorũ, inquit, cernitis? Varũ ostendens, & vtrosq; Lucios patriæ suæ hostes, nobiscum depugnantes. his dictis copias omnes simul mouens in Bithyniam peruenit, Nicomede iam vita functo sine filijs, & Regno Romanis derelicto. Cotta igitur Bithyniæ prætor cum ad bellum esset impotens, ad Chalcidem cum omni præsidio, aufugit, qua ex causa Bithynia in Mithridatis

statim

statim peruenit potestatem, Romanis omni ex parte in Chalcidem ad Cottā confluentibus. Insurgente deinde in Chalcidē rege, Cotta ob impotentiam nequaquā prodijt. Nudus autē classis præfectus, cum parte copiarum quæ munitiora cāporum fuerant, inuasit. Cæterum inde expulsus per superiora quæq; summa difficultate ad portas perfugit Vrbis. Erat autem circà tumultus ingens, omnibus pariter ad eas concurrentibus, ob id nullum insequentiū frustra emittebatur telum. sed cū Veriti portarū custodes, claustra è machinis demisissent, Nudū, ac nonnullos è ducibus, intra funes receperūt. Reliqui ad socios manus porrigentes, inter amicos pariter & hostes trucidātur. Mithridates aspirantis fortunæ Vsus impetu, eadē die classem in portum detulit, & claustra quæ catenis æreis firmata erant subito infringens, quatuor hostiles cōbussit naues, reliquas numero sexaginta in Vincula coniecit. nihil Vlterius Nudo aut Cotta prohibētibus, sed intra Vrbis mœnia conclusis. Periere ex Romanis ad tria millia, inter quos & Lucius Manlius Vir Senatorius fuit: ex Mithridatis partibus Viginti dūtaxat: ex Bastarnis, qui primi portū ingressi fuerāt, interierūt. Lucius Lucullus ad consulatū pariter ac bellū electus imperator, legione militum à Roma habita, duas Fimbriæ & Vltra has totidē in Vnum congregans, Vsq; ad numerum

 pedit

peditum triginta millium, equitũ mille & sexcentorum, ad Cyzicũ contra Mithridatem castra ponit. Qui cum à transfugis quibusdam intelligeret, Mithridati vsq; ad trecenta virorum millia in exercitu adesse, commeatũ partim à frumẽtarijs, partim à mari subuectari, ad astãtes dixisse fertur, statim sine pugna hostes debellari posse, & vt huius orationis reminiscerentur, admonuit. Mõtẽ deinde peraccomodũ ad metãda castra cõtẽplatus, ob quem & facilitas cõmeatus sibi adesset, hostibus autem intercludere liceret, eum prius statuit inuadere, cum ex ipso victoriam sine periculo speraret adipisci. Vna igitur dũtaxat, & ea quidem angusta semita ad eũ deducente, à Mithridate summa cura obseruabatur. Cùm Taxilles, ac pleriq; ducum cum Lucullo fortè adessent, L. Manius qui Sertorianæ conspirationis cũ Mithridate causa fuerat, defuncto iam Sertorio clàm ad Lucullũ misit, à quo fide percepta, Mithridati persuadet, vt Romanos quocũq; prodeũtes, et castra vbilibet metãtes haud multi faceret. Quæ enim Sertorij sub Fimbria fuissent copiæ, vix duas æquare legiones, consulit vt se transfugã emittat. statim enim ad ipsum esse redditurũ. Quid enim bello et cædibus opus est, inquit, si hostes sine prælio et discrimine licet superare? Quibus cùm fidẽ inconsulte, ac nulla suspicione adhiberet Mithridates, Ro

manos

manos per angustias sine metu transeuntes, & montem excelsum muro muniētes facile deiecit: quo adempto, ipsi à tergo impauidi cōmeatum deferre poterant. Mithridatē verò paludibus, fluminibus, & montibus ab omni tellure excluserant, vt nisi perexiliem aliquando nancisceretur commeatū, cum exitus amplos non vlterius haberet, neq; Lucullum ab itinerū difficultatibus, quæ ab eo occupari neglexerat, vi propellere vlterius posset. Et iam hyems instabat, cuius causa si quid à mari deferretur commeatus, breui tamē videbatur defuturū. Quæ omnia aduertens Lucullus, iterū amicos vt pollicitationis suæ reminiscerētur, & quæ præsentibus olim annunciasset, admonuit. Mithridates autē cùm adhuc potens esset ob multitudinem per medios penetrare hostes, & viam ferro sibi facere, id vtiq; neglexit. Ad Cyzicum verò quæ ad obsidionem præparauerat, exponit, sperans in hoc iterū difficultatē simul & cōmeatuum euitare inopiā, vtpote qui copiarū multitudine abūdans, omnia perfacile expugnare posse crederet. Castra autē duplici muro vallauit, residua vrbis fossa circundedit, aggeres præterea & machinas plures erexit, turres vltra hæc & testudines arietes deferētes intulit, et machinā ad vrbis instar cētū cubitorū; in qua turris alia eminebat, et ab ea catapultas, lapides, sagittas multiformes emittebat. Ad portū porrò quinquere

quereremes duas cõnexuit, turrem aliam insuper statuens, ex qua põtes, cùm machinas mœnibus appelleret, immitteret. Omnibus in hunc modũ præparatis primũ quidẽ ad tria captiuorũ millia ex Cyzicenis nauibus Vrbi propius adducit, qui ciuibus manus ad mœnia erigentes, Vt in extremo periculo constitutis subuenirent precabantur, quoad Pisistratus Cyzicenorum dux è muro per præconẽ illis annunciari iußit, captiuitatem patienter ferrent. Mithridates hac spe deiectus, machinã cũ nauibus intulit, pontésq; ad muros properè immittit, è quibus quatuor in primis Viri muro insiliunt. Ea ex re Veluti noua pauefacti Cyziceni aliquantum retrocessere, non accurrentibus demum cum impetu reliquis, reassumptis animis quatuor illos ab extra detrudunt. Nauibus deinde ignẽ ac picem infundentes, ex neceßitate, confractis puppibus naues cum machina retrocedere compellunt. Quibus è portu excußis, Cyziceni eo prælio superiores euaserũt. Tertio illos eadem aggressus die omnes simul machinas exeruit. Laborantibus illis ac discurrẽtibus ad quod cõtinue insisterãt, primũ quidẽ arietes petris repulerunt, aut laqueis fregerũt, aut obiectu lanæ eorũ sustulere Violentiã. Sagittis Verò ignẽ deferẽtibus aqua & aceto occurrentes, mißiliũ reliquorum impetum Vestibus & linteis obiectis obtundebant. Cum nihil promptitudinis, quoad homini

mini

mini potis est, omisissent, illi autem difficilima quaq; perferentes repugnarēt, Vno impetu mu rus igne accensus circa Vesperā ad imū corruit nec tamen quisquā per eū insilire ausus est, Vapore ignis adhuc æstuante. Cæterū nocte alium erexere denuo Cyziceni. Iisdem diebus cum Vētus Vehementior increbuisset, residua machinarum contriuit regis. Dicitur quippe ea Vrbs dotalis esse, et à Ioue Palladi attributa filiæ, quā Cyziceni summo honore præ cæteris Venerantur dijs. Solennijs itaq; instantibus, in quibus bouem nigram sacrificare mos fuit, cum ea carerent, ex frumento fecere sacra. Interim bos nigra è pelago ad eos accurrit, quæ claustra aditus ingressa, & in Vrbē delata, Vltro in templū Venit, ibiq; ad altare constitit: quam Cyziceni summa spe deæ immolarunt. Amici itaq; Mithridatis Vt ab Vrbis oppugnatione desisteret, Veluti deæ sacræ, consulebant. Quibus haud annuens ille, supra montem Dindymum Vrbi adiacentem castra ponit, & aggerem ab eo in Vrbem nactus, turres instituit, cuniculis etiā suffossa mœnia suspendit. Equos præterea quos ob pabuli inopiam, minus Vtiles et diutina ex mora infirmos habuit, in Bithyniam misit. Quibus Rhindacū trāseuntibus inuectus Lucullus multos interfecit, captiuorū ad quindecim millia, equorū sex millia, Vasaq; plurima adeptus est. Hæc igitur ad Cyzicum gerebātur. Eadem

tempe

tempestate Eumachus Mithridatis dux Phrygiam ingressus, ingentē Romanorū numerum cum vxoribus simul & filijs occidit. In Pysidias deinde & Isaurios, ac Ciliciam & vsque ad tetrarchas Galatarum insurgentē persecutus Deiotarus, multa cæde contriuit. Et hæc circa Phrygiam gesta. Appropinquante interea hyeme, quicquid cōmeatus ex mari conuectari poterat, Mithridati sublatum est, ita vt exercitus fame premeretur: multiq́ʒ ex inedia periere. Fuere qui intestinis barbarorū more vescerentur, alij qui pabulū ederent. qua ex causa peste dietim carpebantur, & cadaueribus in propinquo abiectis, & inhumatis, morbus ex morbo pullulabat. Substitit tamē Mithridates sperans ex turribus Dindymo impositis vrbē obtinere. Sed cū ad illas occurrētes Cyziceni machinis ignē iniecissent (hostiū quippe fame cognita tanquā debilioribus sæpenumero insurgebāt) abire meditatus per noctē fuga se prorspuit, et in Pariū classe deuectus, exercitū terrestri itinere in Lampsacū præmisit. Transeuntibus ipsis Esepū fluuiū, qui tū vel maximè aquis inūdabat, Lucullus accurrēs magnā eorū cōcidit partem. Hoc in loco Cyziceni permaximū regis apparatum subtraxere, cùm et ipsi strenuè pugnassent. Ibidemq́ʒ fame domiti, sub Lucullo regis monimentum statuentes solennia edidere præludia, quæ in præsentem vsqʒ diem peragentes

Lu

Luculli a solent vocitare. Mithridates ijs qui in Lampsacum perfugerant Lucullo illis insurgẽte, præmittens naues cum Lãpsacenis vnà sustulit, & ex electis cribus ad viginti millia Luculius nauibus imposuit quos Sertorius ad bellũ miserat, & Alexãdro Paphlagoni, Dionysióque eunucho dereliquit. Ipse cũ pluribus Nicomediã enauigauit: verum instãte hyeme magnũ vtrorunq; amisit numerũ. Lucullus quippe è terra eos fame perurgebat, & naues ex Asia educens præfectis qui sub eo fuerant, distribuit. Triarius in Apamiã classe delatus, vrbẽ cepit. Multis verò Apamiorũ ad delubra confugientibus, nefanda cædes insecuta est. Barbas Prusiadem quæ ad montes vergit, & Nicæam cepit vrbes, Mithridatis præsidijs ab vtraq; fugientibus. Lucullus circa Achæorũ portus, tres & decem hostiles intercepit naues. Varum deinde & Alexandrum, ac Dionysium circa Lemnum in destituta nactus insula obsedit. Hoc in loco Philoctetis ara ostenditur, & anguis æreus, arcus præterea, ac thorax, vittis circumamicta in passionis monimentum. Direxit autem in eos classem magno impetu Lucullus veluti contemnens. Sed illis constanter opperientibus, perstrictis remis duas incendit naues, & ad congrediendum impulit. Non mouẽtibus se illis, & à terra duntaxat suis opem afferentibus, insulã alijs circũuectus est nauibus, et pedites in eam

immi

immittens, hostes naues ingredi coëgit. At illi Luculli exercitũ verẽtes, nec ad pelagi interiora progreßi sunt, sed circa littus enauigãtes, inter terrã aquãq; dubij, telis vndiq; petebãtur. Multis igitur ex his intereũtibus, et subinde alijs ad naues fugientibus, Varus, Alexãder ac Dionysius eunuchus in spelunca latitantes deprehẽdũtur, ex quibus Dionysius venenũ quod vnà attulerat, exhauriens extinctus est. Varum interfici iußit Lucullus. Non enim æquum censuit, Romanum hominẽ senatoremq; in triumphum duci. Alexander ad pompam reseruatus est. Quibus ex rebus Lucullus nauem lauro ornatam, vt in victoria mos est, cum literis Romam misit, ipse in Bithyniam descendit. Mithridati in Pontũ nauiganti tẽpestas insurgẽs horrida, sexaginta confractis nauibus, ad decẽ virorũ millia mari obruit, reliquas casus hinc inde dispulit. Rex periclitanti naui in qua vehebantur, quanquã dissuadẽtibus amicis, in piraticã desiliuit scapham, cum qua in Synopem à piratis seruatus est. Eo ex loco ad Amisum enauigans, ad Tigranẽ socerũ, ac inde ad Macharẽ filiũ Bosporanorum regẽ misit, auxilium ab vtroq; expetens. Ad Scythas verò Dioclem obsides aurumq; iußit afferre: verũ ille ad Lucullũ cũ auro donisq; profugit. Lucullus strenuè victoria vsus, quæcunq; propiora aderãt, ferro sibi vẽdicauit. Milites bello defatigatos, in regio

nem

nem Vberē felicemq́ deducens, alacriores ad cætera peragenda reddidit. Mancipii nempe quatuor drachmis, bouem vna duntaxat venisse cōstat, capras, oues, vestem & alia eodem ferè precio. Post hæc Amisum & Eupatrā, quā Amiso finitimam in nominis sui memoriam Mithridates condidit, & regia illius appellabatur, obsidere pergit, & altero pariter exercitu Themisyram, quæ ab Amazonis cuiusdā nomine appellabatur, iuxtaq́ Thermodoōtem amnem sita est, obsedit. Qui ad Themisyram castra habebāt, turres & aggeres appulere Vrbi, cuniculis vlterius tellurem effodere adeo amplis ac patentibus, vt in ipsis sub terra plures inuicē progredi possent. Themisyrij contrà desuper eos fodientes, Vrsos, ferasq́ alias, necnō apum examina in operarios emittebant. Qui verò circa Amisum fuerant, alio modo laborāt, Amisinis cū ipsis depugnātibus, & plerunq́ ad eos accurrentibus, & in singulare certamen nonnunquam prouocantibus. Mithridates interea magnā illis cōmeatus vim, arma & exercitū ex Cabiris destinat. Eò loci cum hybernaret, exercitum alium interim collegit, in quo peditum quadraginta, equitum tria millia inerant. Instāte vere Lucullus per montes in Mithridatem mouit. Custodiæ regis quidem aderant, quæ Lucullum ab ingressu prohiberent, & siquid noui occurreret, igni sublato annunciarent. Regebat

autē custodias huiusmodi à Mithridate vir delectus regio è genere, cui Phœnix nomen fuit. Is cum Lucullum appropinquantem cerneret, ignē extulit, inde ad Lucullū cum præsidio omni aufugit. Qua ex causa Lucullus per mōtes intrepide progressus ad Cabiras accessit. Equestri igitur prælio inter ipsum & Mithridatem gesto victus, denuò ad montes rediit. Pōponius apud illū magister equitū captus, ad Mithridatē saucius adducitur, quē cū interrogaret rex an gratiam sibi, si saluus esset, vellet reddere. Si quidem Lucullo amicus fueris, perdignā inquit: si hostis, nullam. In hūc modū cum Pōponius elocutus esset, et barbari interficere illū suaderēt, respondit rex, non despicere aequū esse, virtutē à felicitate destitutā. Et continuò aciem instruēs cùm Lucullum in pugnā adducere non posset, circumiens ascensum super illum quæritabat, Interim non mediocre periculum Lucullus adiisse visus. Nam vir quidam Scytha nomine Olchabas, iampridē ad illum transfuga, & qui prælio equestri multos è periculo exemerat, & ob id à Lucullo non mensæ modò, sed consiliis & secretis particeps adhibebatur, ad tabernaculum eius circa meridiem accessit, cum quieti indulgeret, ac breuem accinctus gladium ingredi conatus est. Prohibitus verò excandescere cœpit, necessitate quadā destinari se professus, vt imperatorem excitaret. Seruus autem respondens

ſpondentibus, nihil ſalute neceſſarius eſſe Lucullo, equũ ſtatim aſcendit, & ad Mithridatẽ infecta re peruenit, ſiue quòd inſidias illi strueret, vt ex eo ſuſpicari licuit ſiue iracõcitus quaſi ab his deſpiceretur, abierit. Alterum deinde Scythã nomine Sobodacũ impulit, vt Mithridati conſuleret, transfugã ſe ad Lucullũ mitti: verùm Sobodacus interceptus eſt. Lucullus deſcenſum quendã ad cãpos quos hoſtilis detinebat equitatus ingreſſus, cùm reditũ nullũ adeſſe cerneret, virũ quendã itinerum edoctũ per quæ feræ agitari ſolẽt in ſpelunca reperit, quo duce ſine mora ad iter vſus ſupra caput regi aſtitit. Per id itaq; delatus, cùm cãpos ab equitibus obſeſſos declinaſſet, vallẽ aquis refertã ab hoſtili parte metatus, caſtra poſuit. Cõmeatum verò cũ nullum haberet, è Cappadocia accerſit, eoq́; ex loco in hoſtes tela emittit. Interim nobilioribus à rege fugientibus, Mithridates eos à valle increpans, retrocedere coëgit: ac Romanos aggreſſus adeò conterruit, vt per ſuperiora montium arrepta fuga neutiquam retrocedentes ſentirẽt hoſtes. Verùm quoſcunq; inſequentes, & vnà fugientes eos eſſe arbitrarẽtur. Ea victoria admodum elatus eſt Mithridates, ita vt ad omnes literas emitteret. Ex equitibus porrò magnam partem, & his quidem pugnaciſſimis in inſidijs locat, qui cõmeatum è Cappadocia ferentes Lucullo interciperent, ſatis

 ratus

ratus ut quemadmodū ipse apud Cyzicū fame uictus fuerat, sic Lucullū inedia debellari posse: quæ profectò animaduersio haud cōtemnenda uisa est, si Lucullo cōmeatum quē ex sola dūtaxat Cappadocia habebat, intercluderet. Sed cùm regij equites præcursoribus eorū qui frumētum deferebant, in angusto occurrissent, deinde impetum non sustinentes ad liberiora loca diuertissent, equos ut inutiles in arcto reddidere. Eo in loco ex itinere præuenientes Romani prius quàm in aciem prodirent hostes, ex regijs plures occiderunt, peditum in morem inter angustias pugnantes: nonnullos etiam è primis confecerūt alios fugientes præcipitauere è rupibus: pauci nocte in exercitum delati & se solos euasisse referentes quanquam euentus plerisq; ex se formidolosius esset, multò tamen formidolosiorem retulere regi. Mithridates prius quàm uictoria Lucullo innotesceret, ratus in tanta equitū clade non multo post Lucullum sibi insurrecturum fugam ex trepidatione meditatur, idq; amicis in tabernaculo subinde refert. Illi prius quàm annunciaretur, cùm nox adhuc esset, ingi studio, quæ quisque habuit, è castris educit. Turba igitur eorū qui uasa deferebant, ad portas concurrente, cùm cæteri animaduerterent, & qui ea deferrent, cognoscerent, deteriora his arbitrati, & quia nihil ipsis annunciaretur, cū timore & querela decurrentes ad uallum pro-

per

perant, disiectisq́ omnibus, eo ex loco vt quisq́ potuit turpiter arripuere fugam, nullum à duce aut præfectis mandatum expectantes. Quæ Mithridates nullo ordine, celeriusq́ quàm putarat euenisse cernẽs, ex tabernaculo prosiluit, ac nõnulla dicere aggressus, nemine adhibente aures, turbatus, vt in multitudine fit, in terrã concidit, indeq́ in equum relatus, ad montes cum paucis aufugit. Lucullus de hac victoria certior factus, percepta etiam hostium fuga, statim equites plures emittit, qui eos insequerentur. Deferentibus verò vasa per exercitũ, pedites iußit occurrere, & ne quid eo tempore arriperent, verùm nullo respectu vt eos interficerẽt imponit. At illi vasa aurea & argentea quam plurima, vestemq́ multi precij intuentes, mandatum neglexere. Ipsum quoq́ regem capientes cùm mulum auro onustum, qui sarcinam ferret, confodissent, fluente auro, ad id conuersi, Mithridatem versus Cumas fugientem sequi neglexerunt, quò ex loco cum tribus equitum millibus ad Tigranem peruenit. Ille ad conspectum suum neutiquam admisit, verùm certis in locis regio more viuere concesit. Mithridates desperatis rebus, Bacchum eunuchum ad regiam eius ire imperat, vtq́ sorores suas, mulieres, ac pellices quoquo modo neci traderet imponit. Sic illæ partim ensibus, partim veneno & laqueis finiere vitam. Quæ animaduerten-

tes ij qui præsidijs à rege impositi erant, paucis exceptis ad Lucullum perfugerũt. Lucullus deinde in regẽ conuersus, exercitum confirmat, & quæ in Ponto fuere ciuitates classe circumuectus omnes ferè in potestatem redigit, Amastrem videlicet, & Heracleam, aliasq́ꝫ. Synopis verò acriter adhuc Romanis resistebat, & nauali prælio haud ignauè depugnabat. Obsessi à Lucullo ciues, naues quas grauiores habuere, igne consumunt. Leuiores deinde ingressi, fuga se proripiunt. Lucullus statim vrbem liberam esse pronunciauit, somnio permotus, vt aiunt. Nam Antiochum cum in Amazones cum Hercule belligerasset, vi tempestatis pulsum, & in Synopem delatum, eam vrbem sibi vendicasse fama est, ob idq́ꝫ eius statuam Synopẽsibus maximo in honore fuisse. Itaque cum ciues arrepta fuga statuam vi efferre conarẽtur, funibus linteaminibusq́ꝫ obuoluisse. Inscio igitur Lucullo, nec quid tale meditãte per quietem apparuisse memorant, se ab Antiocho vocari: & in sequenti die statuam à nonnullis deferri cum offendisset, solui iussisse persimilem ei quã vidisse existimasset. Lucullus inde ad Amisum supra Synopem castra posuit, & ciuibus similiter per mare fugiẽtibus, cùm intellexisset eam vrbem ab Atheniensibus, dum mari imperitarent, cõditã fuisse, et diutius populari ciuilitate vsam, subinde Persarum paruisse regibus, denuò verò ea

rò ea

rò eadem ciuilitate restitutam ab Alexandro, iterū à Ponticis subactam fuisse, Vrbis sortē miseratus, Alexādri in morem cuius gloriā amulabatur, & quòd genus esset Atticum suis legibus viuere concessit. Amisinosq́; omnes iussit reuocari. In hunc modum Lucullus Synopē atq; Amisum depradatus denuò restituit. Cū Machare verò Mithridatis filio Bosporanorū rege, coronam sibi ex auro promittente, fœdus amicitiamq́; firmauit, & ad Mithridatē apud Tigranē inquirēdum proficiscitur. Inde in Asiam transgressus Syllanis adhuc oppressam grauaminibus, quartam tributi partē in fructibus, reliquas ex domorum possessionibus & mancipijs iussit pendere. Epinicia etiam solennia instituit veluti bello rite peracto. His gestis, in Tigranem quod Mithridatē recusasset reddere, copias mouit, duas ex electioribus legiones, ac quingentos educens equites. Cum his Euphrate superato, pecunias à barbaris exposcens iter perageba. Hi quippe nullis inferebant bellum, neque quid pati digne videbantur. Bello inter Lucullum & Tigranē ingruente, Tigrani nemo Luculli aduentū nunciare ausus: qui enim primus id attulerat, in crucem sublatus est. Ciuitatū deinde tumultu qua ab eo infestabantur, audito, Metrobarzanem cum duobus millibus equitum ire iussit, qui Lucullū ab incursu prohiberet. Mazeo autem Tigranocertam custodire

imperat quam Vrbem, Vt à nobis superius dictum est, in honorem sui nominis cōdiderat, & optimos quosq; in eā conuocarat pœna Vnicuiq; imposita. Vt quæ in eam non transferrent, sibi iure Vendicaret. Vrbi quippe muros in altitudinem quinquaginta erexit cubitorum, equorum stabula inferius habentes, regias ad hæc & pomaria in suburbijs perfecit amplissima, ferarū insuper septa ad Venādi Voluptatem, lacusq; amœnitate refertos. In proximo autem arcē munitissimam cōdidit: quæ omnia Mazeo curanda derelinquens, copias omni ex parte cōtrahit. Metrobarzanem quidem Lucullus statim ab congressu primo repulit, deinde conuersum insequi cœpit. Mazeum Sextilius intra Tigranocerta mœnia cōclusit, regiamq; muro minus septam depredatus est. Vrbi Verò & arci fossam ab omni parte circundedit, machinas etiam attulit Vrbi, & cuniculis mœnia suspēdit. In his Sextilius obuersabatur. Tigranes peditū ducenta & quinquaginta millia, equitū pariter quinquaginta in Vnum congregauit, ex quibus ad sex millia in Tigranocertam ire iussit, qui per medias Romanorum acies pellices attrahentes regias profecti sunt. Tigranes cum reliquis copijs in Lucullum mouit. Ferunt tum primum Mithridatē in conspectum eius Venisse, regi quoq; consilium dedisse, ne cum Romanis bellum caperet, sed equestribus duntaxat copijs hincinde

disse

discurrens vastatis agris, eos quoque fame præcludere tentaret. Eo modo se à Lucullo ad Cyzicum obsessum sine prælio exercitum omnẽ perdidisse. Verùm ille Mithridatis militiã irridens, ad pugnã paratus accessit. Romanorum quoq; paucitate perspecta, cauillo huiusmodi vsus dicitur. Eos quidẽ, si legati accederent, permultos: sin vt pugnarent, perpaucos esse. Lucullus tumulum accõmodum post Tigranẽ conspicatus, equites in fronte cõstituit, qui hostes lacesserent, & ex agmine deductos, ipsi cedentes post se traherent, vt insequentibus barbaris, nullo ordine palantes interciperet. Ipse tumulũ circũnuectus, pedites in occulto collocat. Cùm primùm igitur hostes veluti in victoria Romanos hincinde dispersos persequi vidit, eorum quoq; vasa passim iacentia conspexit, sublata voce Vicimus, ò viri, inquit: & subitò ad eos qui vasa deferebãt, accurrit. Illi magno tumultu inter pedites feruntur, & equites peditibus occurrunt. Fit fuga vndique. Sed cùm in sequendis Romanis lõgius à suis decurrissent, equitatu insurgente cõuersi trucidantur, & qui vasa ferebant, inuicem collapsi, vt in tumultu fit, seipsos collidebãt. Omnibus igitur in tanta multitudine confusis, nec ordinem vllum intuentibus ad quem se referrent, cædes immensa editur, nemine hostem spoliante. Sic enim à Lucullo maximis propositis pœnis edictum fuerat, adeò vt armillas &

V 5 torq

torques in transitu euitantes, per centũ & viginti stadia hostes continuè cædendo persecuti sint quoad nox eos excepit: tunc quidem cõuersi spolia inuadebant. Sic enim à Lucullo cõcessum erat. Mazeus percepta clade à Tigranocerta omnes Græcos quos mercede cõduxerat in vrbẽ, armis exuere decreuit. Nam cum deprehensionem veritos in vnum ambulare, vnà conuersari, & scutulis quibusdam ornari conspexisset, barbaros statim cum armis in eos immittit. Illi vestes clypeorum in morem sinistris adaptantes, ad eos se conuertunt, pluribusq́ interfectis assumpsere arma, quibus inuicem diuisis, iam potentiores ciuibus extulere faces. & Romanos ab extra deposcentes in vrbem recepere. In hunc modum Tigranocerta à Romanis capta, ingentesq́ thesauri in ea direpti sunt, vtpote in ciuitate nuper ad æmulationem gloriæ condita Tigranes interea ac Mithridates exercitum alium denuò instaurare properabant, cuius regimen Mithridati attributum erat, cum Tigranes cladem illam ob imperitiam rei militaris acceptam existimaret. Ad Parthorum etiam regem misere legatos, auxilia ab eodem expetentes. Sed cum Lucullus ad eum pariter suos demisisset, rogarétque vt vel sibi afferret opem, vel neutri impenderet, rex clàm vtrisq́ pollicitus, nulli præmittere curauit. Mithridates arma interim per singulas desumpsit vrbes,

&

& delectum ferè omnem ex Armenijs cōfecit. Ex electioribus vsq; septuaginta peditum millia. equitum ad dimidium ferè numerum elegit, reliquos omnes ab exercitu emisit. Hos igitur per turmas cohortesq; diuisit, Italicis in modum distinguens ordinis. Ponticis verò se exercere permisit. Aduentante Lucullo, Mithridates peditatum omnem partemq; equitatus in tumulo continuit, reliquos Tigranis equites cū in frumentarios Romanos impulisset, amisit. Qua ex causa audacius Mithridati appropinquantes frumenta legebant, & castra iuxta eū metabantur. Interea puluis ad altiora editus, Tigranem aduētare indicat. Hoc enim inter se meditati fuerant, quò Lucullum in medio deprehenderent. Id animaduertens Lucullus, præcipuos equitum legius ire iubet, qui Tigranem distinerent, nec ex itinere in ordines redire sinerent. Ipse Mithridatē in pugnam prouocans, fossa circunsepsit, nec antè ab incepto destitit, quàm fames incidens amborū dissoluit opera: & Tigranes ad interiora Armeniæ se cōtulit, Mithridates verò in Pōtum & ad residua suæ peruenit principatus, quatuor millia ex suis adducens, totidē à Tigrane assumptis. Insequebatur & eum Lucullus. Sed cum ob cōmeatus inopiā reuerteretur, præueniens illum Mithridates Fabiū aggreditur, qui postremus sub Lucullo ad bellū ibidem fuerat relictus. Eum itaq;

in

in fugam vertens, ad quingentos occidit. Fabio verò seruos qui in exercitu aderant, in libertatem vendicante, & per diem integram denuò depugnante, iterum belli fortuna cœpit immutari, quoad Mithridates genu lapide saucius, & sub oculo transfixus sagitta, magna celeritate auectus est: & plurimis diebus hos quidē timor regiæ salutis, illos verò multitudo vulnerū quietos reddidit. Mithridatē Agari curabant, genus Scythicum, qui ad serpentum morsus solent adhiberi, & ob id regi continuè aßidebāt. Interim Triarius alter ex Luculli ducibus cū exercitu proprio ad Fabium delatus, in eius locum succeßit, nec multò pòst cùm ipse ac Mithridates ad pugnam conuenissent, ventus propere exortus, qualem antea nunquā obuenisse memoria proditū est, amborū tētoria sustulit, currusq; perfregit, ex militibus nōnullos vi raptos suspendit in aëre: qua ex causa cessere ambo. Sed cùm Lucullus aduētare diceretur, Triarius victoriā præoccupare studēs, noctu adhuc Mithridatis custodias aggreditur. Cūpugna aliquādiu par esset, rex cū parte copiarum quæ eum sequebantur, fortiter inuectus, belli victoriam auspicatur. Dißipatis enim hostibus, peditatum eorum in palustri quadā voragine conclusit: quo in loco cū subsistere non possent, interimuntur. Equites deinde per campos insecutus est impetu quodam aspirantis fortunæ vsus. Inter hæc

Ro

Romanus quidam turmæ ductor serui in modum cum rege congressus, magno vulnere per femur ense traiecit, ratus ob thoracem neutiquã eum à tergo posse cõfigere: Verùm illum qui regi proximiores aderant, statim cõfecerunt. Mithridates in castris retro defertur, at amici arridentẽ eorum cœptis fortunã prosequẽtes, magno impetu in Romanos feruntur. Pugnãtibus ipsis inopinus reuocationis clamor auditur. subijtq; dubitatio, ne aliunde quid infaustũ illis accidisset, quoad intellecta re, statim in campo magna trepidatione regem circumstetere, nec abinde discessere, donec Timotheus cõpressum sanguinẽ ex superiore loco retulit, quẽadmodũ apud Indos ab Alexandri militibus olim trepidatũ fuisse memorant. donec ipse se rex ex vulnere curatum suis ostendit. Mithridates cũ ad se redisset, eorum qui pugnã reuocassent ignauiam conquestus est, & orta quamprimũ luce, duces in Romanorũ concitat exercitũ. Illi timore perciti, in fugã vertũtur. Cùm cadauera spolijs exuerentur, tribunos militũ quatuor & viginti, centuriones centum quinquaginta occubuisse, repertum est. Quorum superiorum iacturam vno in prælio nunquã persimilem Romani sustinuere. Mithridates in Armeniã profectus, quam minorẽ Romani vocant, quæcunq; facilè asportari poterant frumenta collegit: quæ verò difficulter, penitus euertit, vt Lucullum

instan

instantem à se repelleret. Interea vir quidam è Romanis Senatorij ordinis Attilius nomine ob mulctam derelicta patria, ad Mithridatem cui antea familiaris fuerat, accessit. Qui cùm insidias regi pararet, ab eodem interceptus est. Rex neutiquam dignũ ducẽs hominẽ Romanũ Senatoriumq́ supplicio afficere, eum interfecit, conspirantes verò cum illo grauius afflixit. Seruos præterea qui Attilio hac in re obsecuti forent impunitos esse voluit, vtpote qui hero suo paruissent. Lucullo interim contra Mithridatem castra habente, quidã Asiæ præfectus præmisso tibicine palàm proclamari iussit, Romanos Lucullum incusare, quòd vltra præscriptũ sibi tempus bellum gereret: exercitum ab eo esse dimittẽdum: qui illi paruissent, eorum bona ex decreto fore publicãda. Quibus temerè prolatis, exercitus ferè omnis paucis exceptis dissolutus est. qui enim tenuiores fuerant, & pœnam minus formidabãt, cum eodem perstitere. Hac ex causa Luculli in Mithridatem bellum nullius momenti haberi cœptum, nec quod ad optatum finem posset attingere. Dissidente quippe Italia turbati omnes, mari latrocinijs obsesso fame penè enecti, tempus bello accommodum arbitrabantur esse prius quàm alterum peringens ac difficile composuissent bellũ. His perceptis, Mithridates in Cappadociam descendit & vt proprium regnum sibi confirmauit. Et hæc quidem

agen

agentem Romani videre neglexerunt, quoad maria tutò patebāt. Cùm autem vexari cœpissent, & Pompeius ad ea pacanda in Asiam venisset, bellum Mithrdaticum cōtinuò assumpsere, & id Pompeio exequendū tradidere. Ea ex causa pars quædam Pompeianæ seditionis, bellum contra Mithridatē mari gestum mihi visum est, nec ad priuatam vllam expeditionem pertinere sed ad partes eius esse referendū, & quēadmodum fuerit exponere. Mithridates cū primùm Romanos debellasset, Asiamq; inuasisset, Sylla circa Græciam elaborāte, ratus illū nō satis facilè in Asiā venturū, cætera omnia, vt prædiximus, depopulatus est: mari quoq; piratas intulit qui primum pauculis scaphis, nec ijs satis amplis latronum more maria infestabant. Cum verò bellū exarsisset, plures numero effecti nauibus longe amplioribus omnia circū nauigabant, lucri potissimū dulcedine pellecti, adeò vt neq; deuicto rege, neque inducias agente ac ne retrocedente quidem à mari temperarint. Nam patria extorres deficiēte victu ob assiduum bellum ad inopiam maximā delati, vice telluris mari fruebātur, myoparonibus in primis & sesculpis vsi, dicrotis postmodū ac triremibus separatim enauigantes, latronibus quibusdam maioribus ipsis præsidentibus, imperatorum more, & in vrbes mœnibus carentes vi delati, aliarum quoque mœnia sternentes aut

suffod

suffodientes, & in captiuitatem vendicantes, palàm prædabantur. siquos ditiores offendisset, classi impositos seipsos redimere cogebāt. Et huiusmodi rapinas, cū latronū nomen adhorrerēt, militares mercedes dictitabant. Artifices præterea ad opera adhibebant vinculis detētos, & lignorū materiem, æris & ferri circūferentes, nullo vnquā ab opere cessabāt. Elati etenim ob assidua lucra, nec latrocinari adhuc omittētes, regibus iam & tyrannis & exercituū magnorum imperatoribus seipsos cōparabant, satis sibi cum se in vnū contulissent, à nemine superari posse: & ob id naues & arma omnifariam fabricati, maximè in Ciliciam quam asperam appellant, impetū eorum dirigebāt, exercitū eo in loco colligebant custodias, & montiū summitates, insulasq́ desertas, & nauium receptacula ibidem nacti, præcipua eorundem refugia circa eam, cum aspera esset & importuosa, & apicibus prædita maximis, constituerant: qua ex causa omnes communi nomine Cilices appellati sunt, initium assumente huiusmodi fortasse clade ab ijs qui Ciliciam incolunt asperam. Suscipientibus deinde eos Syrijs, Cyprijs & Pamphylijs Ponticisq́, ac ferè omnibus quæ ad oriētem vergunt nationibus, Mithridatico bello per longum tempus illis incumbente, aliquid potius agere quàm ab alijs pati eligentes, maria telluri antetulerunt, sic vt breui multa hominum

num millia in vnum congregantes, non solùm mare quod ad orientē spectat, sed quodcūq; intra Herculeas columnas situm est, sibi vendicarent. Iam enim nonnullos Romanorum duces, aliosq́; & qui Ciliciæ praerāt, circa Ciliciam nauali bello superauerāt. nullo in loco nauigatio tuta erat, tellus quoque operibus vacua ob mercenariorū indigentiā. Romanorum tamen ciuitas præ cæteris huius mali particeps. iis qui imperio parebant vndiq; obsessis, & ipsa propter multitudinē fame laborante. Id autē opus perdifficile & magnū visum est, tot exercitus virorum nauiūq; deprehēdere, qui per omnem circum terram mariaq́; diuiderētur, & ob leuitatem apparatus facilè hinc inde capesserēt fugam, nec ad notas terrarum partes receptus debitos & stabiles haberent, neq; cōmune quicquam aut proprium sed cōtinuè ad occurentia se conferrent, ita vt belli huius præter cōsilium omne meditatio nihil firmi, aut quod intelligi posset in se continens, desperationem simul & timorem anteferret. Nam neq; appropinquatio Murenæ ad eos, neq; Seruilij Isaurici aduentus post illum quicquā profecerat, sed iam Italiæ maritimam orā circa Brundusiū et Tyrrheniam audacter inuaserant, & mulieres nobilium hinc inde transeuntes, simul'que duos exercitus cum signis interceperant. quarum rerum neque iacturam, neque opprobrium vl-

terius tolerantes Romani, Pompeium, qui maxima apud eos autoritatis habebatur, ex lege imperatorē per tres annos statuentes, vniuerso mari quod intra Herculeas columnas situ͂ est, & terrae omni quae à mari per quadringenta stadia desuper extēditur: regibus, dynastis, gentibus, vrbibusq; vniuersis praesidere voluerūt, ipsiq; exercitus in vnū congregare, pecuniasq; exigere vicissim concesserūt Exercitum praeter haec ingentem, nauesq; quas habuere omnes ex ordine miserunt pecuniarū item vsq; sex millia Attica talenta. Sic magnum ac difficile arbitrabantur, tā ingentem superare exercitum, tam immenso mari ac lōginquitatibus tā vastis latitantē, facileq; cedentem, denuoq; inopinè insurgentē, vt nemo illis Pompeio ad haec videretur dignior, qui cum tanto nauigaret imperio. Fuere autē illius exercitus statim quidem viginti millia peditum, equitum quatuor millia. Naues quoq; cum sesculis septuaginta supra ducentas. Ministri porrò quos à Senatu legatos vocant, quique & viginti sunt secuti, quibus Pōpeius naues mariaq; diuisit, equósque singulis attribuit, pedites insuper & militiae signa addidit. Ipse cunctorum imperator, legionibus omnibus quibus illi per partes praeerant, veluti rex regum praesidebat, iussitq; vnum quenq; discurrere & efferri in regionibus quas illi adscripsisset permanētes, neq; Piratas

ratas vltra has insequi, neq; regiones aliis traditas inuadere. sed continue ab omni parte Piratis obuiãtes mutuis concursibus eos interficere. Sic omnibus dispositis, Pompeius Tiberium Neronem & Manliũ Torquatum Iberiæ & mari quod ad Herculeas colũnas pertinet, præesse voluit. Ligustico verò & Celtico Marcum Pomponium, Libyco deinde & Sardino ac Corsico mari, insulisq; finitimis Lentulum Marcellinum, & publium Attilium. Circa Italiam autem Lucium Gelliũ & Gneum Lentulum præfecit. Siculum præterea & Ionium Plotium & Terentium Varronẽ vsq; in Acarnaniam custodire iussit. Pelopõnesus verò Attica. Euboia, Thessalia, Macedonia, atq; Beotia Lucio Cinnæ traditæ. Insulas autem & Aegeum mare omne, atque Hellespontum Lucius Cullius assumpsit. Bithyniam Thraciam assumpsit, ac Propontidem, & maris fauces Publius Piso. Lyciam deinde, ac Pamphyliã, Cyprũ & Phœnicem Metellus nepos. In hunc modum prouinciæ ducibus distributæ sunt, vt inuicem Piratas aggrederẽtur, auxilia inter se cõferrent, custodirentq;, & vicissim fugientes interciperent, neq; persequendo longius errarent, ne velutti incursu circumferrentur, & in longum nimis produceretur opus. Pompeius ipse ad omnes enauigabat. Et his quidem duobus & quadraginta dispositis diebus, Romam rediit,

inde ad Brundusium. Ex Brundusio verò tam magno interuallo ad ea loca prouectus, omnes nauigãdi celeritate, apparatus magnitudine, & gloriæ opinione cõterruit, vt Piratas cũ eo congredi putãtes, vel non facilè superari existimãtes, timore percitos statim ex vrbibus quas inuaserant expulerit, & ad solitos montiũ apices, portuũq; recessus fugere coëgerit, ita vt Põpeio sine pugna & sanguine maria omnia liberè paterent. Piratæ verò per partes à ducibus suis deprehenderentur. Ipse deinde in Ciliciam diuerso exercitu multisq; cum machinis peruenit, ratus omnifariã machinarũ copia & expugnationis genere sibi opus fore ad eos qui superiora tenerent: verùm gloria & apparatu eius conterriti latrones, fretiq; si non bello, at saltẽ misericordia esse tutos, primũ inclamare & reclamare occipiunt, qui præsidia editiora habebãt, post hos mõtani Cilices, postremò vniuersi se in manibus eius concesserũt. Arma ad hæc plurima partim parata, partim infecta illi tradidere, naues præterea nondũ compactas alias mari illatas, æs quoq; & ferrum ad opera paratũ, vela, funesq; materiemq; variã exposuerunt, multitudinẽ insuper captiuorũ quos partim ob redemptionẽ, partim ad opera agenda deuinxerant. Quibus ex rebus Pompeius materiem primùm incendit, naues abstulit, captiuos ad proprias domos redire iussit. Ex his

pleri

plerique sepulchra à suis sibi erecta veluti defunctis offenderũt. Ex Piratis quoscunque non tam peccandi licentia quàm inopia ob assiduũ bellũ ad hæc delatos noverat. Mallũ, aut Edanam, aut Epiphaniam, aut aliud desolatũ, & inhospitum Ciliciæ asperioris oppidũ iussit incolere, nonnullos etiã eorum ad Dymon in Achaiam transtulit. Sic Pyraticũ bellum, quod omnium difficillimũ putabatur, esse facilima quadam pars Pompeio obuenit, nauesque in potestatẽ redegit, partim duobus & septuaginta diebus captas, partim ab ipsis traditas numero sex supra trecentas ciuitates præsidia, receptusque omnes eorũ diebus ẽctum & viginti suscepit. Ex Pyratis ad decem millia eo in bello cæsa referuntur. His igitur adeò celeriter & præter cunctorũ opinionẽ gestis, Romani Pompeium magnum extollentes, dũ adhuc circa Ciliciam castra haberet imperatorem cum eadem potestate ad Mithridaticum bellum elegerunt, ita vt pro libito quæ sibi viderentur componeret, atque pugnaret, amicos'que vel hostes populi Romani iuxta voluntatem suam iudicaret, exercituũ omnium extra Italiam princeps esset: quæ simul omnia nulli alij præterquã Pompeio fuisse concessa satis constat: & fortè ob hæc imperatorem ipsum magnum appellarũt. Verùm Mithridaticum bellum à primis ducibus iam ferè confectum erat. Pompeius statim

ex Asia copias in vnum congregans, in Mithridatis montibus castra ponit. Mithridati in exercitu ex electis per prius aderant peditum triginta millia, equitum tria millia, & eam regionem quam Lucullus prius insedisset, commeatu destitutam ipse inuaserat, qua ex causa plurimi ab eo transfugerant, quos Mithridates sicubi nactus esset, in crucem tolli, oculos effodi, igne comburi iusserat. Caeterùm non tam illum trãsfugarum cura ob supplicij metum, quàm inedia & egestas stimulabat. Legatis igitur ad Pompeium missis, quae belli huiusce conciliatio esse posset, inquirit. Tum ille, si trãsfugas, inquit, reddideris, & te in potestatem nostram dederis. Quibus intellectis, Mithridates haec transfugis aperuit, quos cum timore concitos trepidantesq; conspiceret, iureiurando sanxit nullam sibi cum Romanis conciliationem vnquam affuturam ob eorũ auaritiam, neque se illis daturum quenquam, aut facturum quicquam quod non prius illis aperuisset. Sic enim elocutus est. Interim Pompeius equites in insidijs collocãs, alios palàm emittit, qui custodias regis aggrederentur. His mandatum erat irritare hostes, & subinde fugere veluti impotentes vsque ad insidiarum loca, deinde se conuertere. Et profectò celeriter vsq; ad exercitum venissent, nisi quòd veritus rex pedites eduxit, illi autem regressi sunt. Sic finis insequen

quen

quendi ac fugiendi Mithridati & Pompeio inuicem fuit, & experientia vtriusque exercitus, equitum'que concertatio. Vexatus tandem ob inopiam rex haud sponte discessit. & Pompeium in eius locum subire passus est, fisus eum, vt in regione destituta omni commeatu, non sine magno incommodo morari posse. Verùm ille commeatum adhibitum ex locis quæ post se fuerant suscipiebat: progressus deinde vsq; ad Mithridatē, custodias illi & exercitus quamplures per centū quinquaginta stadia vndiq; apponens, fossa circumsepit, ita vt commeatū haud facilè posset consequi. Mithridates cum à Pōpeio fossa clauderetur, minimè in illum insurgere curauit, siue timore ductus, siue inscitia, siue omnibus iam illum circunstātibus malis oppressus subinde cōmeatus inopia equos ad vehicula dispositos iussit interfici: singulos deinde illis abijciens, vix ad quinquaginta suffecturos dies nocte miro silentio fugā arripit per iter adeò asperū, vt orta vix luce persecutus eum Pompeius vltimos aggrederetur. Amicis itaq; suadentibus vt ordines instrueret, pugnam inire renuit, sed equitibus duntaxat appropinquantes repellens hostes vespere inter syluas opacissimas delituit. Sequenti die locum irrepsit asperum, ad quem vnica solum semita patebat aditus. Hunc quatuor ex cohortibus suis custodiendum tradidit. Ex aduer

so autem Romani custodias adhibuere, ne aufugere rex posset. Orta die exercitũ vnusquisq; armis instruit. Et primũ inter se praliũ custodiæ experiri incipiunt. Quidã etiam ex regijs equitibus separatim ab alijs nullo iubente custodijs auxiliũ afferre properant. Plurimis autem ex Romanis equitibus ad illos accurrentibus, regij equites turmatim ad eos aduolant. Descendentibus deinde alijs ab equis, & insuper Romanis qui continue ingruebant, se ipsos adæquantibus, qui superius steterant iã armis instructi cũ eos cursu & acclamatione hinc inde palantes intuerentur, neq; quid actũ foret intelligerent: fugam arbitrati, veluti exercitu vtraq; ex parte intercepto, depositis armis fugã capessunt. Difficultate autẽ loci in descensu prohibente exitũ, inuicem conuersi corruebant, quoad è rupibus præcipitati sunt. In hunc modum Mithridatis copiæ ob proteruiã eorum qui propugnatoribus sine mandato auxiliũ afferre properassent, ex turbatione dissipatæ sunt ita vt residuũ belli facillimum Pẽpeio fuerit, hostes inermes persequẽti, & inter rupes clausos occidenti. Cæsa sunt ad decẽ millia hostiũ. & apparatus omnis belli interceptus. Mithridates scutiferis solis comitatus, per aspera quæq; cõpulsus & effugiens, nõnullos ex mercenarijs equitibus, ex peditibus ad tria millia offendit qui eũ ad Sinorega oppidũ comitati sunt. Eo in

loco

loco multi ex thesauris suis seruabãtur, ex quibus dona ac mercedes annuas ijs qui cũ eo aufugerãt, impendit. Ipse sex millibus talentorũ assumptis, ad Euphratis fluminis ostia peruenit, Vt abinde ad Colchos trãsmearet. Indesinẽnti itaq; cursu prouectus, diebus potissimũ quatuor Euphratẽ superauit, tribus deinde alijs cõstitutis his, & armis cõmunitis qui eum sequebantur, & continuè accedebãt, ad Cotinã peruenit Armeniã. Eo in loco Cotinos & Iberos, iter illi prohibentes, fundis & sagittis repulit, indeq; ad Apsarũ peruenit fluuiũ. Iberos quippe in Asia quidam ibi genitos esse, alij ab Europeis colonos eum in locum deductos putãt. Sunt qui nominis parilitate conformes solum esse existiment, moribus quidẽ & lingua nihil similitudinis inter se habent. Mithridates in Dioscuris hyberna deducens, quã Vrbẽ Colchi Castoris & Pollucis cũ Argonautis profectionis monumentũ arbitrãtur esse, nihil Vel parũ, Vt in fuga opus est, differre cogitans, Pontum omnẽ in circuitu peragrare, deinde Scythas supra Pontũ, postremò ad Mæotidẽ paludem proficisci, & in Bosporum Vsq; penetrare concepit animo, & Macharis filij sui regnũ erga se parum grati in potestatẽ Vendicare, denuo ex aduerso cũ Romanis pugnã capere, & ex Europa in Asiam profectis inferre bellum, Porum in medio cõstituens, quod nonnulli Bo-

 sporum

ſtorum ex Io tranſitu ſolent appellare, quo in loco ob zelotypiã bos effecta, Iunonem effugiſſe dicitur. Hæc igitur præter cunctorũ opinionem arbitratus Mithridates ſimul ad effectũ perducere feſtinat, & per Scytharum gẽtes bellicoſas aliasq; partim vi, partim ſuaſione profectus eſt. In hunc modũ quanquam fugiens & victus, venerabilis adhuc & tremebũdus viſebatur. Enіochis igitur illũ ſuſcipientibus, per eos iter agens Achæos in fugam vertit, quos à Troia redeuntes in Pontũ ex tẽpeſtate delatos ferũt, & multa à barbaris paſſos, vtpote Græcos nonnullis in patriã per naues miſſis Græcis nationibus, eos qui ſibi aduerſarẽtur indicaſſe, Græcos verò quoſcunq; Scytharũ adepti eſſent, ſibi ſubdidiſſe. Primũm quidẽ ob irã vniuerſi inſurgentes procedente tẽpore optimos eorum duntaxat præmittentes, poſtremò ſorte electos. Hæc igitur de Achæis Scythicis relata accepimus. Mithridates in Mæotidã deuectus in qua dynaſtæ multi inerant, ipſis regẽ ob geſtarum rerũ gloriam, ac principatus magnitudinem præſentis adhuc ſuſcipientibus & ex ſuis præmittẽtibus, donaq; plurima deferẽtibus, ſocios ſibi aſſumpſit, maiora meditatus, ex Thracia videlicet in Macedoniã, ex Macedonia verò ad Pænas deducere, indeq; in Italiã per Alpes pertranſire. Filiarum quoq; cõnubia ad ſocietates confirmandas cum potẽtioribus eorum inijt.

iniit. Machares autem filius eius per tam immensa terrarũ spatia tam modico tempore, ac per ferocissimas gẽtes delatũ cùm audiret, Scytharum quoq; claustra ad prohibendum eius cursum nihil momẽti attulisse cernens, quo minus liberè euaderet, legatos quosdam ad eũ misit excusationem praeferentes, quòd necessitate ductus Romanorum partes secutus esset. Ira deinde regis in immẽsum ardescente, ad Cherronesum quae in Põto est, incẽsis nauibus omnibus aufugit, ne ipsum insequeretur pater. Caeterùm alias praemittente rege, seipsum interfecit. Mithridates amicos omnes quos illi in regnũ abeunti vt socios addiderat, necauit. Filij verò veluti ministros amici proprij illesos esse voluit. Haec igitur circa Mithridatẽ gesta, Põpeius regem fugientẽ vsq; in Colchos persecutus, vlterius insequi desijt. satis ratus neque Pontum à se neq; Maotidam paludem esse circumeundam, neq; magis deinceps rebus inniti posse, qui regno occidisset, verùm Colchos adijt. & Argonautarũ historiam, Iouisq; filiorũ & Herculis peregrinationẽ maximè oculis subijcere cupiẽs, haec intelligit. Plures auriferi fontes ex Caucaso monte scaturiunt arenae penè inuisibilis, ad quos finitimi pelles apponentes, influxu admodum profundo arenã detentam colligunt, quae aureae cuiusdam pellis speciem prae se ferunt. Pompeio ad cognitionem huius rei

potis

potissimũ intento nonnulli annunciant quæ nationes finitimæ haud longe in armis essent. Orazes quidẽ Albanorũ, & Tocus Iberorum reges cum septuaginta millibus hominũ ad fluuium Cirtũ conuenerant qui duodecim patẽtibus riuis elapsus, in Caspium mare diffunditur, plurimis in eum decurrẽtibus amnibus, quorum omnium maximus habetur Araxes. Huiusmodi cum percepisset Põpeius, pontem fluuio imposuit, et barbaros insecutus, intra syluas opacissimas compulit. Sed cum illi latitãtes subitò insurgerẽt, exercitu circũ syluas posito, ignẽ immisit, & fugientes insequi cœpit, quoad tandem omnes munera obsidesq́ attulerunt, de quibus etiã Romæ triumphũ egit. Ingens multitudo inter obsides & captiuos mulierũ deprehensa est, quæ non minora viris vulnera perferrent: creditumq́ est eas Amazones esse siue quòd vicina illis Amazonũ natio inhabitet, & ob id ad militiã vocatæ vnà accessérint, siue pugnaces quasdã fœminas barbari ipsi Amazones appellare soleant. Reuersus inde Pompeius, in Armenia castra posuit, accusationẽ Tigrani inferens, quòd cũ Mithridate in Romanos gessisset bellũ, & iam circa Artaxata eiusdem regiam signa habebat. Tigrani quippe vlterius bellum gerere haud animus fuerat. nati quidem illi aderãt ex Mithridatis filia, ex quibus duos Tigranes ipse occiderat, vnũ videlicet bello con-

ten

tendentē alterū in venatione, cum ex equo procidenti nullā attulisset opē, sed adhuc iacēte eo, diadema assumpsisset. Tertiū in ipsa venatione conquestum mortē eius corona donauerat. Qui post modicū illū derelinquens, bello patri illato victus ad Phraatem Parthorum regem se contulerat. Is nuper ad patris principatū fuerat electus. Appropinquante demum Pompeio, cum Phraate re communicata, consentiente illo, & cum eo amicitiam iureiurando confirmante, iuuenis supplex ad Pompeiū profugit, quanquam Mithridatis ex filia nepos. Verùm magna iustitiæ opinio & fidei apud barbaros quoq; Pōpeio aderat, adeò vt confisus Tigranes pater caduceatore nullo præmisso ad illū vltro accesserit, omnia alia ac seipsum Pompeij fidei æquitatiq; committens, filiumq; in conspectu eius pariter accusans, ita vt Pompeio, prætoribus, & equitum præfectis imperante vt illi honoris gratia obuiam prodirent, ad eum accedentes, cùm nullam fideiussionem itineris præstitam intelligerent, retrocessisse memorentur. Verùm rex subinde applicuit, & Pompeium veluti dignitate longè præstantem, ritu barbarico veneratus est. Sunt qui dicant lictoribus à Pompeio præmissis detentum in conspectum eius venisse. Quoquo modo venisse eum satis constat ex ijs quæ secuta sunt. Nam Pompeio sex millia talenta dono dedit, militibus verò separatim vnicuiq;

drac

drachmas quinquaginta, ducibus antē turmarum pratoribusq; decem millia. Pompeius commissorum omnium veniā illi concessit, & cum puero pariter conciliauit: filio quoq; regnum Sophenes & Gordiena habere concessit, qua nunc Armenia minor appellatur: patri reliquā Armeniam omnem tradidit. Puero deinceps hareditatis sorte principatus ab eo acquisiti partem impendere voluit, deditq; Syriam qua ab Euphrate ad mare pertinet. Hanc quippe & Cilicia partem quandam Tigranes possidebat, Antiochum expellens qui Eusebius vocabatur. Armeniorum quicūq; Tigranem ad Pompeiū cum tem dereliquerant, cum ob id suspicione tenerētur filium eius, qui apud Pompeium adhuc erat, hortabantur vt patrem interficeret: verùm is captus & vinctus, cùm interim Parthos in Pompeium irritaret, in triumphum ductus subinde interfectus est. Pompeius bellum omne iam perfectum arbitratus eò loci quo Mithridatem superauerat, vrbem condidit, qua ab operis effectu Nicopolis vocitata, in Armenia qua minor dicitur, sita est. Ariobarzanem deinde Cappadocia regem declarauit, & Sophenem ac Gordienem illi addidit, quas Mithridatis filio antè concesserat, qua ad atatem quoque nostram à pratoribus cum Cappadocia pariter reguntur. Dedit & Cilicia vrbem Cababala nomine, aliásque Ariobarzanes eo modo

do

do regionem puero ademptam sibi vendicauit. de qua plures mutationes vsq; ad Cæsarem secuta sunt Augustum. sub cuius imperio, vt alia reliqua, sic hæc regio ad prætorum delata est tutelam. Pompeius Taurum montem supergressus, eousque cum Antiocho Comageno bellũ gessit, quoad eum ad obsequium & amicitiam pellexit. Egit & bellum contra Darium Medorum regem, quem ad fugam tandem compulit siue cum Antiocho vnà depugnantem, siue cum Tigrane primum. Pari modo cum Aretha Nabatheorum rege prælio contendit, et Iudæis, cum rex eorum Aristobolus à Romanis desciuisset, sacratissimamq; eorum vrbem Hierosolymam euertit. Cilices præterea vicit, tot enim regiones Romano subiecit imperio. Syriam insuper aliam quæ circa Euphratem sita est, & inferior ac Phœnicis & Palestinæ dicitur. Idumæorum & Ituræorũ, et quæcunq; alia Syriorum nomina progressus Romanis parere compulit. Cumq; nullam in Antiochum Eusebium causam haberet præsentem. & pro paterno regno suppliciter orantem, ratus si & illum debellasset, regionem omnem in Romanorũ cessuram potestatẽ, regno expulit. Dum hæc à Pópeio gerũtur, legati à Phraarte & Tigrane qui bellũ inuicẽ gerebãt, aduenere. Tigranes veluti amico & socio opem sibi à Pompeio impendi requirebat. Parthus verò amicitiã cũ Romanis

inire

inire postulabat. Pōpeius cùm haud dignū existimaret Parthos ex Romanorū decreto, bellū gerere, ad Vtrosq; conciliatores destinat. Hæc hactenus in hunc modū à Pompeio gesta. Mithridati interim ambitus ad Ponti Vltima fuisse constat, qui Pāticapeio capto Europeo emporio, ad ingressum Pōti delatus Xipharē filiū suprà Porū ipsum interfecit ob matris delictū, quod huiusmodi fuisse dicitur. Arx quædā Mithridati erat, in qua subterranei latebant thesauri, multo ære ac ferro pecunijsq; referti. Stratonice Vna ex Mithridatis pellicibus siue Vxoribus, cui arcis curā, & notitiā abditarū rerum rex impenderat, circumeunte adhuc Pontum Mithridate, Pōpeio arcē tradidit, & thesauros ignotos illi prodidit, cōditione addita, Vt si Pompeius filium eius Xipharē cepisset, saluum esse Vellet. Ille pecunias adeptus Xipharē sibi tradere, & quæ sua essent secum asportare sinere pollicitus est, quibus intellectis Mithridates Xipharē occidit supra Porum, matre alio ex littore inspectante necē filij, insepultum quoq; abiecit. Sic ille filium despexit, Vt mulierē torqueret delinquentē. Legatos præterea ad Pōpeium, quem adhuc in Syria Versari audierat, de aduentu eius inscium, subinde mittit, qui pro paterno regno tributum Romanis pendere eū Velle significarent. Pompeio autē Mithridatem ad conspectum eius accedere iubente, & pro seipso

depre

deprecari; quemadmodum Tigranes fecerat, se id nequaquam polliceri velle, dum Mithridates esset, respōdit: missurum verò ex filijs quosdam & amicis. Et hæc vnà dicens summa celeritate parabat exercitum, seruos in libertatē vendicans. Armorum porrò multitudinem ac sagittarum, & machinas in vnum conferebat non syluis cuiuspiam indulgēs, aut bobus ad aratra dispositis, quò neruos assumeret, tributa omnibus vsq; ad minimas substāt as imponēs. ministri ad hæc ab eo electi, multis rege inscio ludibria inferebant, cùm ipse ex vulnere in facie oborto, trium duntaxat eunuchorū curaretur manibus, ab hisq; solum videretur. Cōualescente deinde eo, exercitus in vnū congregatus statim affuit. Electorū cohortes sexaginta, quæ separatim sexcentos viros continerēt, aliaq; infinita multitudo, & naues plurimæ aderāt, opportunitas insuper locorū, quæ ægrotante eo duces inuaserant. Partē itaq; exercitus in Phanagoriam transire imperat, alterā in ingressum Emporium, vt ab vtraq; parte exercitus haberet liberos, Pōpeio adhuc in Syria existēte. Erat Castor quidā Phanagoreus homo nobilis. Is cū ab Triphone regio eunucho iniuria affectus esset in ipso aditu deprehensum interemit, & plebeios in libertatem conuocare cœpit. Sed cùm arx ab Artapherne & alijs Mithridatis filijs teneretur, lignorū struem apponētes arci ignem

intulerunt, sic vt Artaphernes & Darius & Xerxes atque Oxatres & Eupatra Mithridatis filij ex timore ignis se in eorum potestatem concesserint. Erat iam quadragenarius Artaphernes: reliqui pueri eximia indole, ac pulchritudine. Sola Eupatra in arce restitit, altera Mithridatis filia, quã pater vnicè diligens, præmissis dicrotis statim ex arce sustulit. Quæcunq; verò præsidia in proximo fuere, per prius à Mithridate derelicta, inualescente Phanagoreorum seditione ad illos defecerũt, Cherronesus & Theodosia, Nyphcúmque, & quæcunque alia circa Pontum accommoda sunt ad bellum loca. Territus itaque crebris defectionibus rex, cum exercitum quoque suspectum haberet ne in officio persisteret, cum ob militiæ difficultatẽ, tum ob tributorum violentiam, & infidelitatem quæ vt plurimum infortunatos duces solet insequi, ad Scytharũ reges & Dynastas eunuchos propere emittit, qui filias illis connubio offerrent, subsidia summa celeritate exigerẽt. Quingenti ab exercitu viri regis filias comitabantur qui cum à Mithridate discessissent, eunuchos earum duces interficiunt, infensi quòd assidue ab illis Mithridatem detinentibus essent oppugnati, puellasq; ad Pompeium adducunt. Mithridates tot filijs ac præsidijs, & vniuerso tandem principatu destitutus, cũ nec amplius Romanis ad pugnandũ par esset, nec Scytharum

amicitiã ulterius consequi speraret, nihil tamẽ miserũ nec abiectũ concepit animo, sed ad Celtas iampridẽ socios & amicos eius proficisci, unáq; cum illis Italiã ingredi statuit, sperans multas Italiæ partes Romanis aduersas esse, certior etiã factus Hannibalẽ id ipsum in Iberia bellantẽ effecisse, & ob hoc Romanis formidabiliorẽ extitisse. Intelligebat præterea Italiã fermè omnẽ ob eorũ odiũ ab Romanis desciuisse, ac pro maiori eius parte in illos bellũ gerere, à Spartaco solo in Romanos concitatã uiro nullius famæ aut claritatis. Hæc animo recensens Mithridates, ad Celtas properabat. Tã igitur illustre facinus à rege meditatum exercitus sequi recusauit, potissimũ ob audaciæ magnitudinem, ad tam longinquam militiam abduci, & exteras regiones formidantes, & in homines quibus nihil adesset proprij Mithridatem desperatione rerum omnium ad hæc ferri milites putabant, malléque eum quippiam agentem et regnantem interire, quàm per inertiam uitam agere: hæc intra se uoluentes, taciti imperium adhuc eius perferebant. Non enim uilis aut contemnẽdus quanquam in extremis cladibus uisebatur rex. His ita se habentibus, Pharnaces filiorum eius lõge clarior, & iampridẽ ad principatũ destinatus hæres, siue timore imperij & exercitus præsentis ductus, et quòd à Romanis ueniam speraret, siue periculum regni sui me-

ditatus si in Italiam trāsiret pater, siue alijs rationibus & causis moueretur, insidias patri instruit. Deprehēsis conspiratoribus, & ad tormēta deductis, Menophanes quidā Mithridatē adhortatus est, quasi nō necesse foret enauigāti honoratiorē filium occidere: huiusmodi nouitates circa bella maximè versari, quibus cessantibus & hæc optimè disponi posse. His persuasus rex, veniā filio cōcessit. At ille facinoris memoria cōterritus, cum exercitū militiā detrectantē cerneret, noctu ad primos Romanorum trāsfugas prope Mithridatis castra cōmorantes gressum mouit: quàm magnum illis immineat discrimē si in Italiā transierint, quanquā clarè intelligētibus liberioribus adhuc verbis palā fecit. Multa præterea apud se manentibus pollicitus impendere, tandē à patre deficere coegit. Cùm hos in sententiam suam deduxisset, eadem nocte ad alia propiora castra statim mittit. Assentientibus quoque illis, primi ad auroram transfugæ clamare incipiunt, subinde proximiores illis extulere vocem: quod à casu fortasse quibusdam euenit, cùm nec omnes vicissim conspirarēt, verùm ad res nouas proni, infelicitatem regis intuentes, mutationibus continuè spē addiderant. Nonnulli per ignorantiam ab ijs qui intelligebant incitati, vniuersa perturbabant, cùm soli existentes à pluribus contemni veriti, necessitate magis ac timore quàm voluntate

concl

conclamabant: Mithridates tam ingenti sono excitus, nõnullos destinat, qui necessitatem, & causam huius vocis explorarent: quibus illi nihil occulentes filium dixere iuuenẽ pro sene patre sumpsisse regnum qui eunuchis inseruiret, quiq; plures filios, duces quoq; & amicos conscidisset. Hæc intelligens Mithridates, ad eos locuturus è tabernaculo egreditur: multitudo ex præsidijs ad transfugas subitò accurrit. His prædictum erat, ne ad se vlterius accederẽt, ni magnum quippiam ad promittendũ fidem peregissent, Mithridatẽ simul ostendentes. Illi fugiẽtis equũ intercipere festinabãt. Pharnacem quoq; sicut prius detinentes, regem pariter appellant. Scirpum deinde latiorẽ cum è templo attulisset quispiam, pro diademate illi annectunt: quæ omnia ab edito contemplatus, rex aliũ super aliũ ad Pharnacem ex suis mittit, & vt tutò ei fugere liceat, exposcit. Nemine ex præmissis ad eũ redeunte, veritus ne Romanis traderetur, corporis sui custodes amicosq;, quòd in fide permãsissent, meritis laudibus attollens, ad nouum regem ire iussit: quorum nõnullos accedentes, milites inopinè aggressi confecerũt. Ipse venenum quod in ense assiduè gestabat, educens, miscere cœpit. Duæ apud regem filiæ puellæ adhuc educabantur, Mithridatia, & Nissa, Aegypti & Cipri regibus in connubium dicatæ, quæ venenum prius sumere poscẽtes, & vehemẽtius in-

stantes regē haurire prohibebāt, quoad illud tādem assumentes, cū subita veneni vis eas attigisset, exanimatæ ceciderūt. Mithridates cū cōtinuè & facillime ambularet, haud cōmode extingui poterat, potissimū medicaminibus assuetus ad venena prohibēda, quæ ad ætatē usq; nostrā Mithridatica appellantur pharmaca. Bititū igitur quendā Celtarū ducē intuens, multa inquit, ex tua in hostes dextera, & quidē præclara adeptus sum: nihil autē maius in præsenti consequi à te possum, quàm si me periculo eximas, ad triumphi pompā reseruatum, tanti modò principatus regē imperatoremq;, nec à veneno confici potentem, ob medicamētorum vim, quibus ad præseruandam vim usus sum. Est enim periculosissimum et domesticum continuè venenum regibus. Infœlicitatē verò exercitus filiorumq; & amicorum minus cautè vitasse videor, qui cætera diligētius in vita cauerim. His itaq; permotus Bititus, illacrymansq;, indigēti regi opē tulit. Decessit igitur Mithridates sextusdecimus à Dario ultimo Persarū rege, octauus à Mithridate illo qui à Macedonibus defecit, & Ponti regnū sibi vēdicauit. Vixit autem annis octo siue nouē supra sexaginta in quibus per septem & quinquaginta regnū tenuit. Principatus enim ad eum adhuc puerum, & parentibus orbatum translatus est. Finitimos barbarorum populos in potestatem redegit, Scytharum

thar ii multos sibi subdidit, & in Romanos per quadraginta annos potenter depugnauit, quo tempore Bithyniam & Cappadociam plerúque adeptus est, Asiam, Phrygiam, Paphlagoniam, Galatiam ac Macedoniam cum in Græcia deduceret inuasit. Multa & præclara egit, ac mari à Cilicia ad Ionium vsque dominatus est, quoad Sylla intra paterni regni limites eũ iterum inclusit, centum & sexaginta millibus hominũ eidem in bello ademptis. Inter tot tamen lubricos prolapsus casus, bellum semper facillime mouit, cùm optimis ducibus prælio decertans. A Sylla quidem, Lucullo & Pompeio victus est, sæpenumero illis plura superlucratus. Nam Luciũ Caßium & Quintũ Oppium & Manium Attilium captiuos sibi deditos palàm circũduxit, quoad illum qui totius belli causa fuerat, occidit: reliquos Syllæ tradidit. Vicit Fimbriã, ac Muranã. Cottam quoq; consulatu illustrem. Fabium insuper ac Riarium. Fuit illi ingeniũ ad labores cladesq; præcellens. Nõ vna vtiq; via Romanos aggressus est: & quanquã victus, minime ab incepto destitit. Cum Euanitis & Celtis fœdus iniјt, & ad Sertorium in Iberiam misit. Plerũque ad hostibus alijsq; per insidias ferro impetitus, & saucius, nullo tamẽ ob opere cessauit. Cumq; iam senior esset, nemo ex cõspiratoribus eũ latuit ad nouißima vsque eius. Verũ vltro hæc despiciẽs, ob idipsum interẽ-

ptus est. Tanta malitiæ ingratitudo est, cui venia impenditur. Sanguinolentus ac crudelis in omnes fuit. Nam matrẽ, fratrem, ac filios tres impuberes, totidemq́; filias interfecit. Statura ingenti fuisse traditur, vt ex armorum forma quæ Delphis allata sunt licet intueri. Valetudine prosperrima vsus, ad vltimũ vitæ tempus equitabat, iaculabaturq́;, & per mille stadia dispositis per interualla equis vna die discurrebat, currus sex & decẽ equis agitauit, Græcis imbutus disciplinis, & ob id sacris Græcorum vsus, Musicæ præterea deditus, sobrietatis eximiæ in plurimis, laborumq́; patiẽtissimus, solis mulierũ deuictus est illecebris. His rebus præditus Mithridates Eupater & Dionysius cessit è vita. Romani percepta eius morte, festiuitatibus solẽnijsq́; prodidere lætitiã, veluti acerbissimo hoste liberati. Pharnaces Põpeio necem patris ad Synopem vsq́; per triremes anunnciat, & eos qui Manium ceperant, illi mittit: obsides ad hæc plurimos, quos è Græcis aut Barbaris habuit, simul destinat, & vt sibi vel paternum regnũ, vel Bospori solum cõcederetur, vel quod Machares eius frater à Mithridate suscepisset, deprecatur. Põpeius solẽnia Mithridatis funeri attribuit, & vt regio sepulchro inferretur, & in Synope regalibus cõderetur monumẽtis, seruis eius imperauit, magnanimitatẽ eius admiratus, veluti regũ omniũ qui cõtra se fuissent,

sent præclarissimi. Pharnacem vero Italiam laboribus, discriminibusq; liberantem socium populi Romani esse voluit, & Bospori regnũ sibi tradidit, Phanagoreis duntaxat exceptis, quibus liberos esse, & suis legibus degere concessit, eam ob rem quòd primi inualescente Mithridate, & naues exercitusq; alios & aggressus liberos habente, sese opposuissent, & duces defectionis reliquis se præstitissent, ac Mithridaticæ detentionis fuissent causa. Ipse vnico prælio piratis superatis, maiore rege deuicto ad reliqua prælia sine Pontico delatus bello, Colchis, Albanis, Iberis, Armenijs, Medis, Arapsis, Iudæis, cæterisq; orientis nationibus regnorũ fines apposuit, Romanis vsq; in Aegyptum, cum ad eam nunquam accessisset, quanquã Aegyptijs cum rege dissidẽtibus, & eũ efflagitantibus in regem, dona præterea, aurum & vestes vniuerso exercitui præbentibus. siue magnitudine regni adhuc præpotẽtis, siue inimicorum territus insidia, siue oraculorũ dissuasionibus, siue alijs permotus rationibus, atq; causis, quas ad Aegyptios referret. Deuictarũ vero gentium quasdam liberas esse voluit societatis causa in bello, quasdam Romanis celeriter subiecit, nõnullas in regna distribuit. Nam Tigrani Armeniam, Pharnaci Bosporũ, Ariobarzani Cappadociã, & quæ superius retulimus attribuit. Antiocho Comageno Seleuciam tradidit, & quæcũq;

alia Mesopotamiæ percurrisset loca. Instituit et Gallogræcorum tetrarchas, qui nunc Galatæ dicuntur, Cappadociæ finitimi, Deiotarum atque alios, Paphlagoniæ Attalum, Colchis Aristarchũ Dynastam declarauit, & Comagenis Archelaum sacerdotem, quæ dignitas regia habetur, & Phanagoreum Mastorem amicum populi Romani. Multis præterea alijs regiones & pecunias distribuit. Vrbes etiam cõdidit in minori Armenia Nicopolim ob victoriam, in Ponto Eupatoriam, quam ipse Eupater Mithridates tenuit, & à se Eupateriã nominauit. Sed cum postmodũ à Romanis capta ac diruta fuisset, Pompeius denuò eam erigens, Magnopolim appellauit. In Cappadocia item Maxacam restituit vrbem bello funditus euersam. Sic alias plerunque detentas, aut incommodis affectas, in melius reddidit circa Pontum & Palestinã, Syriamq́; inferiorem, & Ciliciam, in quã potissimum Piratas transtulit, & vbi Palesoli vrbs fuit nũc Pompeopolis est. In Talarijs quædam ciuitas erat, quã Mithridates velut horreum apparatus omnis detinebat. In ea ad duo millia poculorum ex lapide qui Onychites dicitur, inuenta referuntur auro lita. Phialæ insuper ac vasa alia varietate præcipua mẽsæ throníq́; ad luxuriam exculti, equorum vlterius frena, pectoralia deinde & tergoralia omnia vicissim lapillis ornata, & auro circumlita, quorum

rum repræsentatio ob multitudinẽ vix triginta diebus explicita est. Ex his alia Darij vltimi fuisse memorantur, alia ex Ptolemai principatu, quæcunq; Cleopatra apud Coos detulisset, & Coi Mithridati tradidissent. Erãt pleraq; ex his quæ Mithridates ad ornatũ collecta præparauerat pulchritudinis & decoris causa. Finiente hyeme Pompeius præmia militibus exhibuit viritim mille & quingentas drachmas Atticas. Ducibus eorum condigna pariter impendit, quorum summa decies sexagies mille talenta attigisse creditur. Ipse in Ephesum profectus, demum in Italiam enauigauit. Inde Romam delatus, in Brundusio exercitum & domestica quæq; reliquit. Quæ res vt de populari potissimũ viro Romanos in admirationẽ sui cõpulit. & ipsi aduenienti per partes obuiam progressi sunt primùm longe iuuenes, deinde vnusquisque, vt per ætatem licuit vltra hos senatus omnis, rerum ab eo gestarũ gloriam admirans, non enim alius tot hostibus deuictis, tam potentes simul nationes Romanis subiecit, & eorum imperium ad Euphratem vsque propagauit. Triumphum autem egit splendididiore quàm alius quiuis ante ipsum gloria, annum quintũ & trigesimũ adhuc ætatis agens, duobus subinde diebus, ex multis nationibus, Ponticis videlicet, Armenijs, Cappadocibus, Cilicijs, Syrijsq; omnibus, Albanis, Eniochis, & Achæis, qui

in Scythia sunt, in oriente Iberis: intra portum vero septingentas naues integras deduxit, in triumphali pompa iuga currusq; refertos auro, & alios ornatu varios. Darij Hystaspis mensam, Eupatris ipsius thronũ sceptrumq; imaginem octo cubitorum à pectore auream protulit. Argenti puri decies septuagies millia quingenta & decẽ talenta. Currus præterea armis refertos, quorum infinita fuit multitudo: nauium rostra, captiuorumq; ingentem numerum, ac piratarum neminem deuinctum ducens, verùm patrio more succinctos ire iubens. Pompeium ipsum regum duces omnium cum quibus bellũ gesserat, ex ordine præibant. filij quoq;, ac præfecti nonnulli captiui existentes, alij obsides dati numero quatuor & viginti supra trecentos: inter hos Tigranes senioris Tigranis filius aderat, Mithridatis filij quinque, Artaphernes, Cyrtus, Oxatres, Darius, & Xerxes, filiæ verò Orsabaris & Eupatra. Cum his Athalces ducebatur Colchorum sceptriger, & Iudæorũ rex Aristobolus, ac Cilicum tyranni, Scytharumq; regum vxores, Iberorum duces tres, Albanorũ duo, & equorum præfectus Mithridatis Menander Laodiceus. Eorũ qui præsentes non affuerant, ferebantur imagines, Tigranis scilicet, ac Mithridatis, quemadmodum pugnassent, & victorum fugientiumq; simulacra annotata erant, Mithridatis ad hæc obsidio. & noctur-

na

na fuga cum silentio. Postremò quemadmodum interijssent. Filia etiam depicta cum illo mortē prius eligentes, & filiorum filiarumq́, vt ante eum decessissent, similitudines cernere erat. Deorum etiam barbaricas imagines, & ornatus patrios: praeferebatur & tabula in qua naues captae continebantur, rostratae scilicet octingentae, vrbes praeterea ad tributū redacta. Cappadocum octo: Cilicum & minoris Syriae viginti. Palaestinae verò, quae nunc Seleucis dicitur, Reges bello superati, Tigranes Armenius, Atroces Iberus. Orizes Albanus, Darius Medus, Aretha Nabathaeus; Antiochus Comagenus. Haec omnia literis explicabantur. Pompeius ipse curru lapillis auroq́, splendente ferebatur, chlamydem, vt aiunt, indutus Alexandri qui Macedonibus praefuit, si tamen id credere dignum est. Putant quippe illam in his quae Mithridates ex Cleopatrae rebus in Coo reperit, inuentam fuisse. Currū deinde eius exercituum duces sequebantur, quidam in equis, nonnulli pede gradientes. Capitolium inuectus, neminem ex captiuis, vt alij. triumpho secum tenuit. Verùm publicis impensis ad patrias demisit, regibus duntaxat exceptis: & ex his Aristobolus subitò extinctus est, Tigranes postmodum interijt. Pompeij igitur triumphus huiusmodi fuisse dicitur. Pharnaces interim Phanagoreos, & finitima Bospori obsedit, quoad

ined

inedia coacti Phanagorei, & ad pugnam acce dentes, ab eodē superati sunt: ex quibus neminem iniuria afficiens, caterùm amicos sibi statuens, obsidibus assumptis retrocessit. Non multo post Synopē cepit, Amisum capere affectans, & Calusio duce bellum gessit quo tempore Pōpeius & Caesar armis contendebant, quousque Asander priuatus hostis Romanis inter se dissidentibus ex Asia eum expulit, cum Caesare quoq; depugnauit, cui victo Pompeio, & ab Aegypto redeunti circa Scorobam montem occurrit, vbi pater quondam eius Romanos qui cum Triario pugnabant, deiecit. Superatus igitur mille comitatus equitibus in Synopē aufugit. Caesare verò ob ocium vlterius eum sequi negligente, & Domitium ad eum demittente, Synopen Domitio tradens, per inducias cum equitibus euasit, quibus in eum perturbatis, equos interemit, nauibusq; peruectus in Pontū aufugit, ac Scytharum nonnullos, Sauromatarumq; in vnū congregans, Theodosiam, & Panticapeium intercepit. Asandro deinde ob odium in eum bellum concitante, equites ob equorum defectum pedestri praelio minus assueti superati sunt. Pharnaces solus egregie pugnans, tandē saucius extinctus est quinquagesimum aetatis agens annum, cum Bosfori regnū per quinque & decem annos tenuisset. In hunc igitur modū Pharnaces regno decidit, quod Caius Caesar

Mithri

Mithridati Pergameno tradidit, ob id quòd strenuè cum illo in Aegypto depugnasset. nunc verò domestica Romanis regna Pōti & Bithyniæ effecta sunt, ad quæ singulis annis prætor mittitur. Cæsar quæ Pompeius tradidisset, cum ijs qui accepissent ab eo, quæstus, quòd contra se cum Pompeio gessissent bellum sibi asciuit, excepto eo quòd Comanis sacris seruabatur, quod ab Archelao ad Nicomedem transtulit. Ea verò nō multò post. & hæc ipsa Caius Cæsar & Marcus Antonius alijs habenda tradidere, quæ ab Augusto demum Cæsare ad prætorum curam translata sunt, cum Aegyptum recepisset. modica deinceps occasione ad singulos indigētibus Romanis. Itaq; principatu eorum Mithridatico bello ad Pontum vsq; Euxinum, & ad Syrtes supra Aegyptum, fluuiumq; Euphratem, ad Iberos & Herculeas columnas propagato, rite hæc victoria magna, & imperator Pōpeius meritò magnus appellari debuit. Ipsis autē Libyam tenentibus quæ ad Cyrenes vsque pertinet, Cyrenem Apion Laginorum rex genere nothus ex fœdere illis tradidit. Aegyptus in circuitu maris, quod interius est, nondū illis cessit.

Appiani Alexandrini Sophistæ Romanorum Libri Mithridatici, P. Candido interprete,

FINIS.

image

not

available